PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

PAULUS SIWEK S. I.

PSYCHOLOGIA METAPHYSICA

AD USUM AUDITORUM
UNIVERSITATIS GREGORIANAE

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
PIAZZA DELLA PILOTTA, 4

1932

Romae, 1932 — Typis Cuggiani, via della Pace, 35

INDEX

PAG.

Introductio 1

LIBER I.

De viventibus in genere.

Th. I. — In corpore vivente admittendum est unum radicale activitatis principium, quod suo influxu communes materiae vires ad procurandum proprium viventis finem stabiliter dirigit 4

Schol. I. — *Valor argumentorum thesis* 10

Schol. II. — *Principium conservationis energiae* 10

Obiect. 11

Th. II. — Principium vitale est forma substantialis corporis viventis 13

Coroll. — *De unitate entis viventis* 21

Schol. I. — *De theoria « coloniae »* 21

Schol. II. — *De partibus viventis* 21

Schol. III. — *Quomodo anima operetur* 21

Obiect. 22

Th. III. — Corpora viventia nata sunt se ipsa movere seu immanenter operari. Et in hoc motu seu operatione immanenti ratio vitae consistit 23

Schol. I. — *De principiis proximis operationum vitalium* . 28

Schol. II. — *De triplici gradu vitae* 30

Schol. III. — *De tempore et modo, quo novum principium vitale producitur* 33

Obiect. 34

LIBER II.

De vita sensitiva.

Cap. I. — De subiecto vitae sensitivae.

PAG.

Th. IV. — Bruta animalia facultate sentiendi gaudent . . . 36
Schol. I. — *De criterio sensationis* 40
Schol. II. — *De sensibus in singulis animalium classibus* . . 40
Obiect. 41

Th. V. — Plantae facultatem sentiendi non habent 43
Coroll. I. — *De differentia metaphysica inter plantam et animal* 45
Obiect. 46

Cap. II. — De principio vitae sensitivae.

Th. VI. — Anima sensitiva essentialiter superat materiam . 47
Obiect. 52

Th. VII. — In singulis animalibus brutis non est nisi unica anima, in qua vita tum sensitiva tum vegetativa fundatur 53
Coroll. I. — *Definitio animalis* 57
Coroll. II. — *Anima sensitiva est forma substantialis animalis* 57
Obiect. 57

Cap. III. — De sensatione in se spectata.

Th. VIII. — Sensatio est operatio compositi ex anima et corpore seu operatio organica 59
Coroll. I. — *Anima sensitiva non est per se subsistens* . . 64
Coroll. II. — *De ortu et corruptione animae sensitivae* . . . 65
Schol. I. — *In quo consistat materialitas sensationis* . . . 66
Schol. II. — *De principiis «quod» et «quo» sensationis* . . 66
Schol. III. — *Iudicium de sententia asserente corpus esse conditionem intrinsecam «sensationis»* 67
Schol. IV. — *De subiecto idoneo animae sensitivae* 67
Schol. V. — *Estne anima bruti simplex?* 68
Obiect. 71

PAG.

Th. IX. — Ut sensus in actum erumpat, recipere debet praeter immutationem materialem ab obiecto in sensorio factam insuper speciem s. d. sensibilem. — Ipsa tamen sensatio, formaliter spectata, non consistit in mera receptione speciei sensibilis, sed in actione immanenti (quae hanc receptionem consequitur) 77

Coroll. I. — *Facultas et species sensibilis sunt causae subordinatae* 85
Coroll. II. — *De causalitate propria speciei sensibilis* . . . 86
Coroll. III. — «*De sensu agente*» 86

Schol. — *De «immaterialitate» sensuum* 87

Obiect. 89

Th. X. — Theoria specierum intentionalium minime obstat, quominus sensus externus immediate corpus externum attingat 90

Schol. I. — *De sensibilibus propriis* 93
Schol. II. — *De medio «in quo»* 97

Th. XI. — Sensatio externa exercetur in propriis sensuum organis 102

Schol. I. — *De lege energiae specificae sensuum* 107
Schol. II. — *De mensuratione sensationum* 109

Cap. IV. — De sensibus internis.

Th. XII. — Existit in animali sensus communis a sensibus externis distinctus, qui inter sensibilia disparata discernit eaque ad repraesentandum idem obiectum externum colligit 110

Schol. I. — *Quomodo sensus communis attingat sensibilia propria sensuum externorum?* 114

Obiect. 115

Th. XIII. — Sensus intimus, qui operationes sensitivas comitatur, non videtur esse «generale attributum» sensationum externarum nec sensatio muscularis, sed speciale munus sensus communis 117

Schol. I. — *De sensu fundamentali* 123

PAG.

Th. XIV. — Animalia bruta phantasia praedita sunt . . . 126
Schol. I. — *De relatione inter phantasma et sensationem* . . 127
Schol. II. — *De associatione imaginum* 129

Th. XV. — Animalia bruta praedita sunt vi aestimativa seu instinctu 133
Schol. I. — *De instintu in homine* 142

Th. XVI. — Non est deneganda animalibus brutis memoria proprie dicta 144
Schol. I. — *Quomodo memoria sit in sensu et quomodo in intellectu* 147
Schol. II. — *De reminiscentia* 148
Schol. III. — *De distinctione sensuum internorum* 148
Obiect. 149

Cap. V. — De appetitu sensitivo.

Th. XVII. — Existit in animali appetitus, qui est facultas organica a vi cognoscitiva distincta 152
Schol. I. — *De organo appetitus sensitivi* 155
Schol. II. — *De «attractione» boni* 156
Schol. III. — *De delectatione et dolore* 157
Schol. IV. — *De emotionibus* 160
Schol. V. — *De differentia passionum* 160
Obiect. 162

Cap. VI — De vi motrici.

Th. XVIII. — Vis motrix realiter ab appetitu distinguitur . 163

LIBER III.

De vita intellectiva.

Cap. I. — De intellectu.

§ 1. — *De intellectu in genere.*

Th. XIX. — Intellectus, quo homo praeditus est, essentialiter superat sensibilitatem 168
Coroll. — *Obiectum intellectus est «quidditas (essentia) rei»* 178
Obiect. 178

PAG.

Th. XX. — Obiectum proprium intellectus nostri in statu coniunctionis cum corpore est quidditas rerum sensibilium 180

Coroll. — *Obiectum intellectus et obiectum sensus* 184

Th. XXI. — Inter omnia animalia solus homo facultate intelligendi est praeditus. Et in hac facultate intelligendi reponenda est primaria hominis a belius differentia . . . 182

Schol. I. — *Regulae tenendae in solvendis obiectionibus* . . 189

Obiect. 190

§ 2. — *De origine idearum.*

Th. XXII. — Admitti non potest systema Ontologismi, quod cognitionem intellectivam ex intuitu essentiae Divinae derivat 194

Coroll. — *De necessitate speciei intelligibilis* 200

Obiect. 200

Th. XXIII. — Systema idearum innatarum multis de causis reiciendum est 203

Obiect. 208

Th. XXIV. — Admitti non potest systema Traditionalismi . 210

Schol. — *De origine loquelae* 216

Obiect. 217

Th. XXV. — Intellectus humanus accipit a rebus sensibilibus ideas suas primitivas ope specierum intelligibilium impressarum, quae influxu activo tum intellectus agentis — spiritualis facultatis animae — tum phantasmatis producitur 218

Schol. I. — *De distinctione inter intellectum agentem et possibilem* 227

Schol. II. — *De passivitate intellectus patientis* 227

Schol. III. — *De illuminatione propria intellectus agentis* . . 228

Schol. IV. — *In productione speciei intelligibilis phantasma concurrit tamquam causa subordinata.* 230

Schol. V. — *De «abstractione» intellectus agentis* 230

Obiect. 231

§ 3. — *De intellectione in se spectata.*

PAG.

Th. XXVI. — Intellectus intelligendo format in se naturaliter speciem expressam, cui ratio verbi proprie convenit, et quae est « medium in quo » ipsa res ab intellectu attingitur 235

SCHOL. I. — *Utrum in visione beatifica producatur verbum* . 241

SCHOL. II. — *Utrum omni actione producatur terminus* . . . 242

SCHOL. III. — *De habitudine verbi (speciei expressae) ad intellectionem actualem* 247

Th. XXVII. — In homine cognitio intellectualis per prius circa universalia et non circa singularia versatur 249

SCHOL. I. — *De modo, quo intellectus cognoscit singularia* . 257

SCHOL. II. — *Utrum intellectus prius cognoscat magis universale quam minus universale* 260

Obiect. 262

Th. XXVIII. — Animae intellectivae non est deneganda memoria 264

SCHOL. I. — *Utrum memoria intellectiva realiter distinguatur ab intellectu necne?* 266

SCHOL. II. — *Quomodo memoria intellectiva attingat praeteritum* 266

SCHOL. III. — *Quomodo anima seipsam intelligat?* 266

SCHOL. IV. — *De conscientia intellectiva* 267

SCHOL. V. — *De variis denominationibus facultatis intelligendi* 269

CAP. II. — DE VOLUNTATE.

§ 1. — *De voluntate in genere.*

Th. XXXI. — Existit in homine voluntas seu facultas, qua bonum intellectu apprehensum vitaliter appetitur . . . 270

COROLL. I. — *De definitione voluntatis* 273

SCHOL. I. — *De intellectualismo et voluntarismo* 273

SCHOL. II. — *De affectibus spiritualibus* 274

Th. XXX. — Voluntas potest quidem in quibusdam actibus elicitis — speciatim quoad beatitudinem in communi — subiacere necessitati, non autem coactioni. In actibus vero imperatis pati potest coactionem 275

§ 2. — *De libero arbitrio.*

PAG.

Th. XXXI. — Voluntas humana praedita est libertate arbitrii . . . 284
COROLL. — *De libertate, quam Deterministae proclamant.* . . . 293
SCHOL. I. — *De statistica morali* 293
SCHOL. II. — *De libertate in statibus psychologicis abnormalibus* 295
Obiect. 296

Th. XXXII. — In concursu diversorum bonorum voluntas humana non fertur necessitate antecedenti in id, quod tamquam melius apprehenditur 299
SCHOL. I. — *De iudicio practico* 303
SCHOL. II. — *De praemotione physica praedeterminante* . . . 307

CAP. III. — DE HABITU.

Th. XXXIII. — Potentiae rationales acquirunt exercitio actuum habitus 311
Obiect. 316

CAP. IV. — DE ANIMA INTELLECTIVA.

§ 1. — *De anima intellectiva in se spectata.*

Th. XXXIV. — Anima intellectiva est substantia, quae sub actibus psychicis identice permanet 318
SCHOL. I. — *De somno* 329
SCHOL. II. — *De conscientia hysterica* 335
SCHOL. III. — *De hypnosi* 340
Obiect. 344

Th. XXXV. — Anima intellectiva est spiritualis 346
SCHOL. I. — *De possibilitate materiae cogitantis* 351
Obiect. 352

Th. XXXVI. — Anima intellectiva est simplex 356
Obiect. 359

Th. XXXVII. — Anima intellectiva est immortalis natura sua et de facto in aeternum vivet 362

PAG.

Coroll. I. — *De anima separata* 377
Coroll. II. — *De locutione spirituum* 380

Schol. I. — *De potentiis sensitivis in anima separata* . . 380
Schol. II. — *Possitne corpus humanum dici instrumentum animae intellectivae* 381

Obiect. 382

Th. XXXVIII. — Anima intellectiva a Deo creatur 387

Coroll. — *Evolutio quoad animam repugnat* 393

Scol. I. — *Anima humana creatur in ipso corpore, quod nata est informare* 393

Obiect. 394

Th. XXXIX. — Systema Reincarnationis, philosophice consideratum, prorsus reiciendum est 396

Schol. I. — *De causis successus theoriae reincarnationis* . 407
Schol. II. — *Sitne iudicium asserens reincarnationem iudicium « sensus communis »* 407
Schol. III. — *De argumentis theologicis pro reincarnatione* . 408

§ 2. — *De unione animae et corporis.*

Th. XL. — Systema parallelismi psychophysici ad explicandam unionem animae et corporis propositum plane reiciendum est 409

Schol. I. — *De systemate causarum occasionalium* 415
Schol. II. — *De systemate « harmoniae praestabilitae »* . . . 416

Th. XLI. — Anima rationalis ita cum corpore coniungitur, ut ex utriusque unione unum ens substantiale exgurgat proindeque anima rationalis sit vere ac proprie forma substantialis 417

Corol. I. — *Definitio animae intellectivae* 423
Corol. II. — *De theoriis « influxus physici » et « commixtionis virium »* 423
Corol. III. — *De theoria « mediatoris plastici »* 424
Corol. IV. — *De theoria Rosmini* 425

Schol. I. — *De inaequalitate animarum intellectivarum* . . 425

Obiect. 426

PAG.

Th. LXII. — Unica est in homine anima — principium vitae intellectivae, sensitivae, vegetativae 427

Corol. I. — *De virtuali distinctione animae intellectivae, sensitivae et vegetativae* 432
Coroll. II. — *De forma corporeitatis* 433

Schol. I. — *De sensu definitionis Concilii Viennensis* . . 435
Schol. II. — *De forma cadaverica* 437
Schol. III. — *De sede animae* 438
Schol. IV. — *De subiecto ad animam rationalem recipiendam apto* 439

Obiect. 441

§ 3. — *De origine vitae.*

Th. LXIII. — Corpus vivens nonnisi via generationis naturalis oriri potest; quare reicienda est generatio spontanea . 442

Schol. I. — *De sententia Scholasticorum* 447
Schol. II. — *De sententia S. Augustini* 448

§ 4. — *De origine specierum viventium.*

Th. XLIV. — Transformatio materialis unius speciei in aliam nullo solido argumento nititur 448

Th. XLV. — Transformismus anthropologicus, qui docet genus humanum ortum esse mera evolutione alicuius speciei beluinae, nullo modo admitti potest 465

Schol. I. — *De unitate generis humani genealogica* 476
Schol. II. — *De antiquitate generis humani* 477

Index Nominum et Rerum 479

Errata 503

A. M. D. G.

INTRODUCTIO.

1. Nomen. — Nomen « psychologiae » est quidem ex lingua graeca formatum, attamen ignotum fuit ipsis Graecis, qui loqui consueverant: περὶ ψυχῆς (scil. λόγος, ἐπιστήμη). Quandonam prima vice hoc nomen introductum sit, non est certum. Dum alii affirmant illud iam a discipulis Rabani Mauri (saec. IX) usurpatum esse, alii asserunt hoc nomen esse formatum a professore Marburgensi *Rudolfo Goclenio*, qui anno 1590 edidit opus: « ψυχολογία, h. e. de hominis perfectione, anima et imprimis ortu ».

Nomen « psychologia » compositum est ex vocabulis ψυχή et λόγος ad imitationem nominis « theologia » communiter in philosophia recepti inde a Platonis temporibus.

2. Obiectum materiale — Cum per nomen ψυχή (anima) Scholastici, Aristotelem secuti, intelligant *principium vitae* in corporibus, *obiectum materiale* psychologiae sensu scholastico acceptae comprehendit omnia corpora, quae *rationem vitae* participant: plantam, animal brutum et hominem.

Attamen hodie non tantum fere omnes Psychologi non scholastici, sed etiam non pauci e scholasticis *obiectum* psychologiae restringendum esse putant *ad solas actiones conscias*; proindeque totum tractatum de *vita vegetativa* ad cosmologiam remittunt. Imo non desunt, qui — sub influxu praesertim theoriarum mechanisticarum, considerantium animalia tamquam meras « machinas », — etiam ipsa animalia e psychologia pellunt eaque obiectum faciunt proprium scientiae cosmologicae (Ita v. g. Cartesius).

Quemadmodum decursu tractatus nostri clarissime apparebit, consideratio animalium brutorum prorsus immerito e psychologia excluderetur: animalia enim, ut suo patebit loco, manifestissima dant signa conscientiae.

Utrum autem iuremerito » psychologia plantarum » a scholasticis tractetur, lis est potius de verbo. Utique, si vellent Scholastici *terminologiae modernae* se fideliter conformare, deberent e medio tollere nomen « psychologiae plantarum » et solummodo de earum « biologia » loqui: plantae enim — quemadmodum postea demonstrabimus — non habent animam (ψυχή) sensu modernorum intellectam (« principium actionum consciarum »), sed tantum simpliciter principium « vitae » (βίος).

Sed quid obstat, quominus vestigia totius Scholae premendo terminologiae Aristotelicae adhaereamus atque adeo vocabulo « animae » significationem suam *primitivam* retineamus, intelligendo per eam « principium vitae » in genere? Usus ipse *vocabuli* « anima » ad designandum tum principium vitae in planta tum principium operationum psychicarum in homine et animali nullum praeiudicium affert specificae differentiae (immo differentiae ordinis), quae intercedit inter regnum plantarum ex una parte et ex altera parte regnum hominum et animalium, dummodo memoria teneatur — quod data occasione ostendetur — animam plantarum *essentialiter* (immo etiam ordine) differre ab anima, prouti haec est in homine et animali radix activitatis psychicae.

Usus antiquorum, qui quodcumque principium vitale nomine « animae » designabant, etiam positive iustificatur; nam 1) principium vitale in homine (resp. in animali bruto) — quemadmodum mox videbimus — est realiter *identicum* cum anima, quae est principium operationis psychicae in homine (resp. in animali); 2) inter operationes, quae principium vitale in planta exequitur, et actiones psychicas in homine (animali) summa apparet *analogia*, et quidem in re, quae praecise maximi est momenti pro investigationibus scientificis, scil. in *finalitate*; 3) hoc modo totum problema vitae reducitur ad synthesim scientificam summa gaudentem comprehensione et *unitate*. (Cf. opus nostrum: *La Psychophysique Humaine d'après Aristote*, Paris, Alcan 1930, pag. 36-42).

3. Obiectum formale. — Hisce, quae modo diximus, positis, facile iam *obiectum formale* Psychologiae eruitur. Re enim vera, cum obiectum formale intelligatur communiter: *ra-*

tio, sub qua obiectum materiale a cognoscente attingitur, obiectum formale Psychologiae erit *ratio vitae*, quae aeque in plantis, ac in animalibus brutis et homine (licet diverso in gradu ac perfectione) elucet.

4. Cum omnis scientia ex natura sua inquirat *causas*, et cum hae duplicis possint esse ordinis: proximae videl. et ultimae, hinc fere iam *a priori* iustificari potest existentia duplicis Psychologiae: *Psychologiae experimentalis*, quae causas proximas operationum vitalium inquirit, et *Psychologiae metaphysicae*, quae earumdem causas ultimas scrutatur. Dum prior est tantum «science, Wissenschaft, nauka przyrodnicza» — sensu modernorum sumenda haec verba! — posterior constituit partem *metaphysicae* sensu presso intellectae.

Sed quemadmodum practice fieri vix potest — experientia teste — ut quis in *solis* causis proximis vitae inquirendis semper fideliter perseveret et nunquam causas remotiores attingere conetur, ita etiam qui causas vitae ultimas inquirit, necessatio causas proximas vitae considerat. — Hoc ultimum vel eo magis evenit, quod causarum proximarum uberior cognitio profundiorem ac pleniorem etiam praestat notitiam causae ultimae. Quo fit, ut *Psychologia metaphysica* habeat Psychologiam experimentalem pro sua scientia «auxiliari» maximi momenti.

LIBER I.

De viventibus in genere.

THESIS I.

In corpore vivente admittendum est unum radicale activitatis principium, quod suo influxu communes materiae vires ad procurandum proprium viventis finem stabiliter dirigit.

1. Omnes homines vel maxime inculti apprime distinguunt inter corpora *artefacta* et corpora *naturalia*. Per priora intelligunt ea omnia, quorum existentia ingenio humano debetur, ut sunt: domus, statua, aliaque id genus; per posteriora vero illa, quae etiam independenter ab artificio humano in rerum natura existunt, ut sunt e. g. ferrum, rosa, canis, etc.

Corpora naturalia iterum dividi solent communiter in *viventia* (lilium, leo, etc.) et *non-viventia* (ferrum, aurum, acqua, etc). Corpora viventia a non-viventibus *aliquo modo* inter se differre communiter inter homines constat; comparando enim entia viventia cum non-viventibus facile ab omnibus apprehenduntur plura notabilia discrimina inter ipsa:

1) ratione *structurae*: corpora viventia habent multas ac diversas inter se partes, diversis functionibus exercendis destinatas (v. g. radices, folia etc. in arbore; cor, pedes etc. in animali). Partes hae tam mirabiliter bono entis viventis inservire cernuntur, ut non videantur hominibus esse nisi instrumenta seu « organa » eius. Unde etiam corpus vivens nomen « organismi » nactum est.

E contra, corpus non-vivens constat partibus adeo homogeneis, ut unaquaeque earum eandem possideat naturam ac totum, proindeque eandem praedicationem ac totum suscipiat: fragmentum ferri vocatur aeque ferrum ac id, cuius est fragmentum. Unde etiam corpus non–vivens vocari solet corpus « anorganicum ». (*Pars* canis non potest tamen vocari simpliciter canis, sed *oculus* canis, *pes* canis etc.!).

2) Ratione *ortus*: causa, quae producit corpora viventia, est *univoca*: canem producit non leo sed canis. Causa vero, quae generat corpus non-vivens, est *aequivoca*: v. g. aqua generatur a Hydrogenio et Oxygenio.

3) Ratione *evolutionis* (incrementi): anorganica aut nullo modo augentur aut augentur per meram *iuxtapositionem* seu accessum partium ad partes. Organica vero augentur non mera appositione nutrimenti ad corpus organicum, sed per s. d. *intosusceptionem*, qua videl. nutrimentum ab organico *suscipitur intus* et propria eius activitate in eius substantiam convertitur seu « assimilatur » assimilatumque singulis organis pro mensura proportionata distribuitur. Hoc tantum modo organicum inde a « prima cellula » ad formam perfectam propriam suae speciei pervenit.

4) Ratione *compositionis chimicae*. — Verum quidem est nullum adesse elementum chimicum, quod esset *proprium solius* corporis organici; immo verum quidem est elementa, quae ex corpore organico ope analysis chimicae educuntur, esse elementa, quibus praecipue natura anorganica abundat (C, H, O, N, S, Ph, Cl, Ka, Ca, Mg. Fe); attamen haec elementa adeo complicatas syntheses in organicis constituunt, ut *naturaliter* nonnisi in ipsis solis oriantur: unde etiam nomen: « syntheses organicae » (albumin., lipoid., hydrocarbon.; insuper lecithinum, chloresterinum, ureid., varia acid. organ. etc.). Ut hae syntheses extra organismum producantur, opus est ingenio *humano* et quidem acuto (in laboratoriis chimicis).

Insuper cum syntheses carbonicae (quae maximas agunt partes in processibus organicis!) sint fere omnes (solum enim excipitur acid. carbon.!) combustibiles, ideo fit, ut propter contactum cum oxygenio (ut plurimum per inspirationem suscepto) corpora viva — secus ac mineralia — continuis processibus chimicis: analyticis et syntheticis irrequiete volvantur (*aequilibrium instabile*).

5) Ratione *activitatis*: Corpora viva suis propriis operationibus (v. g. nutritione, auctione) seipsa perficiunt, pro seipsis laborant. Corpora non viva perficiunt alia, pro aliis laborant.

6) Ratione *durationis*: corpora organica, plena evolutione acquisita, ex interna existentiae suae conditione *depe-*

reunt ac dissolvuntur. Anorganica vero in indefinitum existere pergunt.

Solum etiam ens vivens habet propriam « historiam » suae existentiae, cum solum *inscribat* in suo organismo facta, quae vixit.

2. At *controversia* acerrima inter viros scientiae incipit, ubi de assignando *fundamento ontologico* harum differentiarum inter entia viventia et non viventia agitur.

THEORIA MECHANISTICA tenet manifestationes vitae — saltem illius, quae « vegetativa » dicitur — posse adaequate explicari per vires, quae propriae sunt corporis, qua talis, seu vires physicas vel chimicas apte ope « organizationis » in corpore dispositas.

Sententia mechanistica hoc modo *generali* enuntiata in pluribus formis decursu temporum erat proposita:

1) theoria *stricte mechanica* Cartesii: corpus philosophice spectatum non est nisi determinata quaedam pars extensionis, quae qua talis, nullis *viribus* vere intrinsecis est praedita; tota eius activitas consistit in eo, quod motu locali ab extrinsecus recepto agitatur; activitas s. d. « vitalis » non alius est conditionis; organismus non est nisi quaedam machina. — Cartesium sequuntur Borelli (1608–1679), Claude Perrault (1680), Thomas Hobbes (1588–1679), Emile Dubois-Reymond, F. Classen etc.

Theoria stricte mechanica vocari solet per antonomasiam th. mechanistica.

2) theoria *latiori sensu mechanica* assumit ad explicanda phaenomena vitae non merum motum localem, sed insuper *alias* vires physico-chemicas:

a) mechanicismus *primitivus antiquorum* recurrit ad vim ignis (Democritus, Leucippus), ad vim aëris inspirati (Diogenes), vaporis (Heraclitus), aquae (Hippon), sanguinis (Critias) vel plurium elementorum simul angetium (Empedocles);

b) *theoria biogenica* vitam per influxum s. d. materiae « biogenae » (βίος = vitae; γίγνειν = generare) explicat. Materia haec quoad intimam naturam suam prosus ignota — est enim non experimentis evicta, sed mere hypothetice statuta — supponitur praedita summa complicitate moleculari

(quae similis est complicitati, quae propria est corporum albumin.), ex qua vis essentialiter activa seu « directiva », exurgit, quae omnes processus vitales gubernat.

c) *organicismus:* causa operationum vitalium praecipua quaerenda est in ipsa *organizatione*, qua fit, ut novae s. d. « virtutes organicae » in corpore vivo oriantur, quae in se nihil sunt aliud nisi « *resultantes* virium mechanicarum et chemicarum » (Tongiorgi).

3. Scopus thesis: ostendere insufficientiam mechanismi ad explicanda phoenomena vitalia, atque vindicare necessitatem s. d. « principii vitalis », seu unius radicalis principii activitatis, quod influxu suo communes materiae vires ad procurandum proprium entis viventis finem stabiliter dirigit.

Explicantur termini: « Unum » : — ut excludantur theoriae, quae phaenomena vitalia repetunt a pluribus principiis quocumque tandem modo in organismo dispositis.

« Radicale » : agitur enim in thesi de assignanda causa actionum non qualicumque, sed ultima ac fundamentali. Plures causas *proximas* in corpore organico minime negamus, immo expresse suo loco vindicabimus; hae tamen non sunt quid aliud nisi *organa*, quibus operationes vitales executioni mandantur.

« Influxu suo » : principium enim vitale intelligitur causa proprie dicta, hinc *causa per se* seu causa, quae ad phaenomena vitae producenda est inclinata a natura sua tamquam in finem suum naturalem.

« Ad producendum proprium viventis finem stabiliter dirigit » : principium vitale influxu suo, quem in vires physicas–chemicas exercet, reddit eas *pares* producendi actiones vitales.

Nondum tamen in thesi praesenti determinare intendimus, *cuiusnam generis* sit hic influxus (causae efficientis, an finalis, an formalis, an materialis). De hoc postea, ubi de *natura* principii vitalis sermo erit nobis.

4. Quod *methodum* procedendi attinet, bene notandum est nos hac in thesi minime *supponere* corpora organica vere *immanenter* operari; secus adesset in thesi circulus vitiosus. Operatio enim vere immanens involvit ens, quod ita operatur,

non esse merum aggregatum, sed ens per unum. Sed hoc ultimum est praecise obiectum controversiae, de qua thesis praesens.

Probatur thesis.

Assignanda est causa proportionata seriei constantis operationum multiplicium et quidem ita ordinatae, ut ex ea tum bonum individui tum bonum speciei resultet.

A. — Talis causa proportionata non potest esse nisi principium vitale supra definitum. *E.*

Mai. — Patet. — Nihil enim fit sine causa et quidem proportionata.

Min. probatur. — Operationes vitales explicari debent aut ope adiunctorum externorum aut ope immediatae actionis Divinae aut ope organisationis, aut tandem ope unius principii specialis seu s. d. principii vitalis.

A. — Nullo ex dictis 3 primis modis explicantur phaenomena vitalia.

E. — Ope principii vitalis.

Min. ultim. probatur per partes.

I) *Operationes vitales non explicantur ope adiunctorum externorum:* — Nam in *iisdem* adiunctis externis observantur *diversae* actiones vitales pro diversitate viventium (v. g. ova a diversis animalibus eodem loco promiscue deposita prorsus diverso modo evolvuntur...); et viceversa in *diversis* adiunctis observantur saepe eaedem actiones vitales.

Aliis verbis: dantur typi organici diversi in adiunctis iisdem et typi iidem in adiunctis diversis.

II) *Operationes vitales non explicantur ope immediatae actionis Divinae:* — Nam:

a) non est recurrendum ad causam primam, ubi sufficiunt causae secundae;

b) sententia asserens contrarium ducit logice ad *pantheismum* vel saltem *occasionalismum.* In pantheismum — nam denegata viventibus propria activitate possumus ipsis denegare etiam propriam substantialitatem — nam « agere sequitur esse ». In occasionalismum — ut terminos intelligenti patet.

III) *Operationes vitales non explicantur ope organisationis virium physico-chemicarum.*

1) Organisatio, qua talis, non mutat, ut ipsi adversarii aiunt, naturam intimam elementorum. Sed si ita est, activitates eorum non sunt essentialiter diversae ab activitatibus anorganicorum.

A. — Operationes vitales sunt essentialiter diversae ab activitatibus anorganicorum. E.

Ad min. ult.: *a*)— Operationes singulorum organorum entis viventis singularem quamdam *conspirationem* in bonum totius evidenter manifestant: v. g. nutrimentum, quod ab *uno* tantum organo suscipitur atque activitate eius elaboratur, non cedit in bonum huiusce solius organi, sed in bonum totius atque *omnibus* partibus pro mensura exigentiae apte distribuitur. — *b*) In penuria nutrimenti speciali modo providetur bono illius organi, quod ad subsistentiam entis viventis magis est *necessarium* (ut ostendunt scientiarum periti. Cf. Driesch, Reinke etc.). — *c*) Eadem conspiratio activitatum singularum partium in bonum totius apparet etiam in activitate, qua pars aliqua *laesa regeneratur*: contra venenum, quod forte unam tantum organi partem affecit, elaborantur ab aliis organis antitoxina ac parti aegrotae transmittuntur; organismi inferiores mutilati non raro in statum potentialem redeunt, ut organismum perfectum de novo forment. Et ita porro.

2) Paenomena, quae ab organisatione, qua tali, pendent, non possunt versari circa ipsam organisationem constituendam seu efficiendam.

A. — Phaenomena vitalia versantur saepe praecise circa ipsam organisationem constituendam.

E. —

Prob. min.: — *a*) Phaenomena, quae apparent in embryone, tendunt praecise ad ipsam organisationem *constituendam* ita, ut unumquodque stadium evolutionis ad libitum sumptum, appareat ex una parte iam *praeparatum* a stadio praecedenti, ex altera parte praeparans stadium subsequens. — *b*) Embryon in plures partes divisum, in totidem individua perfecta (licet minoris molis) evolvi potuit (Driesch). Factum hoc explicari non potest ope organisationis, qua talis. Huic enim repugnat

eundem effectum *eodem modo* continere ac qualibet eiusdem organisationis pars!

Ergo non remanet nisi ut admittatur in ente vivente speciale aliquod principium, quod vires physico-chemicas ad finem proprium entis viventis stabiliter dirigit.

Schol. I. — Argumenta nostra valent non modo quoad cyclum vitalem *totaliter* inspectum, sed etiam quoad omnia et *singula* stadia huius cycli; nam semper eadem apparet disproportio inter operationes vitales et causam, qualem mechanicistae assignant.

Schol. II. — *Principium conservationis energiae.*

Contra principium vitale arguunt nonnulli ex principio *conservationis energiae* (invento a Roberto Meyer, Joule et Helmholtz), secundum quod in mundo nec producitur ulla nova energia nec perit; in processibus physico-chemicis tantum *qualitas* energiae mutatur, minime *quantitas*. — Rubner et Atwater ostenderunt energiam, quam organismus ab extra recipit, aequalem esse energiae, quae ab eo exit sub quacumque tandem forma (laboris, caloris tum externi: radiationis, tum interni: processus combustionis alimentorum, etc.).

Resp.: Lex conservationis energiae:

1) Non est principium *analythicum* (universale, necessarium), sed proponitur a viris scientiarum peritis tamquam principium mere *syntheticum* in sola videl. experientia fundatum. —Quo fit, ut philosopho non incumbat onus *omnem conflictum* cum lege conservationis energiae *omni pretio* vitare; ubi thesis *philosophice* est certo probata, principium conservationis, quod forte ei obstaret, cedere debet.

2) Si principium conservationis energiae quem valorem habet, habet eum ibi, ubi experimento est detectum; – hinc ubi de causalitate *mutua* inter *corpora* agitur. Utrum autem principium conservationis energiae etiam ibi suum valorem retineat, ubi una ex viribus agentibus non est « corporalis », prorsus incertum est.

3) Plurimi fautores principii vitalis proponunt varias hypotheses ad ostendendum ipsius activitatem bene componi posse cum principio conservationis energiae (ipsum non « addit » vires, sed mere eas « dirigit ». Cf. L. Busse, Geist und Körper, Seele und Leib).

4) Sed quidquid sit de valore harum hypothesium, certum est scholasticos evitare conflictum cum principio conservationis energiae propter specialem *naturam* principii vitalis, quae non agit « energetice », ut thesi sequenti dicetur.

OBIECTIONES.

1) *Chemici in laboratoriis obtinuerunt per meram synthesim elementorum chimicorum substantias organicas.*
E. Speciale principium, de quo thesis, superfluum est.

Rs. Dst. Antc. — Chemici . . . . . organicas *sensu presso* sumptas i. e. *viventes* N.
Organicas *sensu latiori* sumptas C.

Expl. — In laboratoriis chimicis productae iam sunt multae combinationes elementorum, quae nonnisi in *solo* ente vivente *naturaliter* oriuntur. — Attamen numquam hae combinationes a chimicis productae dederunt signa vitae. — Quare si vocantur « organicae », aequiparandae sunt combinationibus, quae etiam in cadavere adesse possunt, atque adeo *organicae sensu latiori* dicendae sunt.

Adde insuper hasce ipsas combinationes non esse ortas sine ullo influxu principii vitalis. Nam ut combinationes in laboratoriis oriantur, opus est necessario sagacissimo labore (finali) *hominis;* non sufficiunt solae vires physico-chemicae. Ergo a pari: Etiam in planta adesse debet speciale principium agens finaliter.

2) *Non omnes vires physico-chemicae sunt notae et forte, scientiis progredientibus, invenietur vis aliqua materialis vel synthesis virium, quae rationem reddet phaenomenorum vitae.*

Rs. Dst. Antc. — Non omnes . . . . sunt notae *positive* C.; . . . *negative* N.

Expl. — Non cognoscimus omnes effectus, quoscumque vires physico-chemicae perficere poterunt, scientiis progredientibus. — Attamen certo affirmare possumus vires physico-chemicas numquam operationes *quasdam* perfecturas. — Elementa enim materialia, quippe quae regantur solis legibus physicis et chemicis, non possunt umquam rationem reddere *conspirationis* operationum in bonum totius seu finalitatis s. d. dynamicae. (Finalitas « statica » intelligi solet apta *partium dispositio,* quae utique elementis physico-chemicis non repugnat, at haec finalitas non sufficit ad vitam. Vita enim non est merus status sed *actio*).

3) *Quod nutritur et augetur et generatur, vivit.*

A. Crystallus nutritur et augetur et generatur.

E. Crystallus vivit.

PROB. MIN. — 1. *Crystallus — aeque ac organismus — assumit materiam extraneam sibique eam assimilat — Ergo « nutritur ».*

2. *Crystallus — aeque ac organismus — configurationem propriam speciei suae assumit — Ergo « augetur » augmento proprio viventi.*

3. *Crystallus — aeque ac organismus, qui originem ducit a cellula primigenia — incipit et ipse evolutionem suam a quodam nucleo primitivo — Ergo « generatur ». Addi potest etiam crystallum vulnera reparare aeque ac organismus.*

RS. DST. MAI. — Quod nutritur et augetur per *intosusceptionem*, quodque generatur per generationem *proprie dictam* C. Secus N.

CTDIST. MIN. — N. cons.

AD PROB. MIN. RS. ad 1. — Crystallus non proprie *assimilat* sibi materiam (ab extrinsecus receptam), sed eam mere *apponit* ad partes praecedentes.

RS. ad 2 et 3. — Crystallus *evolvit* se non per *internam* evolutionem nuclei primitivi, sed per appositionem novarum partium circa nucleum, quod iam ab initio habet formam suae speciei completam.

Tandem *vulnera reparat* crystallus per appositionem novarum partium ab *extrinsecus* et non per activitatem nutritivam ab *intrinsecus*.

4) *Ovum non fecundatum potest quandoque sub solo influxu stimuli mechanici vel chemici (percussionis mechanicae vel contactus cum determinata aliqua substantia) evolvi ad formam perfectam suae speciei (parthenogenesis artificialis). E.*

RS. DST. MAI. — Et hic influxus stimuli mechanici (resp. chimici) *dat excitationem* processui vitali C. Est *causa* propria ac ultima processus vitalis — N. Causa re vera est *interna* ipsi ovo, quod patet vel ex eo, quod in determinato ovo processus vitales eodem modo perficiantur licet stimuli mechanici fuerint diversi.

5) *Nulla analysi chimica detegi umquam potuit in vivente principium vitale, sed sola elementa physica-chimica. E.*

RS. C. ANTC. ET N. SUPPOSITUM, principium esse corpus (Cf. th. seq.).

6) *Ut experientia constat, quo perfectior est machina, eo maiorem perfectionem etiam attingit eius activitas. E. Forte aliquando machina adeo perfecta construetur, ut eius activitas perfectionem attingat actionis immanentis.*

Rs. Dst. Antc. . . . . eo maiorem perfectionem etiam attingat eius activitas, talem tamen, quae subiecta sit legibus actionis propriis *machinarum* C. Secus N. — N. cons.

7) *Experientia ostendit processus chimicos in organismis causari a s. d. enzymis (fermentis) E.*

Rs. Dst. Antc. . . . . tamquam a causis *proximis* (instrumentalibus) C., ultima ac *principali*. N. (Cf. etiam S. TH. I. P., q. 78, a. 1).

8) *Totum non potest plus efficere, quam partes.*

A. Partes organismi producunt singulae effectus mere materiales.

E. Etiam totum.

Rs. Dst. Mai. — Totum, quod est mera *summa* partium . . . Trans. Totum, quod est proprie *ens unum*, N.

C. min. — Dst. Cons.

9) *Principium vitale est realitas, quae a scientiis naturae non detegitur. Ergo est realitas supernaturalis.*

Rs. Dst. Mai. — Principium . . . . a scientiis naturae experimentalibus seu ope *instrumentorum* mechanicorum (v. g. microscopii) non detegitur C.; a scientia *metaphysica* non detegitur N.

N. cons. — Nam supernaturale non est id, quod transcendit *scientiam experimentalem*, sed *naturam totam*.

THESIS II.

Principium vitale est forma substantialis corporis viventis.

1. In thesi praecedenti egimus de *exsistentia* principii vitalis (quaestio: *an* sit). In thesi praesenti de eius *natura* tractabimus (quaestio: *quid* sit).

2. Sententiae. — 1. *Mechanicismus primitivus antiquorum:* principium, quod operationes vitales in corpore organico dirigit, est *speciale* quoddam *corpus:* ignis, aër, vapor, aqua, sanguis, vel eorum complexus. Plures fautores huius sententiae fundabant opinionem suam in « principio motus »: quidquid movet, aiebant, debet et ipsum esse in motu. Sed principium vitale movet corpus. Ergo: Debet et ipsum esse

in motu. Sed rursus: Quidquid est in motu, constat materia. Ergo . . . . (Cf. Arist. De An. 403 b. 29-31).

2. Theoria «*biogenica*»: phaenomena vitalia explicantur ultimatim per materiam «biogenam». Cf. thesim praeced.

3. *Vitalismus:* phaenomena vitae non possunt sufficienter explicari per solas vires physico-chemicas, quocumque tandem modo inter se aggregatas; admittenda est necessario quaedam *vis specialis* a viribus communibus materiae brutae diversa.

Hoc caput doctrinae omnes vitalistae uno ore profitentur. Attamen statim ac de determinatione ulteriori positiva «vis vitalis» agitur, in plures ac diversas abeunt partes.

a) *Vitalismus antiquus*. *Albert Haller* expugnando «animam insciam» G. E. Stahl'i posuit primus «vim vitalem», quae videtur consistere in vi contractibilitatis et irritabilitatis. — G. Frid. *Wolff* admisit plura principia evolutionis pro plantis et animalibus, inter quae eminet «vis essentialis», quae, ut videtur, est vis *attractiva*. — Joh. Frid. *Blumenbach* admittit plures vires vitales: contractibilitatem, irritabilitatem, sensibilitatem et s. d. *nisum formativum*, qui organisationem producit. Vitalismum tenebant etiam — saltem per aliquod tempus — G. R. *Treviranus*, Alex. *Humboldt*, Justus von *Liebig*, Arthur *Schopenhauer*.

Vitalismus antiquus finit existentiam suam medio saeculo XIX propter oppugnationes factas non tantum a scholasticis, sed etiam — et praecipue — a H. Lotze, Rud. Wagner, Emile Dubois-Reymond, Claude Bernard.

Pro Vitalismo antiquo vis vitalis est, ut plurimum, vis *quantitativa* (Wolff, Treviranus, Müller), immo *mensurabilis* (Liebig); agit *energetice* (secundum alios caece et necessario, secundum alios finaliter et per cognitionem).

b) *Neo-Vitalismus* non est simpliciter antiquus vitalismus «resuscitatus», ut nomen (a G. E. Rindfleisch inventum) videtur prima fronte innuere, verum potius *reactio* orta circa an. 1850 contra mechanicismum. Non est doctrina homogenea, sed *complexus* plurium doctrinarum, quarum praecipua nota communis haec est: agnoscunt teleologiam in organicis, quam conantur explicare ope factorum «sui generis»: ideae (K. G. Schneider) vel «virium superiorum dirigentium et ordinantium» (leitende und ordnende Oberkräfte), quae

sunt immateriales, supraindividuales, inconsciae (Ed. v. Hartmann), vel « virium dominantium » (die Dominanten), quae nec ex una parte sunt « energeticae » nec ex altera parte psychicae (Ioh. Reinke), vel « entelechiae » (H. Driesch).

4. *Animismus:* Principium vitale est anima, quae ab Aristotele (An. 412 a 27–28; 412 *b* 5) definitur: actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis.

Explicantur singuli termini definitionis:

1. « Actus » (ἐντελέχεια), ut distinguatur ex una parte a materia, ex altera a composito (An. 412 a 20–21).

2. « Primus » (seu substantialis), ut distinguatur ab actu « secundo » (seu accidentali), qui dat « esse secundum quid » et non « esse simpliciter » (An. 412 a 22 sqq.).

3. « Corporis physici » i. e. nec mathematici nec artificialis, sed talis, quod, qua tale, in rerum natura (φύσις) existit, seu corporis naturalis (An. 412 a 11–12).

4. « Corporis » i. e. sive materiae primae, quae, qua talis, *nullam* habet *formam*, sive materiae *informatae* quidem gradu *corporeitatis*, attamen informatae ab *eadem* anima, sed spectata secundum munus inferius, quod est ipsi commune cum omni forma substantiali.

5. « Organici » seu organisati (cf. th. I, 1).

6. « Potentia vitam habentis » i. e. habentis in potentia actuale exercitium functionum vitalium (An. 412 a. 22 sqq.).

Verba « actus primus corporis physici » constituunt in definitione genus; verba vero reliqua differentiam specificam. Per prima enim convenit anima cum omnibus formis substantialibus; per reliqua vero differt ab iisdem.

Praeter hanc definitionem traditur ab Aristotele etiam alia: *Anima est id, quo primo vivimus, sentimus et intelligimus.* Definitio haec effertur per respectum *ad operationes*, quae ab anima natae sunt procedere. Operationes tamen hae non sunt hic sumendae cumulative, sed *disiunctive*, ita videl. ut anima intelligatur esse principium primum internum, ex quo vel *una* ex operationibus dictis procedat.

Utraque definitio est essentialis; sed prima fit per *subiectum* proprium, ultima per effectum *formalem* primarium. Anima enim est forma. Sed forma potest duplici modo explicari: *a*) indicando subiectum proprium; *b*) indicando, quid ipsa formaliter (sua praesentia) in subiecto suo efficiat.

3. Scopus thesis: vindicare animismum Aristotelicum, quem communiter tenet Schola, et qui, ut facile patet consideranti, non est nisi quaedam *specialis* forma doctrinae vitalisticae.

4. Methodus procedendi. Argumentationem totam in tribus passibus perficiemus:

a) Principium vitale est substantia.
b) Principium vitale est substantia incompleta.
c) Principium vitale est forma.

Utrum autem haec forma substantialis informet materiam primam (id est materiam sine ullo actu, seu sine ulla forma), an materiam secundam (i. e. possidentem iam aliquem actum, formam), quaestionem hanc in alia thesi solvemus.

Probatur thesis.

Pars I. — Principium vitale est substantia.

Principium vitale tribuit corpori vivo speciem propriam.

A. Non posset corpori vivo tribuere speciem propriam, nisi esset substantia.

E. Principium vitale est susbstantia.

Ad Mai.: Illud tribuit corpori vivo speciem propriam, quod est radix ac fons ultimus et internus operationum eius propriarum.

A. Radix et fons ultimus et internus operationum propriarum entis viventis est principium vitale (ut patet ex th. I).

E. Principium vitale tribuit corpori vivo speciem propriam.

Ad Min.: Principium vitale non posset corpori vivo tribuere speciem propriam, nisi esset substantia:

Si enim esset accidens, tunc *a)* produceret operationes proprias entis viventis in virtute non *sua,* sed *alterius.* Accidens enim, sicuti non virtute sua (non per se) existit, ita nec virtute sua operatur. Sed quod non virtute sua propria operatur, non est ultimum principium operandi, ut patet. Quod autem non est *ultimum* principium operandi, nec potest enti tribuere speciem; species enim fundatur in essentia, quae est realiter idem ac natura, quae intelligitur praecise « *ultimum* principium operandi... » — *b*) nec generatim

operationes corporum viventium possent differre tam profunde (essentialiter) ab operationibus non viventium sicut reapse differunt (Cf. th. I, § 1 et arg.). *Cons.* patet ex principio: Agere sequitur esse.

II Pars. — Principium vitale non est substantia completa.

Omnis substantia *completa* est aut spiritus aut corpus.
A. Principium vitale nec est spiritus nec corpus.
E. Principium vitale non est substantia completa.
Prob. min. per partes:

1. *Principium vitale non est spiritus.*

Praenoto: Loquimur hic de principio vitali *in genere*; hinc consideramus *ea* tantum, quae principio vitali, qua tali, conveniunt. Haec praecise ratio est, cur in argumento praesenti spectemus principium vitale secundum illas solas proprietates, quae omni principio vitali sunt *communes* i. e. nutritionem, auctionem et generationem — seu principium vitae vegetativae (in plantis). — (Quod principium vitale *humanum* sit reapse, ut postea probabimus, *spiritus*, ratio *formalis* huius facti non ex ratione *formali* principii vitalis, qua talis, est petenda, sed *aliunde*, ut videbimus).

Spiritus intelligitur ens, quod non pendet a materia dependentia *intrinseca* (seu ens, cui materia nec praebet subiectum proprium ad essendum nec est eius organum seu comprincipium in eius operationibus).
A. Principium vitale pendet a materia dependentia intrinseca.
E. Principium vitale non est spiritus.
Prob. ult. min. Quod in *tota* sua operatione pendet a materia, pendet ab ea *intrinsece*.
A. Principium vitale pendet in *tota* sua operatione a materia.
E. Principium vitale pendet a materia intrinsece.
Ad Mai. ult. « Operari sequitur esse » (princ. caus.).
Ad min. ult. Principium, cuius omnes operationes habent obiecta *formalia* omni ex parte materialia, pendet in *tota* sua operatione a materia.

A. Omnes operationes principii vitalis habent obiecta formalia omni ex parte materialia.

E. Principium vitale pendet in tota sua operatione a materia.

Mai. et *Min.* alibi ex professo probantur.

2. *Principium vitale non est corpus.*

Hoc corpus, quod ex hypothesi adversariorum esset principium vitale, esset ideo principium vitale, quia est simpliciter corpus, aut quia est corpus « tale ».

A. Neutrum admitti potest.

C. Non est corpus.

Prob. min. per partes: Nom I[um], quia tunc *omne* corpus esset principium vitale et consequenter omnia corpora essent viventia — quod *a)* est contra *sensum communem,* qui (etsi de quibusdam entibus dubitet, utrum sint viventia, necne) certitudine inconcussa alia pro viventibus habet, alia vero pro non-viventibus; *b)* est contra « *legem oeconomiae* », quae vetat plus asserere, quam quod sufficit (lex fundamentalis scientiae !). Porro ad explicandos omnes effectus mineralium sufficiunt solae actiones transeuntes; *c) nullis* rationibus invicte *probatur.* Re enim vera mineralibus *desunt organa*, insuper nulli processus proprie *vitales* in ipsis deteguntur; *d)* involvit varias suppositiones, quarum falsitas alibi ex professo ostenditur: v. g. actionem *finalem* (qualis in viventibus apparet) non posse inveniri nisi in ente, quod cognitione proprie dicta est praeditum; totum universum constituere *unum* individuum physico-psychicum (monismus); entia, quae in universo adsunt, non differre inter se nisi *accidentaliter* atque adeo omnia, licet diverso gradu, praedita esse vita psychica (lex « continuitatis », anthropomorphismus); mundum non esse effectum causae transcendentis, ac proinde in seipso possidere totam rationem vitae psychicae (materialismus); corpora metaphysice considerata non esse nisi *repraesentationes* entis intelligentis, hinc entia psychica (idealismus).

Non II. — Cum enim corpus sit « tale » ratione proprietatis sibi inhaerentis, hinc 1) *haec proprietas* esset formaliter radix vitae seu principium vitale. Sed de hac proprietate

iterum institui deberet quaestio: sitne ipsa corpus? Si est corpus, estne vivens per se ipsum an propter proprietatem aliquam sibi inhaerentem . . . . Et nisi quaestiones protrahere velimus in infinitum, tenendum est principium vitale *non esse corpus.* 2) Haec *proprietas* sola dicenda esset formaliter vivens, non vero *corpus*, quod dicitur vivens. Haec enim proprietas, ut adversarii expresse fatentur, non facit cum corpore, cui inhaeret, unum per se, sed unum per accidens.

Aliter (tota pars II probatur):

Si principium vitale esset substantia *completa*, non posset communicare corpori vitam nisi mediante actione ab ipsa profecta et in corpore recepta seu *actione transeunte.* Sed tunc quaeri potest: Qualisnam est haec actio? Spiritualis an materialis? Si I, tunc principium vitale est spiritus — (et tunc veniunt difficultates in I parte thesis expositae). Si II, incidimus in mechanicismum (in I. thesi profligatum).

Pars III. — Principium vitae est forma substantialis corporis organici.

Arg. I.: Coroll. ex parte I et II, quod ita efferri potest:

Principium vitae non est accidens, sed *substantia* (ex parte I).

A. Haec substantia *non* est *completa* (ex parte II).

E. Est substantia *incompleta.*

Porro substantia incompleta est aut materia aut forma substantialis.

A. Principium vitale non est materia.

E. Est forma substantialis.

Prob. min. ult. — Materia est, ut constat, elementum *passivum*, iners. Sed principium vitale est praecise elementum *activum*, est enim *causa* operationum, quae in unoquoque vivente, qua tali, adsunt (ut apparet ex thesi I).

Arg. II. Inter naturam corporis viventis et naturam corporis non-viventis adest differentia essentialis et hanc differentiam essentialem dat principium vitale.

A. Principium vitale non posset hanc differentiam essentialem dare, nisi esset ipsum forma substantialis corporis viventis.

E. Principium vitale est forma substantialis corporis viventis.

Mai. et Min. abunde patent ex hucusque dictis.

Arg. III. directe contra Vitalismum.

1) Vis vitalis aut est materialis aut immaterialis. Si materialis, regitur iisdem essentialiter legibus ac reliquae vires materiales, — ac proinde:

a) non potest reddere rationem *finalitatis*, quae in operationibus entium viventium elucet. — Obiectio valde gravis! Nam ratio praecipua statuendi vim vitalem est praecise finalitas in entibus viventibus explicanda.

b) legi *conservationis energiae* subiicitur ideoque impeditur, quominus aliquem effectum vere *novum* in mundo ponat.

Si vero vis vitalis est immaterialis (spiritualis), non patet, *a*) quomodo possit talis vis in novis individuis continuo oriri, *b*) quomodo dirigat ac applicet vires mechanicas ad agendum, *c*) unde hauriat virtutem et efficaciam mechanicam, *d*) quomodo non contradicat eius activitas principio conservationis energiae.

2) Vitalismus — praesertim antiquus — facile, teste historia, fit *obstaculum veri progressus* scientiarum:

a) adscribendo vi vitali proprietates « energeticas » (seu mechanicas), ut fecerunt nonnulli vitalistae, facile avertit ingenia ab inquirendis propriis causis proximis (physicis et chimicis) eventuum physicorum et chemicorum.

b) ponendo in mundo physico vim obscuram, mysteriosam, introducunt in rerum naturam elementum *irrationale*, legibus physicis non subiectum, quod investigationem causalem phaenomenorum mundanorum semper suspectam reddit.

3) Conceptiones tandem vis vitalis, quales proponunt plurimi Neo-Vitalistae, reiiciendae sunt:

a) propter *supposita*, quibus nituntur (varia systemata metaphysica arbitraria).

b) propter *absurda*, ad quae logice ducunt: v. g. ex una parte asserunt quidam vim vitalem esse elementum *inconscium*

(das Unbewusste) et tamen ex altera parte ad finem *prudentissime* ducere; vim vitalem esse ens *universale*, *superindividuale* et tamen ita singula individua dirigere, ut conflictus oriantur, qui impediunt finem *Universi* — atque adeo nullam rationem habere boni *supra-individualis*.

Coroll. — Cum corpus vivens habeat *unum* principium vitale, et hoc principium vitale sit eius *forma substantialis*, patet corpus vivens esse substantiam vere *unam* seu substantiam *per se*, non vero aggregatum substantiarum seu coloniam.

Schol. I. — Non desunt, qui theoriam « coloniae » admittendam putent intra certos limites, videl. in organismis imperfectis. Quod tamen concedi non potest. Organismi enim imperfecti unitate *per se* gaudent aeque ac organismi perfecti. Par enim ratio militat pro utroque (cf. arg. th. I). Nec valet instantia ex *insertione*. Fatemur enim ultro plantam, in quam alienus surculus insertus est, non esse unum individuum sed *associationem individuorum*, in qua individuum insertum vitam *propriam* vivere pergit (cum conservet semper typum suum specificium), sed modo parasytico (quia alimentum suum haurit non directe ex gleba, sed ex altero ente vivente).

Schol. II. — Noli sumere pro parte corporis vivi, quidquid in ipso invenitur *quocumque modo*. Adsunt enim in eo non pauca ipsi extranea (v. g. elementa multiplicium excretionum, alimenta nondum assimilata etc.).

Schol. III. — *Quomodo anima operetur?*

Cum anima sit forma substantialis, eius activitas non est alia nisi activitas propria *causae formalis*. Hinc anima — nisi sit « subsistens », spiritualis — nullum effectum *per se solam* exequitur. Proprie loquendo non anima quidquam efficit, sed corpus anima vivificatum. Ideo praecise nullus adest conflictus cum principio conservationis energiae.

(Uberior explicatio quaestionis in opere nostro: *La psychophysique humaine d'après Aristote*, Paris, Alcan, 1930, praecipue, pag. 58-87).

OBIECTIONES.

1) Principium vitae non est substantia.

1) *Principium vitae est vis quaedam movens entia viventia.*
A. Vis est accidens.
E. Principium vitae est accidens.

Rs. Dst. Mai. — Principium vitae est vis, quae simul est *principium formale substantiae* viventis C.; Secus N.

Ctds. Min. — N. cons.

2) *Quod inhaeret in alio, est eius accidens.*
A. Principium vitale inhaeret in alio, scil. in vivente. E.

Rs. Dst. Mai. — Quod inhaeret in alio tamquam in subiecto « inhaesionis » est eius accidens C.; Quod . . . . in subiecto « informationis » . . . N.

Ctds. Min. — N. cons.

3) *Substantia, ut ipsum nomen indicat, est quod per se stat.*
A. Principium vitale non stat per se, sed ratione compositi.
E. Non est substantia.

Rs. Dst. Mai. — Substantia est, quod per se stat *sive complete* (i. e. tamquam ens perfectum determinatae alicuius speciei) *sive incomplete* (tamquam principium substantiale entis perfecti determinatae alicuius speciei) C.
Substantia . . . . per se stat *necessario complete* N.

2) Principium vitae est corpus.

1) *Quidquid movet, et ipsum debet esse in motu.*
A. Principium vitale movet.
E. Et ipsum debet esse in motu.
A. rursus: Quidquid est in motu, est corpus.
E. Principium vitale est corpus

Rs. Tr. Mai. — Maior haec ab antiquis atomistis proposita supponit notionem actionis atomisticam, secundum quam cum corpora non habeant vires activas, mere passive tantum impelluntur pressione ab extrinsecus recepta: (cf. *La psychophysique humaine d'après Arist.*, pag. 62-64).

Dst. Min. Principium . . . . ab *extrinsecus* N. ab *intrinsecus* Sbd. tamquam pars eius constitutiva: *formalis* C., Secus N.

Dst. pariter cons. . . . si movet ab *extrinsecus*. Tr. Si movet ab *intrinsecus* Sbd. est in motu *per se* N. In motu *per accidens* C. — Per se moveri potest corpus; forma substantialis movetur,

quatenus corpus, cuius ipsa est forma substantialis, movetur, seu per accidens. (Cf. Arist. *De An.* I, 2, 403 b 29-31; S. Th. I. p. 2. 75 a 1 ad 1).

DST. MIN. SUBS. — Quidquid est *per se* in motu, est corpus C; Quidquid est *per accidens* in motu, est corpus N.

2) *Ut principium vitale moveat corpus, debet ipsum tangere.*
A. Quod tangit aliquod corpus, est et ipsum corpus E.

DST. MAI. . . . . debet ipsum tangere contactu saltem *virtutis* C.; . . . . *necessario contactu quantitativo* N.

CTDS. MIN. N. CONS.

3) « Simile simili cognoscitur ». *Sed Anima cognoscit omnia.* Ergo *Est similis omnibus. Sed iterum: non esset similis omnibus, nisi constaret omnibus elementis, quae existunt. Ergo Anima constat omnibus elementis — proindeque est corporalis. (Ita plures Materialistae veteres.* Cf. Arist. *De An.* I, 2, 404 b 12-15).

RS. DST. MAI. — Simile cognoscitur *simili secundum formam naturalem* N. . . . Simili secundum *formam (speciem) intentionalem* C.

C. MIN. I.

DST. CONS., PROUT IN MAI.

THESIS III.

Corpora viventia nata sunt se ipsa movere seu immanenter operari. Et in hoc motu seu operatione immanenti ratio vitae consistit.

1. NEXUS CUM PRAECEDENTIBUS. — In thesi I probavimus operationes quasdam, quae in ente vivente observavimus, non posse philosophice explicari, nisi admittatur in ipso speciale aliquod principium — principium vitale. In thesi II ostendimus hoc principium esse formam substantialem corporis viventis; ex quo ulterius immediate sequitur corpus vivens esse ens vere *naturale*, ens per se unum. In thesi praesenti deducemus primo (parte I) ens vivens vera facultate gaudere *sese movendi* seu operationes *immanentes* exercendi; deinde (parte II) monstrabimus in hac praecise facultate sese movendi reponendam esse ipsam *notionem* philosophicam *vitae.*

2. *Adversarii*, de quibus in duabus thesibus praecedentibus egimus, non possunt operationes *vere immanentes* tenere. Nam secundum ipsos ens vivens, qua tale, non est sub-

stantia vere ac proprie talis, ens *per se unum*, sed quoddam aggregatum; operationes igitur vitales non consistunt nisi in hoc, quod *una* pars aggregati communicat alteri parti motum suum, seu non consistunt nisi in motu *transeunti*: non datur in eorum systemate quidquam, quod sit simul *movens* et *motum, producens* operationem eamque *recipiens.*

Quod mechanicistas attinet, res per se patet. Sed etiam quod vitalistas spectat, idem obtinet. Vis enim vitalis (nisi eam cum ipsa organisatione entis viventis confundas) habet se ad instar entis corpori organico *extrinsecus assistentis* eique motum imprimentis.

3. Notiones.

A. — *Motus* definitur: actus entis in potentia, prout huiusmodi seu prout in potentia; aliis verbis, motus est actus, qui ita potentiam aliquam perficit, ut sit simul in potentia ad ulteriorem actum.

Accipi potest motus 1° sensu *strictissimo*: pro *motu locali.* In motu enim locali primo et clarissime ratio motus apparet (Arist. *Phys.*, VIII, c. 9);

2° sensu *latiore*: pro qualibet *mutatione successiva* sive quoad quantitatem sive quoad qualitatem. — Etiam haec definitio est propria, nam verificat plene definitionem generalem motus supra positam.

3° sensu *adhuc* latiore: pro *qualibet mutatione* reali seu pro omni *transitu de potentia* in actum.

4° sensu *latissimo*: pro *qualibet operatione*, etiam illa, quae fit *sine transitu de potentia in actum*, sed quae a nobis concipitur cum quodam transitu propter analogiam cum operatione, quae fit cum transitu (v. g. actiones Dei).

Omnis motus ab aliquo *movente* procedit et in aliquo *mobili* recipitur; quae duo (movens et mobile) possunt esse vel duo subiecta realiter distincta vel realiter unum idemque. In primo casu movens movet *aliud*; in secundo movet *seipsum.*

B. — In *facultate seipsum movendi* — et quidem quocumque ex quatuor motibus enumeratis — reponunt communiter Scholastici (post Platonem et Arist.) rationem metaphysicam vitae. In *facultate* enim *sese movendi* absolvitur id, quod perfectionem specificam entis viventis constituit.

Facultatem sese movendi « antiqui solebant vocare vitam in actu I° », dum eius *actuale* exercitium appellabant « vitam in actu II° ».

C. — Cum in notione scholastica vitae motus significet *quamlibet operationem*, manifesto apparet « movere seipsum » tantumdem valere ac « immantener operari ».

Est autem operatio immanens non ea actio, cuius *principium* est agenti immanens — hoc enim modo considerata (scil. principiative) omnis actio est immanens — sed actio, cuius *etiam terminus* manet in agente.

Quae cum ita sint, facile intelligitur adagium : Actio transiens ordinatur per se primo in perfectionem subiecti ab agente *distincti*; actio vero immanens in perfectionem ipsius agentis (S. Th. I, q. 18, a. 3 ad 1). Dum enim actio transiens ponit effectum in subiecto extraneo, actio immanens ponit eum semper *in subiecto operante*, et quidem sive in eadem prorsus *facultate*, a qua actio haec causaliter procedit (actio « stricte immanens »), sive saltem in eodem *supposito*, quod operatur (actio « late immanens »). At in utroque casu actio immanens cedit per se in bonum *operantis* seu perficit subiectum operans.

Probatur thesis.

PARS I. — CORPORA VIVENTIA NATA SUNT IMMANENTER OPERARI.

Operatio immanens est, quae manet in eodem subiecto, e cuius activitate procedit.

A. Omne corpus vivum natum est operationem exercere, quae manet in eodem subiecto, e cuius activitate procedit.

E. Omne corpus vivens natum est immanenter operari.

Prob. min. — Omne corpus vivum natum est exercere nutritionem.

A. Nutritio est operatio, quae manet in eodem subiecto, e cuius activitate procedit.

E. Omne corpus vivens natum est exercere operationem, quae manet in eodem subiecto, e cuius activitate procedit.

Prob. min. ult. — Nutritio consistit in conversione substantiae ab extra receptae in substantiam recipientis.

A. Haec conversio *perficitur activitate* eiusdem subiecti, in cuius substantim *recipitur.* Ergo.

Min. ult. patet ex eo, quod corpus vivens non est merum aggregatum substantiarum, sed est *substantia per se.*

Pars II. — Ratio vitae consistit in motu a se seu in operatione immanenti.

Arg. I. — Id constituit rationem vitae, quo posito, primo habetur vita et quo sublato, primo tollitur vita.

A. Posita facultate se ipsum movendi seu immanenter operandi, primo habetur vita, sublata facultate se ipsum movendi, primo tollitur vita.

Ergo Facultas se ipsum movendi seu immanenter operandi constituit rationem vitae.

Prob. min. 1) *ex sensu communi.*

Animal, in quo — omnibus fatentibus — vita clarius apparet — dicitur tunc primo vivere, quando primo incipit sese movere; et tamdiu iudicatur vivere, quamdiu motu ab intrinseco (a se ipso) potest moveri. Quando vero *ex se* nullum iam motum in se producere potest, sed tantum *ab alio* movetur, dicitur iam mortuum « per defectum vitae » (*De Ver.* qu. IV a 8; S. Th. I, q. 18, a 1 ad 3; a 2; *C. Gent.* I, c. 97. Suarez, *De An.* l. I a 1, n. 3).

2) *ex testimonio physiologorum et biologorum.* Quotiescumque de solvenda quaestione agitur, utrum determinatum aliquod ens sit *vivens* necne, phaenomena *motus a se* praeprimis inquirunt. Et ita, quia in prima iam cellula observatur motus immanens, quo ipsa se *perficit, auget* atque ita paulatim perfectionem suae speciei acquirit, statim inferunt eam esse ens perfecte vivens; e contra ex defectu huius motus ad defectum vitae indubitanter concludunt.

Motus immanens igitur est *nota, quae omni et soli enti viventi* convenit atque adeo convertibiliter praedicatur.

Omnes vero aliae definitiones huic condicioni non satisfaciunt — ut patebit ex argumento II.

Arg. II. (refutando alias definitiones vitae). — 1) Definitio vitae a Georg. Ern. *Stahl* proposita: « Vita nihil aliud est formaliter, *quam conservatio corporis in sua mixtione corrup-*

tibili, sine omni corruptionis istiusmodi actuali eventu » (*Theoria medica vera*, Hallae, 1708, pag, 561).

Crisis. — Definitio haec, si presse secundum vim verborum sumitur, convenit etiam *a*) *composito chimico*, sed caute custodito, ne citius dissolvatur, *b*) immo ipsi *cadaveri* a corruptione praeservato sive ope aromatum sive ope miraculi, *c*) non complectitur nisi vitam infimam seu eam, quae in plantis adest. Et nec in *hac* rationem vitae *formalem* attingit. Formaliter enim rem considerando, vivens non est id, *quod conservatur*, sed quod *interna sua activitate* conservatur.

2) Definitio a Xav. *Bichat* statuta: « vita est complexus functionum, quae morti resistunt » (*Recherches physiol. sur la vie et la mort*, 5ème éd., I p., art. 1, Paris, 1829).

Crisis: Vita non recte definitur *per mortem*. Mors enim, utpote privatio vitae, non est intelligibilis nisi praecise per vitam. — Adde, quod definitio haec solam vitam entium *mortalium* spectat. — Immo et hanc vitam entium mortalium non directe *in se*, sed tantum in *eius effectu* attingit.

NB

3) Definitio a *Richerand* lata: Vita est « complexus phaenomenorum, quae sibi succedunt in corporibus organicis intra limitatum temporis spatium » (*Nouveaux eléments de Physiol.*, 10ème èd. Prolégom. Bruxelles, 1833).

Crisis: Definitio haec *a*) solam vitam *vegetativam* spectat — *b*) est vaga — *c*) etiam composito chimico anorganico facile convenire posset.

4) Definitio a *Cuvier* tradita: Vita et « facultas, quam habent quaedam combinationes corporeae, ut durent certo tempore et sub quadam forma determinata, continuo attrahendo in sui compositionem partes substantiarum circumstantium, et ex eis efficiendo diversas partes propriae substantiae » (*Le règne animal distribué d'après son organisation*, t. I, Paris, 1829, Introd. pag. 11).

Crisis. — Valent contra hanc definitionem eadem atque supra diximus. — Definitio haec describit ipsum exercitium vitae vegetativae, quod iam praesupponit in huiusmodi entibus motum immanentem.

5) Simili vitio laborant definitiones vitae a Lewes et H. Spencer datae, et quae vitam reponunt in quadam serie de-

finita mutationum, quae in corpore contingunt. (Spencer, *Principes de Biologie*, trad. par E. M. Cazelles, t. I, part. 1, ch. 4).

Definitiones alias modernorum omittimus, nam fere exclusive *constitutionem organicam* viventium spectant.

Schol. I. — *De principiis proximis operationum vitalium.*

1. Cum operationes vitales, ut experientia docet, modo existant, modo existere *desinant* (v. g. auctio, generatio, sensatio, intellectio), ideoque evidenter non potest ulla ex iis dici « identica » animae, haec enim *continuo* existere *pergit*. Realis igitur distinctio *operationum* vitalium et *animae* in dubium vocari nequit. (Cf. S. Th. Opusc. de Spir. Creat. a. 11 ad 1).

2. At quaeri potest, utrum *operationes vitales oriantur ab anima immediate* (ut volunt Nominalistae et Cartesiani), an vero oriantur ab ea *mediantibus potentiis*, quae se habent ad essentiam animae tamquam eius accidentia (qualitates).

Sententia ultima, quam cum S. Thoma plurimi Scholastici tenent, praeferenda est. — Nam: *a*) Si potentiae essent identicae cum essentia animae, deberent esse *semper actu*, nam anima secundum suam essentiam *est actus* (S. Th. I, q. 77 a 1. Cf. *De Spiritualibus creaturis* a 11).

b) « Idem secundum idem non movet seipsum » (Qu. disp. de Spir. Creat. a. 11). Ergo et anima non movet se ipsam secundum idem. Sed si hoc verum est, admittenda sunt in anima *plura principia* moventia seu *activa*. — Sed admisso hoc, admisimus iam *plures potentias* in animo. Nam hae ultimae nihil aliud intelliguntur, nisi praecise *principia activa* in substantia animae fundata.

3. Quemadmodum ab essentia animae, ita etiam *inter se potentiae realiter distinguuntur*.

Rationes: *a*) Supposita unicitate animae in homine, arguere licet ita: Realiter distinguuntur potentiae, quae in *diversis subiectis* inveniuntur.

A. « Potentiae animae » *in diversis subiectis* inveniuntur. *E*.

Prob. min. Potentia intellectiva in *sola anima* invenitur tamquam in subiecto, potentiae sensitivae in *composito* ex anima et corpore (ut alibi ex professo ostenditur).

b) Potentiae, quae habent obiecta diversa, realiter inter se distinguuntur.

A. Potentiae animae habent obiecta diversa.

E. Realiter inter se distinguuntur.

Ad Mai. — Praenota: « Obiecta » intelliguntur non « materialia » (i. e. *res*, prout existunt a parte rei, cum omnibus suis determinationibus) sed « formalia » (i. e. res, prouti primo et per se a potentia attinguntur).

Hisce suppositis, ita arguo:

Potentia, qua talis, est *naturaliter propter* actum; per consequens refertur ad actum suum vi *essentiae*. Sed si ita est, dependet etiam ab actu dependentia, quae propria est relationis *transcendentalis*. Porro quod ita dependet ab alio, nec esse nec *concipi* potest sine respectu seu ordinatione ad illud. Sed rursus: quod sine alio non potest *concipi*, accipit ab illo suam « intelligibilitatem » — ut patet. — Porro, accipere ab alio suam « intelligibilitatem » idem est ac accipere ab eo *suam* « speciem » seu « specificari ».

Potentiae igitur specificantur ab *actibus* suis.

Sed ipsi *actus* undenam habent suam *intelligibilitatem* seu *specificationem*? A se, an ab alio?

Respondendum est: ab alio. Probari res haec potest ratiocinio simili huic, quod modo perfecimus: Actus enim subiecti non est *sibi* finis (ut falso asserunt idealistae absoluti, praesertim monistici) — sed, e contra, ordinatur *essentialiter* ad aliquid « aliud », scil. ad *obiectum* (sive efficiendum sive cognoscendum sive appetendum).

Ideoque ab *eo* intelligibilitatem suam atque adeo *speciem* desumit. Pro diversitate *obiectorum* diversa erit etiam intelligibilitas seu « species » *actuum* et per consequens etiam *potentiarum*.

Itaque potentiae, quae habent obiecta diversa, specifice inter se differunt.

Sed cum differentia specifica fudetur, ut ex modo dictis apparet, in essentiis, potentiae diversae inter se « specifice », sunt etiam inter se diversae quoad *essentias* ipsas — hinc *realiter*.

Unde apparet veritas nostrae Maioris: Potentiae, quae habent obiecta diversa, realiter inter se distinguuntur.

Ad min.: Potentiae animae habent obiecta diversa.

Obiectum formale facultatis vegetativae est corpus vivens *in suo esse materiali nutriendum, augendum et reproducendum.* Hinc est omni ex parte *materiale.*

Obiectum facultatis *sensitivae* est corpus externum *in se* collocandum secundum eius « esse intentionale ».

Obiectum facultatis intellectivae est corpus secundum *suam quidditatem abstractam et universalem* consideratum (ut ex professo alibi demonstratur).

Sed et in ipsa *anima vegetativa* plures distinguendae sunt potentiae realiter distinctae: — Nam obiecta formalia potentiae nutritivae et augmentativae et generativae sunt diversa (Cf. S. Th. I, p., q. 78 a. 2).

Obiectum potentiae *nutritivae* est: *convertere* alimentum in substantiam viventis; quae operatio tamdiu, ut notum est, existere debet, quamdiu et vita ipsa; si nimis minuitur, vivens male se habet, immo et perit.

Obiectum potentiae *augmentativae* est: movere vivens ad *acquirendam quantitatem propriam* speciei viventis; ut notum est, hoc non fit, ut plurimum, per totam vitam nec singulis momentis, neque cessatio eius detrimentum per se viventi affert, ut patet.

Obiectum potentiae *generativae*: origo viventis a vivente, principio coniuncto in similitudinem naturae (Cf. S. Th. I, q. 27, a. 2). Dicitur: « Origo viventis a vivente » i. e. vera *nativitas* et non qualiscumque *productio*; « a principio coniuncto » i. e. per viam verae *communicationis* vitae (non meri influxus causalis, ut fit v. g. in creatione entis viventis a Deo). — « In similitudinem naturae », ut videl. generatum sit eiusdem *speciei* ac generans.

Schol. II. *De triplici gradu vitae.*

1. Homines communem sensum secuti distinguere solent in mundo visibili triplicem vitam apprime diversam: vegetativam, sensitivam, intellectivam.

Vita vegetativa illa intelligitur, quae propria est plantarum et quae manifestatur per triplicem operationem: generationem — per quam vivens acquirit « esse » — auctionem (augmentationem) — per quam vivens acquirit « quantita-

tem » debitam —, nutritionem — per quam vivens conservatur » in « esse » et in « quantitate » debita. — Constituit haec vita communem dotem omnium viventium corporalium ac basim necessariam, in qua caeterae, quotquot sunt, vitae fundantur.

Per vitam sensitivam vero illa intelligitur, quae propria est *animalium brutorum*; manifestatur per cognitiones, quae *apprehendunt* intentionaliter obiecta materialia — modo tamen concreto — et per appetitiones proportionatas ea prosequuntur Competit haec vita etiam homini.

Per vitam *intellectivam* tandem intelligitur ea, quae propria est solius hominis, et ope cuius homo apprehendere valet etiam obiecta *immaterialia*, abstracta, universalia eaque prosequi appetitu, cuius obiectum formale est bonum, *qua tale.*

Plena explicatio harum differentiarum tantum decursu *totius* tractatus obtinebitur.

2. Attamen iuvat iam nunc *quaedam* de triplici gradu vitae praenotare.

Distinctio triplicis vitae, quam cum sensu communi constanter tenent: Plato, Arist. et Schola, plene iustificatur argumentis, quae sequuntur.

1) Tot sunt essentialiter diversi gradus vitae, quot sunt *operationes vitales essentialiter diversae.* Atqui tres sunt operationes vitales essentialiter diversae: veget., sensit., intellect.

Ergo. Tres sunt essentialiter diversi gradus vitae.

Prob. min. — Operationes, quae versantur circa diversa *obiecta formalia*, sunt essentialiter inter se diversae.

A. Operationes: veget., sensit., intellect., versantur circa diversa *obiecta formalia.*

Prob. min. ult.: a) Obiectum formale operationis *vegetativae* est corpus *nutriendum*, *evolendum* et *generatione reproducendum.* — Hinc obiectum omni ex parte *materiale.*

b) Obiectum formale operationis *sensitivae* est corpus, prouti in ipso cognoscente habet intentionale esse ac elicito appetitu appetitur.

c) Obiectum formale operationis intellectivae est corpus secundum suam quidditatem abstractam consideratum.

2) Tres esse gradus vitae essentialiter diversos apparet etiam ex analysi philosophica *actionum immanentium.*

Operatio immanens est, quae recipitur ab eodem subiecto, a quo producitur. Quare operatio vitalis diversa erit pro diverso modo, quo sive *a*) *a subiecto producitur* sive *b*) ab *eo recipitur*. Porro 3 sunt modi diversi, quibus operatio a subiecto sive producitur sive recipitur. E.

Prob. min. ult. per partes.

Pars I.: *Tres sunt modi diversi, quibus operatio producitur.* In omni operatione tria consideranda sunt: *a*) *finis*, qui movet operantem ad operationem; *b*) *forma*, vi cuius (per quam) operans operatur; *c*) *executio*.

In operatione *vegetativa* sola *executio* operationis est ab ipso vivente (finis vero et forma sunt determinati semel pro semper ab Auctore naturae). In operatione sensitiva praeter executionem etiam *forma* operationis est ab ipso vivente (pro diversis enim *formis intentionalibus* diversa est etiam operatio in animali. Attamen animal non potest sibi ipsum praestituere *finem*). In operatione intellectiva tandem non solum executio et forma, sed etiam *finis* est a vivente (quia ipse potest sibi *pro lubitu* statuere finem). S. Th. I., q. 18 a. 3.

Pars II. — *Tres sunt modi diversi, quibus operatio immanens « recipitur »*.

Operatio *vegetativa* est immanens *partialiter tantum: nutritio* est immanens in termino, *generatio* in initio. Reliquum est operationis transeuntis (Nutritio initium sumit a materia externa, quam in substantiam viventis paulatim transformat; generatio initium quidem sumit a vivente, — quatenus ex se materiam seminalem accipit, — attamen in terminum tendit extrinsecum).

Insuper operatio vegetativa recipitur non in sola *facultate*, quae operationem producit, sed in *toto* subiecto (ut patet in nutritione et auctione).

Sensatio tum quoad initium suum tum quoad terminum suum manet in ipso agente et quidem in *eadem facultate.*

Intellectio adhuc plenus completur in ipso agente, quia agens intellectuale potest — propter immaterialitatem intellectus — supra seipsum *ad libitum* reflectere.

3) Tot sunt agnoscendi diversi gradus vitae, quot sunt diversi modi, quibus *actio vitalis elevatur* supra actionem mere materialem.

A. Tres sunt diversi modi, quibus actio vitalis elevatur supra actionem mere materialem. *E.*

Prob. Min. Quaedam operatio vitalis tam elevatur supra actionem materialem, ut nec fiat per vires materiales, nec per organum materiale exerceatur. Talis est *intellectio.*

Quaedam vero operatio vitalis, licet non fiat per vires materiales, exercetur tamen per organum materiale. Talis est *sensatio.*

Quaedam tandem operatio vitalis et exercetur per organum materiale et fit per vires materiales. *Talis est vegetatio.* S. Th., I, q. 78, a. 1.

Schol. III. *De tempore et modo, quo novum principium vitale producitur.*

Veteres Scholastici distinguunt *animationem* et *fecundationem. Fecundatio* non dat ipsam vitam, sed tantummodo eam *praeparat.* Videlicet in actu fecundationis (seu congressus principii masculini cum principio feminino), principium femininum, mere passivum, recipit a principio masculino virtutem, qua in debitis adiunctis *evolvitur* in subiectum capax recipiendi animam seu *capax animationis.* In hac periodo evolutionis nondum datur *actio* immanens, nam anima — ita arguebant secundum Aristotelem — est « actus primus corporis *organici*... » ; porro in hac periodo nondum corpus habet organa! Datur tantum quaedam evolutio *passiva,* qua videl. subiectum semel fecundatum pervenit paulatim ad prima rudimenta organisationis (sub influxu praecise « virtutis seminalis » receptae in fecundatione). Demum organisatione acquisita — aiebant — anima educitur de potentia materiae. Cuius eductionis causa principalis dicebatur ipse generans; « virtus seminalis » non erat nisi *instrumentum* generantis.

Doctrina veterum sustineri iam non potest:

1. — Nulla est ratio, quae suaderet *solum* principium masculinum esse *activum*, principium vero femininun esse mere passivum.

2. — Intelligi non potest, quid sit illa « virtus seminalis », cuius activo influxu semen moveri seu evolvi dicebatur. (Utraque enim cellula scil. masculina et feminina movet et movetur).

3. — Commixtione utriusque seminis tempore « fecundationis » peracta, videtur ortum iam esse *unum* principium

operandi — nam *unus* apparet *finis*, ad quem omnes operationes diriguntur (bonum *totius*).

4. — Evolutio cellulae fecundatae perficitur *eodem modo* ac exercitium vitae *vegetativae* (nutritio, augmentum etc.). Hinc videtur esse iam vere ac proprie « vitalis », ac proinde proveniens a principio vitae seu *anima*.

Hinc recentiores Scholastici communius dicunt: fecundatio (utique fecundatio in facto esse) est iam vera animatio seu vivificatio; aliis verbis, statim ac perficitur fecundatio, adest etiam anima vegetativa. — Nec eo ipso tamen definitio Aristotelica est iam reiicienda. Sufficit tantum eius *sensum* bene intelligere: Anima est quidem actus corporis organici, attamen non ita, ut nullo modo possit adesse in subiecto nondum *actu* seu formaliter organisato.

Doctrina haec suadetur notissimo hodie facto — quod tamen Veteribus propter deficientem methodum experimentalem prorsum ignotum fuit imno a priori impossibile apparere debuit — *unam* videl. cellulam posse esse aptam ad recipiendam vitam; dantur enim, ut notum est, viventia, « unicellularia », quae constituunt classem animalium: protozoa, quorum plures dantur species: Infusoria, Flegellata, Rhisopoda.

OBIECTIONES.

1) *Quidquid movetur, ab alio movetur.*
Ergo et vivens at alio movetur (et non a se).

Rs. Dst. Antc. — Quidquid movetur, *etiam* ab alio movetur C.
Quidquid movetur, *unice* ab alio movetur Sbd.
si est non-vivens Trans. Si est vivens N.

Expl. Sensus axiomatis « Quidquid movetur, ab alio movetur » est « assertivus », non « exclusivus ». Omnia, quae moventur, utique moventur saltem a causa I^a^; attamen hoc non impedit, quominus *etiam ipsa se* vere moveant (cf. Q. III De Malo, a. 2 ad 4; Sylv. Maurus, *Quaest. Philos.*, lib. 4. *De ente immateriali*, q. 8 ad 1).

2) *Sagitta proiecta seipsam ulterius movet.*
Ergo — secundum definitionem vitae datam — vivit.

Rs. Dst. Antc. — Sagitta proiecta *ipsa se* proprie movet N.
Movetur a *sagittario* mediante videl. « nisu », qui ipsi ab eo extrinsecus est impressus C.

3) *Secundum thesim quidquid se ipsum movere potest, est vivens. A. Omne corpus naturale se ipsum movere potest.* E.

PROB. MIN. — *Omne corpus naturale habet « naturam », quae praecise intelligitur principium motus. . . .*

RS. DST. MAI. — Quidquid se ipsum movere potest *motu ab extrinsecus recepto*, est vivens N. . . . . . motu ab intrinsecus producto, est vivens C.

CTDS. MIN. — Omne corpus naturale se ipsum movere potest saltem motu ab extrinsecus recepto C; . . . motu ab intrinsecus producto, SBD. Omne corpus naturale, quod simul est *vivens* C., *omne omnino* corpus naturale N.

Corpus elasticum a dispositione sua naturali compressione amotum movet se ipsum quidem, at motu non *a seipso* producto, sed a vi, quae ipsi impressa erat ab extrinsecus (a comprimente). — Insuper tendit tantum ad *recuperandam* dispositionem connaturalem, quam perdidit vi externa.

Dices: Etiam motus viventis debet ab extrinsecus excitari (v. g. ad sentiendum determinatur ab obiecto extrinseco). — Ergo nulla solutio.

RS. — Motus, qui proprius est viventis, *excitatur* quidem ab extrinsecus C. *Consistit* formaliter in hac excitatione N. Deest enim proportio aequivalentiae mechanicae inter excitationem et motum vitalem.

4) *Quaedam mineralia v. g. magnes ab intrinsecus determinatur ad operationem. E.*

RS. DST. ANTC. . . . . ad operationem transeuntem C.; immanentem N. (Vide explicationem a physicis hodie traditam vis magneticae!).

5) *Omne corpus sibimet ipsi relictum movet se in centrum terrae. Ergo Omne corpus vivit.*

RS. DST. ANTC. — Omne . . . . . in centrum terrae motu, qui totus *ab ipsomet procedit* N. . . . . . motu, qui *extrinsecus* ei venit C. — Quaenam sit propria *natura* vis attractionis, nescimus. At certo non pendet a *sola re, quae* in centrum terrae cadit; (patet hoc vel ex ipsa formula, qua eius quantitas a physicis exprimitur).

6) *Nutritione materia extranea transformatur in substantiam vivam. E. Nutritio non est operatio immanens, sed transiens.*

RS. DSD. ANTC. . . . . transformatur in substantiam vivam qualemcumque *N.* Transformatur . . . . in substantiam vivam eiusdem entis, quod transformat C. Nutritio est certe operatio imanens saltem in *termino suo.*

LIBER II.

De vita sensitiva.

THESIS IV.

Bruta animalia facultate sentiendi gaudent.

1. *Quid sit brutum animale?* Antequam thesis praesens sit probata, a tradenda definitione « philosophica » bruti animalis ex consulto abstinemus et quidem propter rationes *methodicas*. Talis enim definitio, ut patet, involveret iam id, quod est praecise in questione.

Per bruta animalia igitur intelligimus hic obiecta, quae sensu obvio et *communi* pro animalibus certo habentur. De hisce *solis* in thesi praesenti sermo nobis est. Quare si dantur quadam entia, de quibus *dubium* moveri potest, utrum ad speciem animalium an plantarum pertineant, solutionem huius quaestionis zoologis relinquimus.

2. De brutis animalibus ita intellectis *quaerimus*, utrum possideant vere et proprie facultatem sentiendi. Sed cum facultas omnis cognoscatur ex actu, quaestio modo proposita sponte reducitur ad hanc alteram: Habentne animalia bruta proprie dictas *sensationes*.

Problema hoc a nobis solvi non potest « a priori », ut patet. Recurrere debemus ad experientiam et quidem — ut per se est evidens — non directam (introspectionem), sed tantum indirectam: debemus videlicet attente observare modum, quo animal brutum ad stimulos *reagit* (psychologia reactionis). Quodsi hic modus non solum non poterit a nobis mere mechanice explicari, sed nec aequiparari actionibus vitalibus, quae propriae sunt *plantis* (nutritioni, auctioni, generationi), debebimus animalibus brutis adscribere *quandam* facultatem *superiorem*. Quodsi iterum haec facultas *similitudinem perfectam* praesefert cum facultate sentiendi, cuius existentiam in homine conscientia directe attestatur, cogemur

vi *argumenti analogiae* animalibus brutis proprie dictam facultatem sentiendi ac proinde etiam *vitam sensitivam* adscribere.

3. Vitae sensitivae *naturam* in thesibus sequentibus accuratius explicabimus. In praesenti sufficit notasse eam consistere in eo, quod ens vita sensitiva praeditum natum sit obiecta materialia intentionaliter apprehendere seu *cognoscere* et *appetere*.

4. *Conspectus historicus thesis.*

I. *Sententia negans sensationem in animalibus.*

Primus, qui omnem sensationem brutis animalibus denegavit, erat Gomez Pereira (1554). Quam sententiam celebriorem reddidit Cartesius, secundum quem animalia bruta sunt pura « automata » ; « vita » enim eorum consistit in « calore cordis » ; « sensus » eorum in motu « spirituum animalium », qui naturam habent materialem; « anima » tandem ipsa nihil est aliud nisi hi praecise spiritus animales. Non habent igitur animalia bruta ullum motum *spontaneum*, seu motum ex cognitione proprie dicta et notitia obiectorum ortum, sed tantum motus reflexos seu automaticos (« mechanicos », « naturales » i. e. determinatos ab ipsa natura).

En quomodo omnia phaenomena vitae in animalibus exerceantur: obiecta externa diversimode in organa animalis imprimunt eaque diversimode modificant; haec impressio mediantibus nervis ad cerebrum pervenit ac spiritus animales, qui ibi inveniuntur, determinat, ut in musculos descendant ibique motus diversos mechanicos producant, qui actioni obiectorum externorum apprime correspondeant.

Ad quam miram et a sensu communi alienam sententiam Cartesius pervenit praecipue vi principii sui: sensatio est operatio aeque simplex ac intellectio. — Talis enim actio simplex non potest esse, ut patet, nisi actio solius animae. Porro si anima sola agit, etiam sola per se subsistit, et per consequens est etiam spiritualis, immortalis. Animalia, si haberent sensationem proprie dictam, essent etiam immortalia.

Cartesium sequitur etiam Malebranche.

Qui ex modernis sententiam Cartesii admittunt, eam coarctare consueverunt ad sola animalia inferiora, et quidem sive ad omnia (v. g. J. Loëb, Bohn) sive ad apes et formicas

(v. g. Bethe). Non desunt inter eos, qui etiam terminologiam creent theoriae « automatis » magis accommodatam et quam « obiectivam » vocant: « anticlise » loco « electionis »; « photoreceptio » loco « visionis »; « antikinese » loco reactionis ad tactum etc.

II. *Sententia affirmans vitam sensitivam in animalibus.*

Multo tamen plures viri inquisitionibus scientificis dediti vitam psychicam animalium etiam inferiorum defendunt: P. Wasmann S. I. et Field quoad formicas, apes; Jennings quoad animalia infima.

Eandem sententiam tota etiam Schola cum plurimis philosophis tenet.

5. Nos in hac thesi affirmamus: facultas motus spontaneos (i. e. ex cognitione et appetitione praevia ortos) producendi animalibus generatim — et maxime superioribus — certo est adscribenda.

Probatur thesis.

Arg. I. — *Ex principio causalitatis.*

Brutorum motus, qui affectionem sensoriorum sequuntur, explicandi sunt aut ope propriae dictae cognitionis aut sine concursu cognitionis seu mere automatice (reflexe).

A. Plures saltem motus explicari non possunt mere automatice.

E. Plures saltem motus animalis explicari debent ope cognitionis: — atque adeo *non* omnes motus sunt mere automatici.

Prob. min. — Motus mere automatici *constanter et regulariter* secundum leges mechanicas producuntur.

A. Plures motus in animali non producuntur *constanter et regulariter* secundum leges mechanicas. *E.*

Prob. min. ult. — 1) Animal in *iisdem* adiunctis *diverso* modo saepe operatur: modo se movet, modo non; modo se movet in hanc, modo in aliam directionem. Et ita v. g. *a)* si cani humi prostrato offertur cibus, surgit et accedit... Quodsi ita fallitur pluries, surgit quidem, sed minori alacritate, ac tandem nullum iam motum amplius edit; *b)* canis solum ad vocem *sui* domini reagit; *c)* canis ad dominum suum citius

currere consuevit a maiore, quam a minore distantia; quod factum certo legi mechanicae repugnat; secundum enim eam vis attractionis — caeteris paribus — est eo maior, quo minor est distantia $\frac{(m.\ m_1)}{r^2}$; *d)* canis dominum suum e fenestra altius posita auspicatus non se praecipitem agit, ut via recta — brevissima — ad eum tendat, sed per portas apertas et scalas — via curva et longiori — ad eum accurrit.

2) Motus animalis bruti etiam cum *praeteritis*, qua talibus, congruit (memoria).

3) Animal brutum, dum nutrimentum sibi quaerit vel pro hieme futuro reponit, attrahitur etiam a re *absenti*. (Sed attractio mechanica fit tantummodo a re praesenti).

N. B. Ex argumento, in principio causalitatis fundato, evidenter apparet animalia bruta non esse *pura* automata atque adeo ipsa possidere in se *aliquod speciale* principium ordinis non mere mechanici. Attamen per se ipsum hoc argumentum nondum *positive* nobis ostendit, cuiusnam praecise *naturae* sit hoc principium. Ut etiam haec quaestio solvatur, proponitur arg. sequens.

Arg. II. — *Ex analogia cum sensationibus humanis.*

Bruta habent organa sensuum seu *sensoria similia* nostris, eisque *simili modo utuntur* ac nos.

Ergo habent etiam similes sensationes ac nos.

Prob Antec.: 1) Organa habent similia — patet ex *anatomia* comparativa.

2) Organis simili modo utuntur ac nos — patet ex eo, quod similiter ac nos oculos vertunt ad res melius inspiciendas, aures erigunt ad audiendum, nares applicant ad odorandum etc.; *appetitus sensitivos* similes nostris manifestant: inclinationem ad iucunda, aversionem ab iniucundis, gaudium, tristitiam, iram etc.; tandem dant signa indubia *memoriae similis nostrae.*

Prob. cons. — Ex conscientia scimus sensoria nostra esse pro *nobis* instrumenta, quibus *sensationes* varias exercemus. Etiam in animalibus brutis sensoria eundem finem habere ac in homine i. e. inservire ad sensationes varias exercendas patet evidenter ex principio *finalitatis* (*hausto* sive ex consideratione *Providentiae* Divinae sive ex *inductione*: « Nihil in

rerum natura frustra »). Cf. S. August. *De lib. arb.* l. I., c. 29; *De Musica* l. I., c. 4, n. 8.

N. B. — Argumentum ex analogia desumptum *per se* non procurat nisi probabilitatem; potest tamen etiam certitudinem stricte dictam procurare, si videl. similitudo inter terminos analogiae est perfecta, constans, universalis. In hoc enim casu recursus ad explicationem ope « fortuiti » prorsus est exclusus; nam omnis eventus constans et universalis requirit etiam *rationem sufficientem*, causam proportionatam, quae non potest esse « fortuitum » (cf. *La psychophysique humaine d'après Aristote*, Paris, Alcan, 1930, pag. 66-67).

Schol. I. — *De criterio sensationis.*

Quidam (v. g. Bethe) asserunt solam *facultatem discendi* posse esse genuinum criterium sensationis. — Quod tamen concedendum non est. Praeter criterium ex facultate discendi desumptum — quod utique est evidentissimum criterium sensationis — non desunt etiam alia certa sensibilitatis criteria. Et ita, ut alia omittamus, motus diversissimi, quos observamus in pugna duorum animalium, non explicantur nisi supposita unitate *intentionis* in cognitione fundata. Plurimi motus supra in argumentis enumerati, quibus animal ad stimulos reagit, longe superant motus, quibus plantae adiunctis externis se *finaliter* accomodant.

Schol. II. — *Se sensibus in singulis animalium classibus.* Sensus tactus detegitur iam in infimis animalibus — in unicellulariis: ad eandem impressionem iniucundam reagunt non uniformi sed diverso modo, dependenter videl. ab eo, utrum reactio praecedens *finem* suum obtinuerit necne (v. g. primo conantur rem ingratam amovere; si conamen est frustra, declinant eam simpliciter sive curvatione corporis sui sive contractione eiusdem sive tandem deserendo locum suum). — Sensum staticum certo iam possident mollusca et vermes. — Sensus auditus proprie dictus invenitur tantum in vertebratis. Quod attinet animalia inferiora, quae sonos produnt — ideoque etiam eos procul dubio *aliquo* modo dignoscunt — prorsus incertum est, utrum eos ope auditus an tactus (vibrationis) dignoscant.

Sensus gustus et olfactus in insectis detectus est (Formicae ope olfactus res dignoscunt, ut P. Wasmann monstrat). Perceptio colorum iam in apibus locum habet.

Schol. III. — *Tropismi intelliguntur:* reactiones mechanicae — hinc regulares et uniformes — *totius* organismi, qui ad stimulum attrahitur vel ab eo repellitur. In primo casu vocatur tropismus *positivus;* in secundo casu negativus. Tropismi a diversis stimulis oriri possunt. Unde varia nomina: galvanotropismus, geotropismus, heliotropismus etc.

Reactiones alicuius *partis* organismi seu organi designantur termino speciali: motus reflexi vel automatici. « Reflexus » dicitur, si excitatio venit ab extra. « Automaticus » vocatur, si excitatio invenitur in ipso organismo (e. g. motus respirationis, cordis etc.).

Non desunt, qui affirment in animalibus — saltem inferioribus — motus « spontaneos » non esse nisi « tropismos ».

Haec sententia reiicienda est: quia 1° desunt argumenta solida pro ea. Cum organa sensitiva sint data pro conditionibus « naturalibus » (normalibus), hinc naturam suam proprie non manifestant nisi in conditionibus *naturalibus.* Porro plurima argumenta adversariorum nituntur observationibus factis in adiunctis prorsus *anormalibus.*

2° motus multi, quos adversarii habent pro meris tropismis, explicari debent per hoc, quod animal *quaerit* in illis meliores conditiones vitae. Haec conclusio iubetur eo potissimus, quod hi motus sunt irregulares.

3° ex tropismis « nocivis » non licet rem dirimere, quia dantur etiam quidam instinctus individuo « nocivi »: (v. g. formicae curant parasitos, qui devorant postea larvas earum et finem vitae formicarum inducunt).

OBIECTIONES.

1. *Deus construere potest machinas tam perfectas, ut possint sonos ore proferre, comedere etc. aeque ac animalia. Ergo haec signa in animalibus brutis observata non necessario sunt signa vitae psychicae.*

Rs. Dst. Antc: Deus construere potest tales machinas, ut..., *patrando continua miracula* C. mediis *naturalibus* N.

2. *Motus, qui etiam in cadaveribus adsunt, non possunt fundare argumentum pro vita sensitiva.*

A. Motus « irregulares » etiam in cadaveribus adsunt. E.

Prob. Min. *Avis, cui caput est amputatum, saltem per brevissimum tempus volare potest.*

Rs. Dst. Mai. — Motus, qui in cadaveribus adsunt et peraguntur *eodem modo ac in viventibus* C., *diverso modo* N.

Ctds. Min.

Ad Prob. Min.: *Rs.* 1) Plurimi ex hisce motibus, quos talis avis exequitur, sunt mere reflexi, et fiunt vi *nisus* seu impulsus impressi in musculos in momento mortis.

2) Nescimus, *quonam praecise momento avis talis moriatur*. Non desunt animalia inferiora — de hoc postea — quae etiam sine cerebro vivere pergunt.

3. *Quod mensurari potest mensura materiali, materiale est.*
A. Sensationes mensurari possunt. Ergo.

Dst. Mai. — Quod mensurari potest mensura materiali *stricte dicta*, materiale est C.; ... mensura materiali *late dicta*... N.

Ctds. Min.

Expl. Mensurare, proprie loquendo, est applicare determinatam aliquam quantitatem (« unitatem ») ad totum eo fine, ut sciatur, *quotiens* haec unitas applicari debeat, ut tota quantitas exhauriatur. Quo fit, ut longitudo mensurari proprie possit ope longitudinis, planities ope planitiei, volumen ope voluminis, gravitas ope gravitatis et ita porro. Sed sensatio ita mensurari non potest (De hoc postea ex professo).

4. *Argumentum ex analogia nititur supposito: Similis effectus subaudit similem causam.*
A. Hoc suppositum est falsum. E.

Prob. Min. — *Unus effectus ut e. g. mors potest habere diversissimas causas, ut notum est.*

Rs. Dst. Mai ... Similis effectus — qui est vere *effectus per se* — subaudit similes causas C.; Similis effectus — qui est effectus *per accidens* tantum alicuius causae — subaudit similes causas N.

Ctds. Min. — *N. cons.*

Ad Prob. Min. Rs. Dist. ... diversissimas causas, quae sunt eius causae *per accidens* C.; *per se* N.

Causa per se mortis est destructio organismi. Quod autem haec destructio introducta sit per morbum *cordis* vel *pulmon.*, est per accidens.

THESIS V.

Plantae facultatem sentiendi non habent.

1. *Quaeritur* in hac thesi, utrum entia, quae sensu *obvio* et communi *certo* pro plantis habentur (v. g. rosa, quercus etc.), vi sentiendi gaudeant. Quae quaestio minime est confundenda cum illa, in qua agitur de hoc, ut in casu particulari discernatur, utrum hoc vel aliud vivens pertineat ad plantas an ad bruta. (Solutio huius dubii spectat zoologos).

Plantas hic philosophice nondum definimus — secus committeremus petitionem principii — sed sumimus eas secundum *notionem* earum *communem* et obviam seu vulgarem.

2. Rationes ponendi quaestionem: 1. Ratio *historica*. Multi vim sentiendi (immo nonnulli etiam vim intelligendi) plantis adiudicant: Anaxagoras, Empedocles, Manichaei; hi ultimi homicidium dixerunt arborem caedere. (S. August. lib. 2 *de morib. Manichaeorum* c. 17). Etiam Plato vitam sensitivam plantis attribuit, ideoque eas animalia vocat. — Inter recentes: Schopenhauer, Cl. Bernard, E. von Hartmann, Fechner, Paulsen, Bichat — immo etiam suo modo Spinoza, Haekel, Büchner, Wundt, Leibniz, Bergson, Bilikiewicz sensationes plantis attribuunt.

Nonnulli moderni (v. g. Haberlandt) conantur «empirice probare» sensibilitatem plantarum ex «plantarum organis», quibus dicuntur percipere lucem, saporem, gravitatem, etc.

2. *Ratio Physiologica*. In plantis datur certo *irritabilitas*, qua fit, ut plantae sub influxu stimulorum externorum operationes producant, quae praeseferunt similitudinem motus spontanei.

3. Methodus adversariorum. 1) *Nimis sistunt* in characteribus communibus operationum animalium et plantarum; *negligunt* differentias. 2) *Similitudinem analogicam* ad identitatem specificam inconsiderate evehunt. Habent v. g. pro motu spontaneo i. e. ex cognitione et appetitu orto motum mimosae pudicae etc.

4. Thesis asserit: Plantae non gaudent facultate sentiendi. Omnes earum motus, etiam illi, qui similitudinem

quandam cum motu spontaneo praeseferunt, sufficienter explicari possunt ope motuum reflexorum et irritabilitatis (quae nec in animalibus est ordinis sensitivi; est tantum praeparatio ad actum sentiendi).

Probatur thesis.

Argumentum I. *Ex finalitate.*

Plantae non possunt naturaliter praeditae esse facultate, quae pro ipsis omnino *inutilis* esset, immo et *nociva.*

A. Facultas sentiendi esset pro plantis omnino *inutilis*, immo et *nociva.*

Ergo plantae non possunt naturaliter praeditae esse facultate sentiendi.

Maior exprimit principium in *inductione* fundatum et a *scientiarum* naturalium peritis acceptum.

Prob minor per partes:

Pars I. *Facultas sentiendi esset pro plantis inutilis.*

Inutilis est dicenda plantae illa facultas, *quae nihil confert ad eius nutritionem, auctionem, propagationem speciei.*

A. Talis esset vis sentiendi in plantis. *E.* esset inutilis.

Prob. min. ult.:

Quod *nutritionem* attinet, planta alimentum suum in copia sufficienti in gleba et aëre circumdante invenit, quin sit ei necessarium illud motu spontaneo *quaerere.* Nec est ei necessaria vis sentiendi ad *dignoscendum* cibum utile a nocivo; haec enim discretio sufficienter habetur ex eo, quod elementa inutilia aut nociva non possunt *assimilari* a planta propter indebitas proprietates chimicas, quae vegetationi non inseviunt. Non aliter res evenit in ipso homine teste conscientia.

Quod spectat *auctionem*, haec nec apud animalia (hominem) provenit a vi sentiendi!

Similiter motus *generationi* inserviens perfecte explicatur per motus reflexos spermatum, et varios tropismos. Similes motus nec in entibus cognitione certo praeditis conscii sunt.

Pars. II. *Vis sentiendi esset nociva pro plantis.*

Plantae solo affixae *non possent malum,* quod sentirent, *fugere.*

ARGUMENTUM II. *Ex analogia.*

1) Plantae nullum dant signum sensationis.

A. Certo talia signa darent, si reapse experirentur sensationes.

E. Non experiuntur sensationem.

Ad Mai.: Nullum dant signum doloris, delectationis, timoris, irae etc.

Ad min: Si haberent sensationes, necessario aliae ex eis essent pro ipsis iucundae, aliae iniucundae, idque aliquo modo manifestarent saltem aliquando (atque adeo motus earum non essent semper perfecte regulares et constantes, ut sunt v. g. in mimosa pudica).

2. Plantae etiam perfectissimae *non habent organa* sensationi inservientia. — Verbis autem abutitur Haberlandt, qui loquitur de « organis sensuum » in plantis. « Organum sensus » enim non est pars corporis, quae perficit motus quoscumque pro organismo utiles — hoc enim et per motus reflexos fieri potest — sed motus, qui diriguntur cognitione et appetitione proprie dicta (seu appetitione fundata in cognitione).

COROLL. — *De differentia metaphysica inter plantam et animal.*

Vis sentiendi constituit differentiam metaphysicam (specificam) inter animal et plantam. Ergo animal recte definiri potest: *vivens sensitivum.*

Prob.: Id constituit metaphysicam (specificam) differentiam inter animal et plantam, quod 1° distinguit animal ab omni alio, quod non est animal; 2° quod est radix ontologica, ex qua fluunt omnes aliae differentiae. A. Hoc valet de vi sentiendi in animali.

E. vis sentiendi constituit metaphysicam (specificam) differentiam inter animal et plantam.

Prob. min. — *1um* fluit ex duabus thesibus praecedentibus tamquam corollarium.

Ad 2um: ex una parte motus *spontaneus* praesupponit appetitionem, appetitio vero praesupponit sensationem; ipsa tandem sensatio in suo ordine, nihil prius praesupponit — Ex altera parte: sensatio respicit haec duo i. e. motum spontaneum et appetitum tamquam suum *naturale complementum.*

Non recte reponeretur haec differentia inter plantas et animalia, de qua agimus, in structura organismi. Structura enim sequitur ipsam animam utpote ens nobilius ac proinde ipsam facultatem sentiendi. Quia talis anima, ideo talis structura, non e contra!

OBIECTIONES.

1) *Sicut vi «analogiae» (inter animalia et homines) tribuimus animalibus vitam sensitivam, ita vi similis nalogiae (inter plantas et animalia) adscribenda est vita sensitiva etiam plantis.*

PROBO ASSERTUM. — *Plantae — eaque ac animalia* — quaerunt *conditiones maliores vitae v. g. vertendo se perpetuo ad solem, contrahendo sua folia, si forte tangantur (v. g. mimosa pudica), capiendo dolo in sua folia insecta etc.*

RS. N. ASSERTUM.

AD PROB. DST. — Plantae quaerunt conditiones meliores vitae per motus *spontaneos* N . . . *mechanicos* C.

EXPL. — Motus modo citati sunt prorsus *constantes, regulares* et *uniformes* — quae omnia monstrant optime hosce motus esse mechanicos, proindeque non provenire ex appetitu *elicito*, sed appetitu *innato* qui proportionatur eorum *naturae viventi*, mira teleologia (ut alibi ostendimus) praeditae.

2) *Quod habet somnum, habet vitam sensitivam (nam somnus est proprietas vitae sensitivae).*

A. Plantae habent somnum (sive nocturnum, sive — et praesertim — hiemalem).

RS. DST. MAI. — Quod habet *somnum proprie dictum*, habet . . . C.
Quod habet somnum *late (analogice)* dictum, habet . . . N.

CTDS. MIN. — N. cons.

EXPL. — Mutatis adiunctis externis, mutatur in plantis etiam intensitas processuum assimilationis vitalis; cum autem haec adiuncta *periodice* mutentur, hinc etiam periodice venit in plantis *intentio et remissio* operationum vitalium; unde *quaedam* (analogica) species sommi.

3) *Plantae sub influxu vaporum aetheris fiunt — aeque ac animalia — anaestheticae.* Ergo *sunt praeditae vera facultate sentiendi.*

RS. DST. ANTC. — Plantae illae fiunt *proprie anaestheticae* (i. e. suspenditur in ipsis facultas *sentiendi*) N. (propter argumenta data in thesi) . . . fiunt *improprie anaestheticae* (i. e. suspenditur in ipsis irritabilitas et cum ea motus *reflexi*) C.

4) *Forte plantae habent sensus, qui nos omnino fugiunt.* Ergo *argumentum « ex defectu sensuum » nullius est valoris.*

Rs. N. Antc. et Cons. — Nam si haberent re vera sensus, hi sensus convenirent cum nostris saltem in quibusdam proprietatibus *communibus* (*genericis*) atque adeo prodirent *aliqua* tandem signa motus *spontanei.* — Si neque communes (genericas) notas habent cum sensibus nostris, non possunt appellari, « sensus » nisi secundum praedicationem *aequivocam*, ut patet.

5) *Dantur entia, quae constituunt* limitem *inter animalia et plantas. Ex quo concludendum est sensibilitatem esse proprietatem non solius animalis, sed omnium viventium, licet in diverso gradu.*

Dst. Antc. — Dantur . . . . plantas, sensu quodam mere *relativo*, quatenus videl. nondum sufficienter a scientia exploratum est, utrum habeant sensus necne (atque adeo, utrum ad regnum animalium pertineant necne) C. sensu *absoluto* i. e., vere constituunt quid intermedium inter plantas et animalia N. (medium enim inter « sentiens » et « non-sentiens », ut patet, repugnat).

N. Cons.

6) *Quaedam entia (v. g. spongiae), quae certo pro animalibus habentur, carent motu spontaneo.*

Rs. Dst. Antc. — Quaedam . . . carent *omni* motu spontaneo — N (nam *reagunt* ad stimulos mechanicos et chemicos modo diverso ac plantae); . . . motu spontaneo *locomotionis* Sbds, . . . per *totam* vitam — N; per *aliquam periodum* vitae (etsi longum) C.

THESIS VI.

Anima sensitiva essentialiter superat materiam.

1. Ratio ponendi thesim. — Quemadmodum thesi I ostendimus, operationes vitales etiam *infimae* (v. g. nutritionis) adeo transcendunt processus materiae anorganicae, ut explicari non possint per solas vires physicas — chemicas, sed necessario postulent principium speciale, principium vitale, quod essentialiter substantiam materialem superat.

Quae cum ita sint, fere superfluum videtur explicite probare animam *sensitivam*, qua talem, essentialiter materiam superare. Si enim operationes vegetativae non possunt per vires materiae explicari, *a fortiori* idem dicendum est de sensationibus. Hae enim istis multo superiores sunt, quemad-

modum tum *conscientia* testatur, tum sensus clamat *communis* sive in observatione obvia sive in inquisitionibus stricte scientificis fundatus.

Quod *conscientiam* attinet ipsa nobis testatur tantam propinquitatem et affinitatem sensationis cum intellectione, ut quandoque hi duo actus difficulter tantum ab invicem distingui possint. Porro nulla talis affinitas inter intellectionem et vegetationem deprehenditur; quo fit, ut sine ullo negotio intellectio a vegetatione apprime a nobis distinguatur.

Quod sensum communem spectat, hic tantam superioritatem adscribit vitae psychicae etiam infimae (sensationi) prae vita vegetativa, ut non desint, qui dividant res mundi aspectabilis simpliciter in duplicem classem: *physicas* (materiales) et *psychicas* (confundendo ita in una classi sensationem et intellectionem).

Si igitur thesim specialem de differentia essentiali inter principium *sensationum* et *materiam* ponimus, rationibus ducimur praecique *historicis*: olim plurimi philosophi, hodie vero non pauci cultores scientiarum naturalium — qui omnes communi nomine materialitarum comprehenduntur — phaenomena psychica reducunt ad manifestationes materiae.

2. MATERIALISMUS est doctrina, secundum quam id, quod est *vere reale* in mundo, est *materia*; proindeque omnes, quotquot sunt, proprietates rerum non sunt nisi materiae affectiones.

Doctrina haec ita *generaliter* enuntiata — si *systematice* consideratur — dividi potest in duas classes:

1) Psychicum est simpliciter quid *physicum*: et quidem sive materia (puta: cerebri excretum) sive particularis quidam materiae status (modificatio), qui eiusdem prorsus est rationis ac e. g. electricitas, radioactivitas corporum, etc.

2) Psychicum non est quidem simpliciter materiale quid, nec status proprius materiae; est tamen *productum materiae* et ad materiam refertur tamquam eius status secundarius seu « epiphaenomenon ».

Ad hanc ultimam classem materialismi *logice reduci* potest systema multorum fautorum s. d. parallelismi psychophysici (parallelismi « materialistici », de quo ex professo

postea), secundum quos psychicum nec est quid simpliciter materiale, nec est proprie productum materiae, est tamen phaenomenon « concomitans » processus materiales (Cf. opus nostrum: *L'âme et le corps d'après Spinoza*, Paris, Alcan, 1930, pag. 142; 169–170).

Historice rem considerando, Materialistae fuerunt antiqui *Atomistae*, secundum quos omnis eventus in rerum natura ad motum mechanicum atomorum reducitur. Ita e. g. *Leucyppus* et *Democritus*, secundum quos cognitio sensitiva consistit in hoc, quod imagines (εἴδωλα) — effluvia atomorum ex rebus — contactu mechanico afficiunt ac immutant sensoria. Doctrinam similem tenet *Epicurus* et *Lucretius Carus*.

Saeculo XVII materialismum in psychologia restauraverunt praesertim *Hobbes*, pro quo perceptio sensitiva non est nisi motus quarundam partium entis viventis; *Priestley*, qui identificat sensationem cum processu nervorum (psychologiam cum physiologia); *Toland*, qui tenet omnem actum psychicum non esse nisi functionem cerebri.

Saeculo XVIII floret materialismus ex parte in philosophia « Illuminationis » in Gallia: *de la Mettrie* (« l'homme machine, l'homme plante »), P. H. D. von Holbach (« l'homme est un être purement physique »).

Saeculo XIX materialismum profitentur in psychologia *Cabanis*, secundum quem cogitatio est eodem modo functio cerebri, quo fel iecoris; L. Feuerbach, qui docet (tractando rem « scientifice » non « philosophice ») corpus in sua totalitate sumptum efficere totam essentiam hominis; *Schopenhauer*, qui defendit materialismum phaenomenologicum (intellectus est « phaenomenon » cerebri eodem iure, quo cerebrum est productum cognoscentis); *Carolus Vogt*, qui tenet actus psychicos eodem modo se habere ad cerebrum, quo fel ad iecur vel urina ad renes.

Tandem Moleschott, L. Büchner, Du Bois-Reymond (haesitando), Fr. Strauss, Kotarbiński etc.

3. Hodie materialismus classicus fere iam a solis cultoribus « scientiarum « *experimentalium* tenetur (Petrus Janet, G. Dumas, Nussbaum, etc.); in *philosophia* fere iam non apparet nisi sub forma *monismi* vel parallelismi psychophysici (de hoc postea).

Nihilominus materialismus non minimi est adhuc hodie pro nobis momenti, cum consueverit *omni tempore constituere* « philosophiam vitae » hominum areligiosorum instructione philosophica non gaudentium.

Probatur thesis.

Arg. I. — Sensatio involvit cognitionem.

A. Cognitio non potest explicari per activitatem materiae brutae (sed postulat principium speciale).

E. Sensatio non potest explicari per activitatem materiae brutae (sed postulat principium speciale).

Ad Mai.: Sensatio — si stricte loqui velimus — latius patet quam *cognitio* sensitiva; sensatio enim comprehendit in se etiam *appetitionem*, quae non est actus formaliter cognoscitivus; attamen et ipse appetitus supponit seu *involvit* semper praeviam *cognitionem* — ut alibi monstratur. En cur potuerimus dicere in Maiori: Sensatio involvit cognitionem.

Caeterum ad scopum nostrum minime est necesse *omnes*, quotquot sunt, actus sensitivos, in medium afferre; sufficit *unum alterumve* eorum attente considerare, ut evidenter appareat falsitas theoriae, quae *omnes* actus sensitivos ad activitatem materiae brutae reducit.

Min. probatur: 1) *Ex obiecto formali cognitionis.*

Operatio, quae differt ab alia operatione per obiectum formale, non potest per eam explicari.

A. Cognitio est operatio, quae differt ab operatione materiae brutae per obiectum formale. *E.*

Ad min. ult.: Operatio materiae brutae (physica, chemica . . .) habet pro obiecto formali corpus, prout in ordine rerum *physice* (*materialiter*) subsistit. Cognitio autem habet pro obiecto formali corpus, prout in ipso cognoscente *intentionaliter* existit.

2) *Ex unitate conscientiae.*

Teste experientia interna adest in actu sensitivo specialis quaedam *unitas* conscientiae, qua *simul* comprehendi possunt non solum variae partes obiecti extensi, sed etiam varia ac disparata obiecta extensa, et qua fit, ut ope sensa-

tionis attingamus res non per *partes* et *successive* (*iuxtapositio* seu *summa* cognitionum!), sed *totaliter* et *simul* (cognitio iuxtapositionum et ordinis!).

Porro factum hoc est inexplicabile in suppositionibus materialismi; sensorium *omni ex parte materiale* reciperet in *diversis* suis partibus *diversos* influxus obiecti externi; ac per consequens adesset pro sentiente semper *iuxtapositio seu summa perceptionum*, abesset *perceptio iuxtapositionis et ordinis.* — Nec insuper — propter eandem rationem — possibilis esset « discriminatio sensitiva » ; haec enim supponit *unum idemque* principium pati *eodem tempore* influxum *a diversis* obiectis, et quidem ita, ut ea minime secum *confundat* (cf. *La psychophysique humaine d'après Aristote*, pag. 92–93).

Confirm. 1) *Praecludendo effugium materialistarum.*

Materialistae quidam, quo melius causam suam defendant, recurrunt ad « vires materiae » *ignotas.*

Crisis: Vires « ignotae » aut supponuntur agere modo essentialiter *eodem* ac aliae vires materiales nobis notae, aut modo essentialiter *diverso.*

Si I^{um}, valent hic argumenta modo allata. Si II^{um}, arguunt substantiam essentialiter diversam, nam « agere sequitur esse ».

2) *Ex absurdis.*

In hypothesi materialistica sensatio esset actio aut alicuius specialis–*unius*–elementi materialis aut *multitudinis* elementorum. Si I^{um}, tunc *hoc* tantum elementum esset formaliter sentiens, non *totum* subiectum (elementa enim non faciunt *ens per se* unum!).

Si II, tunc sensatio esset *partim* in hoc elemento, *partim* in alio, sed *totaliter* in nullo — nam elementa haec secundum hypothesim materialisticam non faciunt ens vere unum seu ens per se. — Et ita periret necessario *unitas* sensationis, quam experientia interna nobis testatur.

Tandem in *utraque* hypothesi prorsus inexplicabilis esset *continuitas* conscientiae in vita sensitiva; cum enim *tota* materia sentientis continuo mutetur, *principium sentiens* continuo esset *aliud.*

3) Ipsi materialistae prudentiores (v.g. Du Bois–Reymond) fateri coguntur se simpliciter nescire, quomodo sensationes

solis viribus materiae producantur, vel quomodo fiat, ut cognitiones, licet in *se* sumptae non sint nisi motus materiales, nobis tamen appareant prorsus aliter ac motus materiales.

OBIECTIONES.

1) *Cf. obiectiones contra thesim I latas earumque solutiones. Obiectiones enim analogicae istis poni possunt etiam contra thesim praesentem.*

2) *Quo perfectius est organum materiale (v. g. cerebrum), eo perfectior est etiam sensatio. Ergo sensatio est effectus organi materialis (non animae).*

Rs. Dst. Antec. — Quo . . . sensatio, et hoc arguit organum materiale esse pro sensatione sive *conditionem* sive *causam* C., esse *causam*-Sbds., esse causam *adaequatam* N. esse *concausam* (modo explicando infra) C.

Expl. — Quod in thesi praesenti negamus, est: *sola* materia sufficit ad rationem reddendam sensationum. — Minime vero intendimus negare materiam informatam anima concurrere tamquam veram concausam ad sensationem producendam.

3) *Ex theoriis oppositis ea praeferenda est, quae redigit ad summam unitatem phaenomena in mundo observata A. Talis est theoria materialistica. E.*

Rs. Dst. Mai. — . . . quae redigit ad summam unitatem vi *argumentorum* solidorum C. vi variorum *praeiudiciorum* N.

Ctdst. min. — *N. cons.*

Thesis, quae reducit omnia phaenomena in mundo ad monismum materialisticum, non nititur fundamento *rationali*, sed potius in diversissimis tendentiis *irrationalibus* et praeiudiciis v. g. Deum non existere, notionem entis immaterialis esse contradictoriam, proindeque materiam solam esse rationem *sufficientem omnium* proprietatum in mundo; finem scientiarum esse omnia ope *unius* principii (formalis) explicare. Et ita porro.

4) *Energia, quam per operationes vitales homo reddit, aequalis est energiae, quam homo in se introducit sub forma alimentorum et inspirationis (ut ostenderunt Rubner et Atwater: principium conservationis energiae).*

N.B.

E. Sola materia omnes effectus vitales producit.

Rs. Dst. Antc. — Energia *materialis*, quam . . . C.

Energia *quaecumque*, quam . . . N. donec probetur.

Expl. — Principium conservationis energiae, si quid valet, valet ubi de energia *materiali* (et quidem de eius quantitate) agitur. Non autem, ubi de energia *psychica*; haec enim mensuram *quantitativam* prorsus respuit (mensura quantitativa fundatur in *quantitate* e per consequens in *materia*, in qua quantitas haeret). — Immo nec valet principium conservationis energiae, ubi de sola *directione* energiae materialis agitur, seu de eius *qualitate*. (Quomodo anima possit qualitative mutare energiam materialem, vide: *La psychophysique humaine d'après Aristote,* passim).

THESIS VII.

In singulis animalibus brutis non est nisi unica anima, in qua vita tum sensitiva, tum vegetativa fundatur.

1. Experientia tum communi tum scientifica teste *unumquodque animal vivit semper duplicem simul vitam:* sensitivam et vegetativam, quae intime secum connectuntur. Ita v. g., ut vita *sensitiva* conservetur in *individuo*, opus est efficaci activitate facultatis *nutritivae*; ut conservetur in *specie*, opus est activitate facultatis *generativae*; ut adsit qualiscumque tandem actus *sensationis*, requiritur concursus materiae *nerveae*; ut motus *spontaneus* exerceri possit, praesto esse debet energia *musculorum*. Et ita porro.

Hoc facto posito, quaeri potest, utrum operationes vitae *sensitivae* et *vegetativae* regantur duabus realiter inter se distinctis animabus an anima *unica*, quae solum *duplicem* praestaret *functionem*: sensitivam et vegetativam.

2. *Rationes dubii*: 1) Actus *vitae sensitivae essentialiter differunt* ab actibus vitae *vegetativae.* 2) Vita vegetativa potest in ordine physico *sola* i. e. sine vita sensitiva *existere* (in plantis). — Porro utrumque est signum distinctionis *realis*; ad salvandam eam opus est saltem reali distinctione *facultatum* (sensitivarum et vegetativarum) seu principiorum *proximorum.* Estne necessario admittenda insuper distinctio realis inter principia *ultima* seu *animas*? En problema, de quo thesis praesens.

3. Sententiae :

I. Plato: *a*) Homo habet tres animas: τὸ ἐπιθυμητικόν in hepate, τὸ θυμοειδές in pectore, νοῦς in capite. — *b*) Animal

possidet duas primas animas. (Plantae tantum primam habent).

II. Polydynamismus: Corpus vivum plurimis « archaeis » est praeditum; unum ex eis tenet supremum gubernium aliorum. Ita v. g. Johannes Baptista van Helmont, Bilikiewicz et alii.

III. Quidam *Vitalistae*: Principium vitale distinguitur realiter ab anima, quae est principium solius vitae altioris (psychicae).

4. *Sententia nostra* defendit unitatem ontologicam (physicam) animae seu eius *unicitatem* (et non solum unitatem quandam *coordinationis* seu unitatem in efficientia); haec anima est sensitiva, quae tamquam forma superior *virtualiter* continet in se vitam vegetativam. — Aliis verbis inter animam sensitivam et vegetativam agnoscimus distinctionem non realem, sed *virtualem* tantum: sicuti in gradibus metaphysicis genus et differentia specifica se habent ad invicem ad instar potentiae seu materiae ad actum seu formam (quae materiam perficit), ita materia actuata (informata) per animam sensitivam, *prout* haec functionem *vegetationis* dirigit, considerari potest ut in *potentia* ad actuationem per eandem animam, *prout* haec est radix *sensationis*. Cfr. S. Thom. Quaest. disp. *De Spir. creatis,* art. 3 ad 3.

Probatur thesis.

Arg. — Animal est unum ens vivens.

A. Unum ens vivens non habet nisi unam animam.

E. Animal non habet nisi unam animam.

Ad. Mai. Unitas animalis apparet, generatim loquendo, ex eo, quod actiones tum sensitivae tum vegetativae ad unum eundemque *finem* ultimum tendunt scil. bonum *animalis*. In specie:

a) Statim ab initio vitae apparet in actionibus *vegetativis* tendentia primo ad producenda organa *sensationi* destinata, et deinde — postquam iam producta sunt — ad eadem continuo sustentanda, perficienda et reparanda. — Ex altera autem parte operationes *sensitivae* respiciunt tamquam proprium suum finem operationes *vegetativas* eisque subserviunt: *appetunt* alimenta utilia, *quaerunt* ea, *distinguunt, eligunt*...

b) *Quo perfectior vegetatio*, eo perfectiores etiam — caeteris paribus — *sensus* in individuo, immo etiam in scala viventium sensitivorum.

c) *Perturbatio* actionum *sensitivarum* (dolor, influxus phantasiae etc.) afficit statim ipsam *vegetationem*; ex altera autem parte vegetatione impedita, impeditur etiam activitas sensus.

d) Ubicumque operationes sensitive cessant existere seu *moriuntur*, inseparabiliter etiam operationes vegetativae evanescunt. Transitus semper fit a *bruto* ad materiam *non vivam*. (Ex bruto numquam fit planta!)

Similiter *generatio* aut producit *utramque* vitam, aut, si utramque non potest producere, non producit ullam (canis numquam generat rosam!).

e) Pars corporis *abscissa* ab ente sentiente aut *duplicem* vitam *conservat* ac se evolvit in ens sensitivum, aut amissa una vita *utramque* vitam *perdit*.

f) Teste *conscientia* et sensu communi — quod « per analogiam » ad animalia extendere licet — *idem est*, *qui comedit*, *et qui* sentit.

g) organismus totus apparet tamquam quid *unum*.

Prob. Min. Unum ens vivens non habet nisi unam animam:

1) Posita duplici anima in animali (veget. et sensit.) ponitur eo ipso duplex principium operationum immanentium.

A. Posito duplici principio operationum immanentium actum est iam de unitate finali eius operationum.

E. Posita duplici anima actum est iam de unitate finali operationum animalis.

Prob. Min. ultim.

a) Principium vegetativum non habet perceptionem, ut probavimus; hinc non potest per *modum perceptionis* communicare cum principio sensitivo ad *unitatem* in operando *efficiendam*.

b) Non potest unum principium cum altero communicare per modum *actionis transeuntis*, nam operatio transiens illis repugnat. Duplex enim anima constituit *duplicem* sphaeram actionum clausam, utpote actionum immanentium.

2) Supposita *multiplici anima* undenam desumenda esset unitas entis? Non *a)* a *materia*: Nam α) materia non est principium unitatis, sed e contra unitatem a forma *recipit*, quo fit, ut destructa vita in ente, materia evadat statim multiplex (cadaver non est ens per se unum!); β) materia semper in vivente *mutatur*, subest continuo fluxui.

b) Non ab *anima*. Haec enim ex hypotesi, quam expugnamus, est duplex. Sed α) duplex anima constitueret duplex principium *radicale* operationum, hinc duplicem *naturam*, duplicem substantiam, duplex individuum; β) non bene intelligitur, cur generatim duae vitae: sensitiva et vegetativa *se* invicem *impediant*. Nam sphaerae actionum clausae — quales sunt sphaerae actionum duorum principiorum immanentium — non se mutuo impediunt, nisi radicentur in communi aliquo principio.

— Ne dixeris: Radicantur in *una materia*. Nam materia non est principium unitatis, sed eam *recipit* praecise ab alio. — Si operationes sensitivae et vegetativae se invicem impediunt, hoc ideo tantum fit, quia in *uno* principio dynamico seu in una anima radicantur.

3) In suppositione adversariorum brutum esset *ens vegetans* eiusdem prorsus rationis ac vegetale purum (planta), sed praeditum *insuper* vita sensitiva. Quod quidem concedi nequit; nam sensibilitas est in bruto *intrinsecum* « *complementum* » *vegetationis*. Ita v. g. fames vel sitis sunt propter *vegetationem*: sunt excitationes ad quaerendum alimentum. Quare ens vegetativum in bruto, quotiescunque privatur sensibilitate, non aequivalet enti completo plantae, sed est ens *intrinsece* mancum, ad conditiones vitae non adaptatum, incapax existendi — et *necessario perit*.

4) In suppositione adversariorum anima sensitiva dicenda esset *subordinata* fini *essentialiter inferiori* sibi, scil. vegetationi. Sensatio enim in bruto animali non est sibi ipsa finis (sciurus non ascendit in arborem, ut *cognitione* pulchri campi delectetur!), sed ordinatur ad inveniendum nutrimentum aptum vegetationi et ad prolem generandam.

Difficultas haec sponte evanescit, si non datur in animali nisi *una* anima; tunc enim anima sensitiva non subordinatur fini inferiori, cum re vera non serviat fini *extrinseco*, sed *sibi* ipsi (tantum spectatae secundum aliam virtualitatem).

Cor. I. *Definitio animalis.* — Cum in animali unica adsit anima, quae tum operationes vegetationis tum operationes sensationis perficit, animal recte definiri potest: « substantia vivens sensu praedita ». In qua definitione « substantia vivens » exprimit id, quod est animalibus commune cum plantis, seu genus — nam ex usu communiter recepto « vita » simpliciter et sine addito dicta sumitur antonomastice pro vita vegetativa. — Reliqua verba definitionis constituunt differentiam specificam.

Cor. II. *Anima sensitiva est forma substantialis animalis.*

1. Veritas huius asserti eruitur facili ratiocinio, cuius praemissam maiorem praebet thesis praesens, praemissam vero minorem thesis II, sicque enuntiari potest:

Anima sensitiva est in animali realiter idem ac anima vegetativa (principium vitale).

A. Anima vegetativa (principium vitale) est realiter idem ac forma substantialis entis viventis.

E. Anima sensitiva est in animali realiter idem ac eius forma substantialis.

Cum forma substantialis det corpori « esse » simpliciter, inde ortum est axioma communiter in psychologia scholastica receptum: « viventibus vivere est esse ».

OBIECTIONES.

1) *Factum experientiae, quod videl. operationes sensitivae et vegetativae mutuo se impediunt, melius explicatur in suppositione duplicis animae.*

Probo assertum. — *Non enim apparet, quomodo* unum idemque *se ipsum impedire possit.*

Rs. Dst. Antc. — Factum . . . . in suppositione duplicis animae, si utrique conceditur actio transiens C. vel Trans., si ipsis haec actio (utpote principiis radicalibus operationum immanentium) denegatur N. N. insuper suppositum: ex *hoc solo* facto (quod operationes sensitivae et vegetativae se invicem impediunt) argumentum nostrum procedere.

Dst. Probationem. — Non . . . . si anima operaretur per suam *essentiam* C. vel Trans. Si operatur per potentias, Sbds. Non apparet, quomodo *unum* idemque *se* ipsum impedire possit per se C. per *accid.* N.

EXPL. — Si anima omnes operationes vitales perficeret per suam essentiam, tunc non possent aliae eius operationes alias impedire, nisi velis animae *finalitatem* intrinsecam — et per consequens rationem (unius) *naturae* — ei denegare. At si anima operatur per potententias, nihil obstat, quominus aliae operationes alias operationes impediant; non utique, hoc directe in se intendendo (« per se »), sed quatenus v. g. nimis absorbent sua activitate virtutem animae (« per accidens »).

2) *Realiter distinguuntur, quorum conceptus sunt diversi A. Conceptus animae sensitivae et animae vegetativae sunt diversi E. Anima sensitiva et anima vegetativa realiter distinguuntur.*

RS. DST. MAI. — . . . quorum conceptus *comprehensivi* sunt diversi C. . . . . quorum conceptus *praecisivi* sunt diversi SBDS. . . . realiter distingui *possunt* C.; realiter distingui *debent*: SBDS. realiter distingui debent *quoad principia proxima* C., ultima ac *remota* N.

EXPL. — Cum conceptus comprehensivi sint, qui *omnes* notas rerum exhibeant, ex eorum diversitate recte etiam diversitas rerum deducitur. — At conceptus, quos habemus de anima sensitiva et anima vegetativa, non sunt nisi conceptus *praecisivi*. Porro conceptus praecisivi (nisi sint fructus solius rationis ratiocinantis) arguunt utique *aliquam* distinctionem realem; at non necessario distinctionem realem in principiis *ultimis*. — Quare etsi in *ordine abstracto* sumpti conceptus animae sensitivae et animae vegetativae sint diversi, non necessario in ordine *physico* duas substantias distinctas requirunt.

3) *Quae differunt « specie », non possunt ab uno eodemque principio formali provenire.*

A. Actiones sensitivae et actiones vegetativae « specie » differunt. Ergo Non possunt ab uno eodemque principio formali provenire.

RS. DST. MAI. — Quae differunt « specie » *et sunt substantiae*, non possunt ab uno eodemque principio formali provenire C. vel TRANS. Quae differunt specie et *sunt accidentia*, non possunt ab uno eodemque principio formali provenire SBDS. non possunt ab uno eodemque principio formali *proximo* C. vel TRANS., ab uno eodemque principio remoto N.

EXPL. — A multis fit saepe maximus abusus locutionis « specie differre ». — Sensu *absoluto* haec locutio applicari non potest nisi *substantiis*; *hae* enim tantum constituunt species.

Accidentibus non potest haec locutio applicari nisi sensu quodam *relativo*: videl. accidentia dicuntur specie (seu specifice) differre, si in ordine physico inhaerent substantiis ad diversas species pertinentibus, vel si in ordine abstracto considerata consti-

tuunt notas proprias specialis « typi abstracti entium » seu « speciei metaphysicae ».

Quàe modo de accidentibus diximus, valent etiam de *actionibus* vegetativis et sensitivis, cum hae non sint nisi accidentia.

Obiiciens, dum in Maiori dicit: « Actiones sensitivae et actiones vegetativae specie differunt » non potest sine aperta petitione principii locutionem « specie differre » intelligere sensu primo (i. e. de ordine physico), ut manifesto patet, sed tantum sensu secundo. — Sed tunc nihil evincit, nam ex eo, quod in consideratione *abstracta* operationes sensitivae et vegetativae constituunt diversos typos (metaphysicos) entium, minime fluit eas non posse in uno eodemque principio *physico* (ultimo) fundari, quod simul continet perfectionem duorum typorum: et quidem unum *formaliter* (scil. sensitivum), alterum (videl. vegetativum) *virtualiter*.

In leone, prouti vivit a parte rei, distingui quidem possunt diversa principia *proxima* operationum, attamen invenitur una *completa* species leonina. Quo fit, ut leo operationibus suis vegetativis generet non v. g. quercum sed tantum leonem, cum vita vegetativa in leone inveniatur *virtualiter*. (Noli confundere « virtualiter » cum « potentialiter », secus habebis difficultatem, quomodo ens vegetativum possit univoce praedicari de planta et animali!).

4) *Animal definiri solet a Scholasticis « vivens sensitivum ». Ergo constituitur duabus partibus.*

Rs. C. Antc.

Dst. Cons. — Constituitur duabus partibus *physicis* N., *metaphysicis* (genere et differentia specifica) C.

Una eademque anima praebet animali et genus et differentiam specificam; at genus praebet anima, quatenus consideratur sub ratione communi viventis; differentiam vero specificam, quatenus consideratur secundum potentias sensitivas.

THESIS VIII.

Sensatio est operatio compositi ex anima et corpore seu operatio organica.

1. St. Quaest. — Nemo est, qui in dubium vocet *necessitatem corporis* pro sensatione elicienda. — At controversia oritur, ubi de *natura* huius necessitatis ulterius determinanda agitur: estne haec necessitas *conditionis*, an necessitas proprie dictae *causae*; aliis verbis: dependetne sensatio a cor-

pore tantum *extrinsece*, an *intrinsece* seu ita, ut corpus vere ac proprie concurrat ad *costituendum* ipsum principium adaequatum sentiendi? — In primo casu sensatio formaliter sumpta erit operatio *solius* animae; in secundo erit operatio *compositi* ex anima et corpore seu operatio organica (operationem non esse operationem *solius corporis* abunde liquet ex thesi VI!)

2. Sententiae:

I. *Sensatio est operatio solius animae.*

a) *Plato* (Theaetetus 184 c. d.): Anima cum corpore non facit unum per se, sed ei mere assistit illudque dirigit eo fere modo, quo nauta navem suam; non datur ulla operatio vere *communis* animae et corpori; sensatio est operatio *solius animae*, atque adeo operatio *non organica*; organum seu sensorium (v. g. oculus in visione, auris in auditione) est mera *conditio* vel instrumentum, sed non proprie dictum *conprincipium eliciens* sensationem. Platonem sequuntur Neo-platonici, Plotinus, Simplicius, S. Augustinus etc.

b) *Ex Aristotelicis* eandem sententiam profitentur *Henricus Gandaviensis* et *Gregorius Ariminensis* (Cfr. apud Suarez, *De Anima* lib. II, c. 3, n. 2).

c) Ex recentioribus idem fere tenent *Cartesiani.* — Tollendo e medio notionem Aristotelicam potentiae et actus *Cartesius* eo ipso etiam tollit unionem substantialem animae et corporis, *qualem Aristoteles* admittebat. Unio autem animae et corporis, qualem ipse tenet, est ipso fatente notio *obscura* pro intellectu (Cfr. *Lettres à Elisabeth*: 28 Iuin 1643; éd. Adam et Tannery, *Correspondance*, tome III, lettre 310, pag. 691-92) ac ultimatim videtur reduci ad *actiones*, quas reciproce in se exercent anima et corpus. Sensatio *humana* (brutis enim sensationem, ut alibi vidimus, denegat) est « confusus cogitandi modus » ac proinde actio *solius animae.* — Discrimen praecipuum inter sensationem et intellectionem consistit in hoc, quod in sensatione mens convertit se ad *motus*, qui fiunt in organis, in intellectione vero ad res *immateriales.*

d) Similem sententiam quoad substantiam tenent: *Leibniz, Wolff, Rosmini* et generatim omnes illi, qui coniunctionem animae et corporis per *mutuum influxum* (psychophysicum) explicant.

e) Tandem eandem quoad rem doctrinam tenent omnes moderni, quotquot *Materialismum repudiant*: nullo enim facto

discrimine inter actus sensitivos et intellectivos solent ipsi considerare omnes actus psychicos tamquam aeque *simplices* ac proinde actus *solius animae.*

II. *Sensatio est operatio organica.*

Aristoteles: sensatio procedit a *composito*, scil. ab organo anima informato ac proinde compositum ipsum est principium *eliciens* sensationem. Hoc assertum cohaeret cum doctrina Aristotelica de unione substantiali corporis et animae, in qua doctrina anima communicat tamquam forma corpori suam virtutem, et ita unam *naturam* cum eo efficit. Licet sola anima sit principium *formale* seu radix operationis sensitivae, attamen principium *efficiens* actum sensationis non est nisi compositum. — Organum materiale igitur non est *occasio*, nec *conditio* sensationis, sed verum *conprincipium* sensationis; ipsa autem sensatio non est aggregatio plurium actionum, sed una, indivisa actio — *actus unius compositi.* (Cfr. *De Sensu et Memoria*, 436, a. 8–9, b. 7; *de Anima*, 403, a. 6; *de Somno et Vigilia*, I, 454, a. 7).

Ita *S. Thomas* (S. Th., I. p., quaest. 75, a. 3).

Sententia haec est *communis Scholasticorum.*

III. Mediam sententiam inter Cartesianam et Aristotelicam adstruere conatus est P. Palmieri (eam tamen postea ipse dereliquit).

« Ut externa sensatio — docet Palmieri — habeatur, neque sufficit principium extensum tantum, neque solum simplex; sed simplex simul et extensum esse debent; quae in unitatem coeant naturae; illud [simplex] vero requiritur ut principium eliciens actum sensationis, hoc [extensum] ut *conditio intrinseae* eiusdem activitatis », (Antropol., pag. 279). *Extensum*, quod « spectat ad constitutionem intrinsecam adaequati principii seu subiecti sentientis » est « corpus recipiens impressionem ab obiecto » (*op. cit.*, pag. 287). Nihilominus corpus non est *conprincipium* actus ita, ut simul cum anima *eliciat* actum sed est tantum *conditio intrinseca*, quae constit in hoc, « quod etsi non eliciat actum sensationis, tamen unam naturam constituens cum eliciente actum est ratio, cur ab eo [principio proprie eliciente i. e. anima] actus esse possit », (*op. cit.*, pag. 289).

3. Thesis defendit sententiam *communem Scholasticorum.*

4. *Momentum quaestionis* est magnum; constituit enim fundamentum tum pro thesi de *essentiali discrimine* inter vitam sensitivam et intellectivam et per consequens inter animam bruti et animam hominis, tum pro doctrina, secundum quam corpus et anima ordinantur ad *unam naturam* constituendam.

Probatur thesis.

Arg. — Sensatio in animalibus brutis non est perfectioris *ordinis*, quam in homine.

A. In homine sensatio est organica.

E. Etiam in brutis animalibus sensatio est organica.

Ad mai.:

Quosdam sensus posse animal habere acutiores quam homo, extra dubium est. Sed haec differentia spectat *gradum* non autem *ordinem*, de quo *solo* argumentum procedit.

Argumentum hoc directe valebit de homine tantum. Ad animalia bruta applicabitur ope *analogiae.*

Minor prob. 1. *Ex dependentia actus sensationis a conditionibus materialibus (ratio suasiva).*

Sensatio (visio, auditio, ira, tristitia etc.): *a*) *incipit et cessat*, prout excitatio nervea incipit et cessat; *b*) *crescit vel decrescit* (generatin loquendo lege constanti et uniformi) tum quoad intensitatem tum quoad extensionem, prout crescit vel decrescit excitatio nervea. Aether, substantia alcoholica, venenum, frigus, affluxus sanguinis aliaque id genus agunt quidem per se nonnisi in nervos, attamen, ut experientia constat, mutant vel etiam tollunt sensationes. Quo fit, ut modificationes sensationis possint considerari tamquam quaedam *functio mathematica* mutationum physiologicarum *c*) perturbatur *nimia intensitate* obiecti seu stimuli.

A. haec tria optime explicantur in theoria, quae sensationem habet pro operatione organica, non ita in theoria adversa. Ergo.

Probo: Si in sensatione gignenda concurreret corpus tamquam *conditio* tantum sensationis, causa proprie dicta esset *sola* anima. Sed tunc inintelligibilis prorsus fit *omnimoda* dependentia sensationis a statu nervorum.

2. *Ex obiecto formali sensationis.*

Operatio speciem suam sumit ab obiecto suo formali, hinc talis est perfectionis, qualis perfectionis est ipsum hoc obiectum.

A. Obiectum formale sensationis est materiale.

E. Sensatio est actus materialis — seu quod in idem redit: est actus, qui efficitur a composito.

Ad min.: Sensus non attingit obiectum nisi ut *affectum conditionibus materialibus* singularitatis, unitatis *individuae.*

3. *Ex conscientia.*

Illud subiectum sentit, quod actum sentiendi efficit eumque recipit.

A. Subiectum, quod actum sentiendi efficit eumque recipit in homine, non est anima sola, sed compositum.

E. Non anima sola sed compositum sentit.

Ad mai.: Maior patet ex notione actus vitalis. — Sensatio est actus vitalis. Actus vitalis est actus immanens. Actus immanens est, qui ab uno eodemque subiecto efficitur et recipitur.

Ad min.: Experimur sensationem *coëxtendi obiecto* suo v. g. sensatio tactionis coëxtenditur obiecto tacto; partes enim et partes in ea experimur; similiter *dolor* sentitur ut me afficiens modo extenso. Et ita porro. Hinc sensatio debet esse aut in se *extensa* aut saltem recipi in *subiecto extenso.* Porro in utraque hypothesi res nostra evincitur. Quoad hypothesim I, res per se patet. In hypothesi II non minus veritas thesis nostrae apparet. Actus enim, qui recipitur in subiecto extenso, non potest esse anima sola; anima enim humana non est extensa (ut alibi probatur). — Ergo subiectum sensationis *non est anima sola*, sed compositum.

Ut vis huius argumenti « ex conscientia » plene percipiatur bene animadvertenda sunt duo:

1°. — Modus extensus se tenet non tantum ex parte *obiecti*, sed etiam ex parte ipsius *actus*: in tactione enim ipse actus sensationis — teste conscientia — *adaequatur obiecto extenso.* Quod minime obtinet, cum intellectu apprehendimus extensionem; non enim tunc conceptus *sentitur a nobis extensus.*

2°. — Ratio argumenti nostri procedit, ut patet, ex sensationibus *tactilibus;* proindeque *directe* nonnisi pro ipsis

argumentum valet. Nihilominus iam hoc modo (directe) sumptum sufficienter ostendit falsitatem theoriae, secundum quam *sensatio, qua talis,* hinc *omnis* sensatio est operatio *solius* animae. — *Indirecte* autem habet hoc argumentum valorem etiam pro *omnibus* sensationibus in genere; nam: *a)* si *quidam* actus sensationis ipsum compositum afficiunt et non solam animam, non patet — nisi fortiter probetur — cur reliquae sensationes *essentialiter alio modo fiant*; *b)* inter sensationem tactilem ac reliquas (v. g. visivam, circa quam summa adest controversia) perfecta elucet *analogia.* Nam aeque ac per sensationem tactilem etiam per eas *obiectum* cognoscitur omni ex parte *extensum*; insuper aeque ac in tactu etiam in visu adest omnimoda *dependentia* a conditionibus *materialibus* (cfr. rationem I).

Confirmatur Arg. — Ut in homine sensatio oriatur, debet homo determinationem accipere ab obiecto extenso profectam.

A. Anima humana non potest determinationem accipere ab obiecto extenso profectam.

Prob. min. Determinatio ab obiecto extenso profecta est materialis secundum adagium: «agere sequitur esse». Sed determinatio *materialis* non potest recipi in *spirituali*, qualis est anima humana.

Ne dixeris: argumentum, si quid probat, nimis probat. Nam aequo iure dicendum esset: Anima humana nec potest determinationem accipere a rebus externis ad *intelligendum.* Rs.: Si anima humana recipit determinationem a rebus externis recipit eam *mediate* tantum, mediante scil. *sensatione* (externa et interna) et *indirecte*, scil. sub influxu intellectus *agentis* (solus intellectus agens est causa principalis, materiale autem scil. phantasma non est nisi causa mere instrumentalis). Cfr. *La psychophisique humaine d'après Aristote*, chap. V, pag. 150-170.

Coroll. I. *Anima sensitiva non est per se subsistens.*

Ratio huius asserti. —

Quod in *operando* pendet intrinsece a materia, pendet ab ea intrinsece etiam in *essendo.*

A. Anima sensitiva pendet in operando intrinsece a materia.

E. Anima sensitiva pendet a materia intrinsece etiam in essendo.

Atqui rursus: Quod pendet a materia intrinsece in essendo, non potest sine ipso subsistere. Ergo.

Ad. Mai.: « Intrinsece pendere » plus dicit quam « essentialiter pendere ». Aliquid pendet ab alio in operando « essentialiter », si sine eo *simpliciter* agere non potest (ita etiam intellectus pendet a phantasmate). « Intrinsece » autem pendet in operando unum ab alio, si hoc aliud concurrit cum operante ut elementum operanti, qua tali, *intrinsecum*. — Ita *intellecta* Maior patet ex principio causalitatis: « agere sequitur esse ».

Ad min. I: Operationes animae sensitivae sunt, ut probatum est (th. VII), operationes tum sensitivae tum vegetativae.

A. Operationes tum sensitivae tum vegetativae intrinsece pendent a materia (th. VIII, III). Ergo.

Cor. II. *De ortu et corruptione animae sensitivae.*

1. Omnis forma non subsistens per se — ut notum est — educitur de potentia materiae et corrupto composito, connaturaliter desinit esse. Quare et anima bruti, quae — ut modo dictum est — non subsistit per se, non producitur *creatione* sed generatione et ex se *corruptibilis* est.

Adversantur huic asserto, quotquot reiectis substantiis *incompletis* vitam sensitivam repetunt ab aliquo speciali principio substantiali *completo*. Cum enim substantia completa non oriatur nisi per creationem nec desinat esse nisi per annihilationem, consequenter ad haec debent affirmare animam bruti a Deo *creari*, et dissoluto composito (vivente), *a Deo* in *nihilum* redigi. (P. Palmieri hoc expresse de anima tum bruti tum plantae docet; P. Tongiorgi de solo bruto; — vitam enim plantae, ut iam notavimus, solis viribus physicochemicis explicare conatur). — Rationem, cur anima sensitiva a Deo *annihiletur*, repetunt hi doctores ex principio *finalitatis*: Omnis substantia est propter suam operationem; quare deficiente possibilitate operationis, deficit ratio, cur haec substantia ulterius in esse conservetur. Porro composito vivente dissoluto deficit possibilitas operationis pro anima bruti.

2. Qui substantias incompletas non abhorret, alio modo ratiocinabitur: « Fieri » proportionatur τῷ « esse ». Sed τὸ esse

animae sensitivae, utpote formae non subsistentis, intrinsece dependet a materia. Ergo etiam eius «fieri». Porro τὸ «fieri» tunc praecise intrinsece dependet a materia, si «educitur» de eius potentia seu si «generatur».

Cum autem modus *desitionis* correspondeat modo *incoeptionis*, anima sensitiva, quippe quae non creatione, sed *generatione* incipiat, etiam simplici *corruptione* (*compositi*) desinere debet.

Schol. I. *In quo consistat materialitas sensationis.*

Materiale, generatim loquendo, intelligitur, quod *pendet a materia* et quidem in ordine *causalitatis*. — Ita dependent tum accidentia, quae in composito naturali (materia II) subiectantur, tum forma substantialis, quae dependet *intrinsece* a materia I.

Materiale igitur non est confundendum simpliciter cum *extenso*. Ut aliquid sit extensum, debet habere *partes* (ita extensum est corpus). Ut sit materiale, sufficit solum, ut sit *intrinsece dependens* a materia.

Ut ex thesi facile apparet, etiam sensatio est «materialis» — est enim a materia intrinsece dependens, cum sit actus compositi naturalis (seu materiae II).

Attamen cum *actus*, qua talis, (seu ex se i. e. ratione sui), sit *extra* praedicamentum *extensionis*, ideo sensatio non est *per se* extensa; dici tamen potest extensa *per accidens*, ratione videl. subiecti, cuius est actus (forma).

Schol. II. *De principiis «quod» et «quo» sensationis.*

Sensatio est essentialiter *una*. Si enim esset composita ex *duabus* partibus, ut volunt nonnulli, unum elementum maneret in solo corpore, alterum in sola anima, et sic actum esset de *unitate* sensationis, quam nobis conscientia testatur.

Cum sensatio sit realitas *una*, principium, ex quo sensatio egreditur, debet esse aliquid in se unum (realitas una). — Hoc tamen principium diverso ac multiplici modo *considerari* potest: tamquam principium «quod remotum» — et hoc modo consideratum principium sensationis est «*compositum* ex anima et corpore»; tamquam principium «quod proximum» — et est «organum animatum anima sensitiva».

Quia autem ratio *formalis*, quae *compositum* animale reddit capax sentiendi est *anima*, ideo haec vocatur principium

« quo remotum ». Quia tandem organum fit par sensationem eliciendi ratione *potentiae animae* sibi tamquam forma inhaerentis, ideo *haec potentia* dicitur principium « quo proximum ».

N. B. — Scholastici per « potentiam sensitivam » intelligunt sive hanc formam sensitivam, quae informat organum, sive complexum organi materialis et formae sensitivae informantis hoc organum. (Cf. S. Thom., II, *De an.*, lect. 2).

Schol. III. *Iudicium de sententia asserente corpus esse conditionem intrinsecam « sensationis »*.

« Conditio intrinseca » inintelligibilis est.

« Conditio » enim dicit aliquid *requiri* quidem ad hoc, ut causa effectum suum producat, attamen ipsum *minime influere* (i. e. influxu positivo) in esse effectus; quapropter conditio definiri solet: « removens prohibens ». — Sed si ita res se habent, « conditio » vi ipsius metaphysicae suae naturae — hinc *semper* — est *extrinseca* ipsi effectui, ad quem concurrere dicitur tamquam « conditio ». — Quo fit, ut sensatio — in suppositionibus theoriae, quam expugnamus — non differret ab intellectione. — Nihil iuvant omnes distinctiones a fautoribus huius theoriae adhibitae.

Schol. IV. *De subiecto idoneo animae sensitivae.*

1. Alibi iam (th. III, pag. 33) conati sumus problema solvere, utrum *animatio* fiat in ipso momento *fecundationis*, an aliquo (longiori) *temporis* intervallo *post* fecundationem. — Hic quaestionem analogicam aggredimur: Utrum in actu animationis accipiat subiectum statim animam *sensitivam* (comprehendentem utique virtualiter etiam animam vegetativam), an tantummodo animam *mere vegetativam*, cui deinde, ubi evolutio vegetalis certum gradum perfectionis attigerit, anima sensitiva succedat.

Scholastici antiqui communiter et nonnulli etiam Scholastici recentiores amplectuntur sententiam ultimam.

Alii tamen Scholastici recentiores — et omnes Moderni quotquot principiis evolutionis materialistici imbuti non sunt — tenent sententiam primam. Haec etiam nobis prorsus praeferenda videtur propter rationes, quae sequuntur:

1. Adversarii ideo praecise subiecto initio eius existentiae animam *mere vegetativam* adscribunt, ut explicentur con-

naturaliter phaenomena vitae vegetativae, quae *sola* in eo apparent. — Sed argumentum hoc rem efficaciter non probat. Cum enim anima sensitiva contineat *virtute* etiam animam vegetativam, ut probavimus, *potest* etiam ipsa operationes vegetativas perficere.

2. Si initio non adesset nisi *sola* anima mere *vegetativa*, *evolutio* cellulae fecundatae perficeretur statim ab initio *aliter*: non tenderet ad producendum organismum vitae *sensitivae* recipiendae capacem, sed potius sisteret in procreando organismo *plantae*. — Tendentia ad evolvendum organismum *animalis* — vel sola prima initia eius! — in anima *plantae* est inintelligibilis. Nec hanc rem intelligibilem reddes dicendo: anima vegetativa est tantum *instrumentum* generantis (sensitivi). Nisi enim velis theoriam antiquorum de influxu corporum «caelestium» restaurare, nihil remanet tibi nisi ut rationem *instrumenti*, de quo est sermo, reponas in «virtute speciei» a generante in semine deposita. Porro haec praecise «virtus speciei» inintelligibilis est.

E contra, tota res bene intelligitur, si iam inde a primo initio animationis supponitur eadem existere anima, qua vivens in specie sibi connaturaliter debita constituitur.

Schol. V. — *Estne anima bruti simplex?*

1. *Notiones:* Simplicitas opponitur compositioni, proindeque ens simplex opponitur enti composito. — Porro *compositum* est, quod constat partibus sive *essentialibus* (compositum essentiale, quod videl. constat materia et forma), sive *integrantibus* (quod videl. constat partibus quantitativis). — Quare simplex erit, quod caret partibus sive essentialibus (talis est v. g. forma substantialis), sive integrantibus (tale est v. g. mathematicum punctum).

2. Animam animalis bruti gaudere *simplicitate essentiali* iam inde patet, quod ipsa identica est animae vegetativae, anima autem vegetativa est *forma substantialis* corporis organici, ut ostendimus.

Quaestio igitur tota versatur circa simplicitatem *integralem*.

3. Si anima bruti est integraliter simplex, ubicumque aderit, aderit tota, ac proinde si in toto organismo bruti non adest nisi una, aderit etiam tota in qualibet parte corporis;

unde axioma: Tota in toto et tota in qualibet parte. Si e contra anima bruti est integraliter composita (seu extensa), ita per spatium essentiam suam (physicam) distribuet et ita pendebit a singulis partibus compositi, ut *cum eis* debeat oriri et desinere.

4. SENTENTIAE:

I. Omnis anima *etiam humana est integraliter composita* seu *divisibilis* (v. g. Cleanthes, Chrysippus etc.).

II. Omnis anima — etiam vegetativa — est integraliter simplex (indivisibilis). (S. Augustinus, S. Bonaventura, Hugo Senensis, Silvester Maurus; ex recentioribus: Farges, Gutberlet, Tongiorgi, Palmieri).

III. Anima brutorum quidem perfectiorum est simplex; brutorum vero imperfectorum divisibilis. Ita communiter Thomistae cum S. Thoma, Alberto Magno, Caietano, Alexandro Halensi, Ferrariensi, Conimbrirens. (Cfr. *S. Th.*, I, q. 76, art. 8; *De anima*, lib. II, lect. 2; *Contra gentes*, lib. II, c. 72).

IV. Omnis anima — sola humana excepta — est divisibilis. Ita: Durandus, Scotus et Scotistae, Suarez (*Disp. mataph.*, XV, sect. 10, n. 32; *De anima*, lib. I, c. 14), qui initio tenebat sententiam III. Toletus, Lossada. Ex Scholasticis recentioribus: P. Urraburu, P. Mendive, P. Haan, P. Pesch et alii.

5. Rem nostram totam duplici passu perficiemus:

Passus I: *Anima brutorum perfectiorum videtur esse quantitative simplex.*

1. Canis bene cognoscit dominum suum eumque ab omni alia re dignoscit; equus optime novit iter, quod saepius consueverat facere nec ipsum cum alio confundit; pecora, dum cubilia sua propria petunt, ea optime ab aliis — etiam similibus — dignoscunt. Et ita porro.

2. Animalia quaedam addiscere possunt, ut ad series stimulorum: « x, y, z » et « z, y, x », diversis reactionibus infallibiliter reagant.

Haec omnia facta clare ostendunt animalia *superiora* gaudere facultate cognoscendi *obiecta totalia* seu cognoscendi obiecta tamquam *unitates*. Id enim, quo res modo citatae et praesertim series: « x, y, z » et « z, y, x » (sensibiliter) differunt, non sunt *elementa*, qua talia, quibus haec obiecta con-

stant, sed (saltem praeprimis) quidam *ordo*, quo *uniuntur* seu in *unitates* rediguntur.

Sed si animalia (superiora) cognoscunt *ordinem*, adscribenda est ipsis anima *quantitative simplex*. Cognoscere enim *ordinem* (etiam solummodo concrete) non potest — ut patet — nisi ens, quod *simul* apprehendit *plura tamquam distincta*. Porro talis apprehensio non est mera iuxtapositio singularum apprehensionum, seu pura putaque *integratio* cognitionum *partialium*, sed cognitio sensu proprio *una, indivisibilis*.

Sed cognitio una indivisibilis procedere non potest nisi ab anima una *indivisibli seu quantitative simplici*.

Ergo anima animalis superioris est *quantitative simplex*.

Passus II: *Etiam animae brutorum inferiorum videntur esse quantitative simplices:*

Prob. 1. — Sententia, quae animae bruti superioris indivisibilitatem seu simplicitatem, animae autem bruti inferioris divisibilitatem adscribit, *dualismum* radicalem inducit in *regnum* animalium (qui differentiam *ordinis* involvere videtur). Qui dualismus sine rationibus *vere gravibus* admitti nequit. Porro rationes tales non dantur.

Ratio enim, qua maxime nituntur adversarii, haec est: animalia inferiora — secus ac animalia superiora — dividi possunt ita, ut singula eorum fragmenta vivere pergant ac se evolvantur in individua perfecta speciei suae.

Resp.: *a*) Argumentum hoc non ostendit apodictice in casu praesenti ipsam *animam* esse reapse divisam. Aequo enim iure posset quis dicere: Per causam efficientem, quae divisionem entis viventis perfecit, inducta est actu *nova* anima, quae antea fuit in *potentia*; anima enim ita est actu (formaliter) una, ut sit *potentia multiplex*. — Quomodo autem fiat haec eductio animae de potentia in actum, quaestio haec solvenda est secundum principia generalia alibi tradita, quae eductionem formae substantialis e potentia materiae regunt.

b) Insuper si anima viventis inferioris esset reapse *extensa*, tunc non bene apparet, quomodo fiat, ut singulae partes, in quas divisa est anima prima (partes praesentes in singulis fragmentis) possideant *totam* perfectionem animae primae.

2. Etiam animalia inferiora possident sensus *internos*: phantasiam et sensum communem.

Atqui ens, quod habet hosce sensus, etiam anima simplici praeditum esse debet. E.

Maior monstratur ex professo, ubi est sermo de appetitu.

Prob. min. — Anima, quae exercet operationes simplices, et ipsa simplex esse debet.

A. Anima, quae habet sensum communem et phantasiam, exercet operationes simplices. E.

Mai. ult. patet ex princ. causal. « agere sequitur esse ».

Ad. min. ult. Ut visioni vel tactui alicuius rei adiungatur appetitio v. g. *gustandi* vel *fugiendi eam*, debent ab *uno eodemque principio* percipi *simul* duo obiecta tamquam distincta. Porro talis perceptio non est mera iuxtapositio (summa) singularum apprehensionum, ut patet ex superius dictis, sed cognitio una, sensu proprio indivisibilis.

Sed cognitio talis postulat etiam animam proportionatam i. e. simplicem.

OBIECTIONES.

1. Sensatio non est operatio organica.

1) *Si principium eliciens sensationem est compositum, tunc materia dicenda est cognoscere.*

A. Falsum consequens. E. Falsum etiam antecedens.

Rs. Dst. Mai. — . . . . tunc materia *bruta* dicenda est cognoscere N. . . . materia *animata* dicenda esset cognoscere, Sbdst. ita ut principium *formale* cognitionis sit *anima* sensitiva C. . . . . ut principium formale cognitionis sit *materia*, qua talis N.

2) *Sensatio, utpote actus immanens, manet in illo, a quo producitur.*

A. Secundum thesim producitur et ab anima et a corpore.

E. Et in anima et in corpore manet.

Atqui Rursus: *Quod manet in duplici diverso subiecto, non est actus unus, sed duplex. Ergo.*

Rs. Dst. min. — . . . . a corpore et anima, quae intrinsece ad unum subiectum (unam naturam) constituendum uniuntur C. . . . . a corpore et anima, quae constituerent duplex subiectum realiter divisum N.

Dst. pariter cons.

Dst. similiter min. subs.

Expl. — Adversarii supponunt animam et corpus esse duas substantias completas, quae ad summum in unitatem naturae tantum *dynamicam* minime vero *intrinsecam* seu substantialem uniri possunt. Suppositum hoc falsum esse alibi ex professo ostenditur.

3) *Conscientia nobis refert unum* idemque *subiectum esse, quod habet diversas sensationes.*

A. Subiectum, quod ita sentit, debet esse necessario simplex E.

Rs. Dst. Mai. — . . . unum idemque subiectum « quod » seu suppositum esse . . . C. unum idemque subiectum « quo » esse . . . . Sbdst. « quo » proximum N. « quo » remotum Sbdst. . . . unam naturam (i. e. anima et corpus) . . . . C., solam animam . . . N.

Expl. — Conscientia cum summa evidentia nobis testatur *nos* esse, qui sentamus (suppositum). — Item cum non minore claritate nobis refert nos in *diversis partibus naturae* nostrae (principia « quo » proxima) sensationes habere. Per hoc ultimum iam evidenter nos docet subiectum eliciens sensationem, non esse *simplex*. — Minime autem conscientia nobis testatur *solam* animam esse subiectum eliciens sensationem.

4) *Saltem argumentum inde petitum, quod experimur sensationem coëxtendi obiecto extenso, est inefficax.*

Probo. — *Cum enim anima sit substantialiter unita corpori extenso, operatio eius recipitur formaliter in extenso scl. corpore (operatio est formaliter in passo!). Hoc iam sufficienter explicat cur anima experatur suam operationem « coëxtendi obiecto extenso ».*

Rs. N. Ant.

Ad probationem. — Sensatio non est operatio transiens, sed *immanes.* Porro operatio immanens manet in eodem subiecto, quod eam producit. Quare et in *sola anima* sensatio *maneret*, si sola anima, — quemadmodum adversarii asserunt — sensationem *produceret*. Sed tunc non esset possibile, ut patet, ut anima sentiat *suam* extensionem *modo extenso*. — Adde, quod si anima sola omnes suas operationes exequeretur, proindeque si *nulla* daretur actio vere communis utriusque (sc. animae et corporis), nec verum maneret: animam vere *substantialiter* uniri corpori.

5) *Sensatio postulat principium essentialiter superius corpore (ut probatum est in th. VI). Ergo non potest esse actus « compositi » ; hoc enim est « corpus ».*

Rs. Dst. Antc. — Sensatio . . . . corpore tamquam principium *formale* sensationis C. tamquam principium *efficiens* Sbd. postulat principium essentialiter superius corpore *bruto* C., corpore informato principio formali sentiendi seu corpore sensitivo N.

6) *Facultas sensitiva «recipit formas* [*corporum*] *sine materia» (secundum adagium Veterum).*

A. Quod «recipit formas sine materia», debet esse immateriale.
E. Facultas sensitiva debet esse immaterialis.

Probo min. — *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.*

Rs. Dst. Mai. — . . . . sine materia *prima* corporum C. sine *conditionibus* materialibus (singularitatis, individuationis etc.) N.

Ctds. Min. Quod recipit formas tum sine materia *prima* tum sine *conditionibus* materialibus, debet . . . . C. Quod recipit sine materia prima at non sine *conditionibus materialibus* . . . . Sbds. debet esse *totaliter* immateriale N, *partialiter* i. e. secundum aliquam partem sui (formam) immateriale C.

In quo consistat haec immaterialitas formae sensitivae, inferius explicabimus.

7) *«Intentionale» non potest recipi in extenso.*
Ergo nec sensatio potest recipi in subiecto extenso.

Rs. Dst. Antc. — Intentionale non potest recipi in subiecto, quod nec *formaliter* nec *virtualiter* est inextensum C. . . . Quod formaliter quidem est extensum, attamen virtualiter (ratione videl. principii dynamici, quod eius internam constitutionem tamquam forma intrat) est inextensum Sbds. non potest recipi modo «per se» extenso C.; non potest recipi modo «per accidens» extenso N.

2. Anima sensitiva est per se subsistens.

1) *Si anima sensitiva non esset per se subsistens, existeret in alio.*

A. Si existeret in alio, esset accidens.
E. Si anima sensitiva non esset per se subsistens, esset accidens.

Rs. Dst. Mai. — Si . . . in alio tamquam in subiecto *inhaesionis* N. . . . in alio tamquam in subiecto *informationis* (seu in subiecto, quod praecise per sui communicationem anima sensitiva informat et intrinsece complet) C.

Ctds. min. — N. cons.

2) *Quod potest per se operari, est per se subsistens.*

A. Anima sensitiva potest per se operari — quia per se vivificat corpus vita sensitiva.
E. Anima sensitiva est per se subsistens.

Rs. Dst. Mai. — Quod potest per se operari tamquam *principium adaequatum*, est per subsistens C. . . . . tamquam principium *inadaequatum* (formale), est per se subsistens N.

Ctds. min. — N. cons.

3) *Quod potest* sine altero *in existendo perdurare, est per se subsistens.*
A. Anima sensitiva potest sine materia perdurare. E.
Prob. min. — *Anima sensitiva* perdurat *in existendo, licet* materia *animalis continuo* mutetur.

Rs. Dst. Mai. — Quod potest sine *hoc vel alio particulari* perdurare in existendo, est . . . N. Quod potest sine *quocumque altero* perdurare in exsistendo, est . . . C.

Ctds. min. — N. cons.

Ad Prob. — Materia animalis continuo quidem mutatur, hinc anima sensitiva, quae, hoc non obstante, in existendo perdurat, non est intrinsece in sua existentia dependens ab *hac* vel *alia* materia particulari. Nihilominus nequit umquam sine *omni* materia perdurare.

4) *Quod non potest per se subsistere, imperfectius est quam quod potest per se subsistere.*
A. Anima sensitiva, secundum thesim, non potest per se subsistere; lapis vero subsistit per se.
E. Anima sensitiva — secundum thesim — est imperfectior quam lapis.

Rs. Dst. Mai. — Quod non potest per se subsistere, imperfectius est quam . . . *spectato modo subsistendi* C.; est necessario imperfectius spectata interna *perfectione essentiae* N.

Ctds. min. — Conc. cons.

Expl. — Aliquid, quod in sua essentia est perfectius quam aliud, potest sub *aliquo* determinato respectu esse imperfectius quam aliud. Anima sensitiva, utpote ens substantialiter *incompletum* (forma substantialis), est utique imperfectius sub *hoc* respectu quam lapis, qui est ens *completum.* — Attamen si spectatur interna essentia animae sensitivae, anima sensitiva est essentialiter perfectior materia bruta, ut thesi VI ostendimus.

3. Anima sensitiva non est simplex.

1) *Anima animalis bruti pendet in essendo intrinsece a materia.*

A. Quod pendet in essendo intrinsece a materia, ipsi coëxtenditur, proindeque est divisibile in partes.

E. Anima animalis bruti est divisibilis in partes.

Rs. C. Mai. — N. min.

Expl. — Ex dependentia intrinseca animae a materia hoc tantum deducere licet: Ergo materia exercet munus verae *causae* circa animam. At cum causalitas, qua talis, minime includat in se notionem extensionis, hinc non licet ex facto intrinsecae dependentiae animae a materia statim inferre coëxtensionem formae. (Uberior rei explicatio in: La *Psychophysique humaine d'après Aristote*, pag. 64-87).

2) *Quod pendet in essendo a materia,* prout extensa, *ipsi necessario coëxtenditur.*

A. Anima bruti pendet in essendo a materia, prout extensa.

E. Anima bruti necessario materiae coëxtenditur.

Prob. min. — *Anima est actus materiae non qualiscumque sed materiae organicae, hinc materiae habentis partes et partes, hinc etiam materiae extensae ac proinde integraliter compositae.*

Rs. C. Mai. — N. min.

Ad probationem. — Anima est actus . . . materiae *organicae* Dst. . . . organicae hoc sensu, quod *ipsi debentur* organa, hinc etiam per consequens debentur ei partes et partes C., . . . organicae hoc sensu, quod *actu* et *formaliter* habet organa Sbds. et hoc convenit materiae *antecedenter* ad informationem seu *independenter* a forma N., *consequenter* ad informationem et *dependeter* a forma C.

Expl. — Quod pendent a materia formaliter, *prout haec est extensa*, debet ipsi coëxtendi, ut patet; quia tunc ratio extensionis afficit ipsam *actionem*; porro cum actio sit formaliter in « passo », hinc etiam patiens debet esse extensum. Quare si anima penderet a materia formaliter, *prout haec est extensa*, deberet utique ipsi coëxtendi, et per consequens habere partes et partes.

At fortiter negamus animam ita pendere a materia i. e. formaliter, *prout haec est extensa*; nam extensio formalis convenit non materiae I, sed *corpori*; porro corpus constituitur in suo « esse » formaliter praecise per *formam substantialem* (in nostro casu per animam). Forma substantialis est anterior *cuicumque formae accidentali*, hinc etiam *extensioni*. Quare verum non est, quod ad-

versarius posuit in Minori: Anima bruti pendet in essendo a materia, « *prout extensa* ».

Non iuvat hic quidquam ac factum appellare, quod anima dicitur « actus corporis *organici* ». Nam « organicum » in hac definitione non necessario intelligi debet « organicum actuale seu formale ». Cf. Schol. III, th. III (pag. 33-34).

3) *Quando animal* augetur *quantitative, novae continuo partes materiae ab anima* informari *incipiunt. Porro hoc non fit* a) *per productionem* de novo totius *realitatis animae in istis novis partibus — nam tunc anima (educens se in istis novis partibus) dicenda esset* produci se ipsam — *quod repugnat. — Nec fit* b) *per meram* extensionem *informationis. In hoc enim casu — aeque ac anima rationalis — non dependeret in essendo a novis partibus materiae (cum ex hypothesi non fuerit ab ipsis dependens in suo « fieri »).*

Non remanet igitur nisi ut in novis partibus educantur novae partes animae. *Ergo anima sensitiva habet partes, et per consequens non est simplex.* —

Rs. — Eligimus id, quod adversarius sub *b*) posuit. Nec videmus ullam incompossibilitatem inter formam materialem seu talem, quae in essendo *intrinsece pendet a materia*, et *extensionem informationis* ad corpus a nobis ei adscriptam.

Ut enim anima dicatur *intrinsece a materia pendere*, minime necesse est — ut patet — ut pendeat *eodem modo* ab omnibus et *singulis partibus* materiae; sufficit, ut suum primum « fieri » de facto alligatum fuerit essentialiter cooperationi materiae (tamquam causae materiali, « ex qua » ipsa educta est).

Quod enim *ita* in suo « fieri » erat dependens a materia, etiam in suo « esse » (conservari) a materia intrinsece dependet, proindeque non potest subsistere nec *momentum* quidem unum, sine concursu materiae. Et ita — secus ac adversarius asserit — differentia profunda inter animam bruti et hominis salvatur.

Dices: Quomodo forma non subsistens proindeque intrinsece ligata ad ad materiam potest extendere suam virtutem in partem materiae de novo advenientem? Nonne deberet « exire » ex particula materiae, quam iam informat » ? Sed dum ita ex una parte « exit » et in alteram migratur, nonne iam in hoc momento « per se subsistit » ?

Rs. — Obiiciens concipit formam (actum) modo nimis *statico* et *quantitativo*, dum concipi reapse debet modo *dynamico* et per consequens posito extra praedicamentum quantitatis (Cf. *La psychophysique humaine d'après Aristote*, praesertim pag. 72-87). In-

super extensio informationis, quam perficit anima in partes novas organismi, non est effectus *animae*, qua talis, sed *organismi* ipsius (cum anima non subsistens nihil operetur sola!). Organismus videl. ipse sua activitate tantam modificationem inducit in nova parte, ut eius forma substantialis simpliciter cesset eam *informare* et in eius locum intret forma substantialis (vis dynamica) organismi.

4. — *Animalia minus perfecta ita dividi possunt, ut singulae partes se in nova individua evolvant.*

A. — *Singulae partes non se evolvunt in nova individua, nisi unaquaeque earum habeat animam.*

A. Rursus: *Unaquaeque earum « non habet animam alio modo nisi per divisionem animae propriae totius animalis ».*

E. Anima brutorum minus perfectorum est divisibilis.

Rs. C. Mai. — C. min. I.

Ad min. II. resp. 1) Si argumentum hoc quid probat, nimis probat. Probat videl. etiam animam animalis perfecti esse divisibilem (quod obiiciens de facto non vult) — cum etiam anima animalis perfecti oriatur simplici eductione e potentia materiae a *generante abscissae* (seminis).

2) Nec verum est meram *divisionem* entis viventis non posse esse rationem sufficientem *eductionis* novae formae in partibus dividendis; divisio enim fit proprie dicta *actione*, atque adeo elemento dynamico.

Quomodo ope accidentis individuum possit educere substantiam (animae), est difficultas generalis, quae ex professo in Tract. Cosmol. elucidatur.

THESIS IX.

Ut sensus externus in actum erumpat, recipere debet praeter immutationem materialem ab obiecto in sensorio factam insuper speciem s. d. sensibilem. — Ipsa tamen sensatio, formaliter spectata, non consistit in mera receptione speciei sensibilis, sed in actione immanenti (quae hanc receptionem consequitur).

1. Schemata ortus sensationis secundum doctrinam scholasticam.

Schema I. Ut sensatio oriatur, requiritur influxus tum *obiecti* externi, tum *facultatis* sensitivae. Influxus obiecti ex-

terni requiritur, ut sensatio sit *similitudo* seu repraesentatio determinati obiecti. Influxus facultatis requiritur, ut haec similitudo sit *vitalis* seu *intentionalis.*

In productione sensationis *initium* fit a *corpore* extrinseco, quod physice immutat sensorium. (Haec mutatio, prout profecta a rebus externis secundum leges physicas sensoria — organa — afficit, vocatur « physica » ; prout vero in ipsis organis secundum leges rerum *organicarum* recepta est, vocari solet saepe « physiologica »). Haec mutatio sensorii est quasi *instrumentum*, quo res externa producit in facultate ipsa cognoscitiva, ut cognoscitiva, speciem sensibilem seu « impressam », quae habet similitudinem cum obiecto externo « *seminalem* » seu *virtualem* i. e. talem, vi cuius species sensibilis tantum *virtutem* habeat producendi in facultate sensitiva id, quod ad obiectum cognoscenti formaliter repraesentandum est necessarium. (Cfr. Toletus: *In Summ. Theol.*, I, q. 12, a. 2, concl. 3; Suarez: *De an.*, lib. III, c. 2, n. 20).

Species impressa vocatur saepe ab antiquis « spiritualis » per oppositionem ad modificationem physicam (physiologicam) organi, quae vocabatur « materialis ».

In productione huius speciei impressae facultas *passive* se solummodo habet i. e. *recipit* speciem (ab obiecto causatam) idque non per additionem aliquam realem, sed per *eductionem* e potentia facultatis cognoscitivae.

Per receptionem huius speciei impressae facultas, quae fuit in potentia *remota*, constituitur in potentia *proxima* ad sensationem (cognitionem) eliciendam (efficiendam) ita, ut *principium adaequatum* sensationis sit facultas sensitiva simul cum specie impressa. Species igitur « impressa » in hoc Schemate concurrit tamquam causa *efficiens.*

2) Sensatio tamen non consistit in *receptione* speciei impressae, sed in operatione seu *actione* hanc receptionem *consequente*; qua operatione sentiens ad rem externam (« terminus cognitus ») terminatur. Hac operatione efficitur in sentiente *expressio* vitalis obiecti (« terminus productus »). — Quia hac expressione ipsa res externa sentienti actu exhibetur, potiori adhuc iure, quam species impressa, *species* vocatur; est enim vere « imago » (rei externae), quae nos in cognitionem rei externae ducit (« species expressa »).

3) Dum species impressa (in hoc Schemate) spectat cognitionem in « fieri », species expressa ad cognitionem in « facto esse » refertur; nam speciei impressae est constituere subiectum in potentia proxima ad cognitionem eliciendam, speciei expressae vero constituere subiectum in formali (actuali) cognitione. Species expressa igitur habet se ad speciem impressam sicut principiatum ad principium partiale, proindeque *realiter* ab ea distinguitur.

4) Species expressa in *omni* cognitione producitur. Nam in omni cognitione subiectum *sistit* sibi ut cognitam rem obiectam. Atqui species expressa nihil est aliud nisi praecise haec obiecti in subiecto sistentia. — Species expressa igitur ponitur non propter *absentiam obiecti*, sed ratione *actionis* cognoscitivae, quae, utpote actio, debet habere *terminum productum*.

5) Terminus hic, qui in cognitione producitur (seu species expressa) non est tamen id « quod » primo cognoscitur, sed est sive id « quo » obiectum primo cognoscitur (seu « quo » cognoscens formaliter terminatur ad rem ut *in se* cognitam) sive — ut volunt nonnulli — est id « in quo » obiectum externum relucens attingitur. Si enim species expressa in actu cognitionis cognosceretur tamquam « id quod », id fieret ope alterius speciei expressae, cum ad omnem cognitionem de aliquo obiecto directo habendam requiratur species expressa Quia iterum haec species expressa directe cognosceretur, requireretur species expressa tertia et ita in infinitum.

Schema II. — 1) Ad sensationem procurandam tum sensus tum obiectum concurrere debent secundum illud: « Ex obiecto et potentia paritur notitia ». Obiectum, cum secundum suum *esse physicum* in subiectum cognoscens intrare non possit, agit ope stimulorum (excitationum) in organa externa (peripherica) sive physice sive physiologice. Haec mutatio *materialis* est quoddam *instrumentum*, ope cuius corpus externum producit in facultate cognoscitiva, qua tali, « speciem sensibilem » seu « intentionalem », quae vices gerit obiecti externi tamquam eius similitudo *formalis*.

Per receptionem (passio!) huius speciei intentionalis in facultate cognoscitiva, facultas hucusque passive se habens

incipit nunc *actu tendere* in obiectum determinatum (actio!) et haec actualis tendentia in obiectum determinatum est *actualis cognitio*; principium *constituens formale* huius actualis cognitionis est species intentionalis (sensibilis), quae facultatem intrinsece complevit; principium vero constituens *materiale* est ipsa facultas tendens in obiectum.

2) In hoc schemate *actio* cognoscitiva *per se* seu ratione sui nihil producit, cum cognitio non sit actio physica seu « praedicamentalis », sed actio « metaphysica », quae reducitur ad genus « qualitatis », et quidem ad 1. eius *speciem* i. e. « habitum » (dispositionem), qui « praedicatur de re, in quantum in *se ipsa* habet se aliquo modo bene vel male ». (Hic habitus minime confundendus est cum « habitu », qui constituit speciale *genus* « habitus », et praedicatur de re in quantum haec *habet aliquid*. (Cf. Gredt *Log. mat.* a. 137, 179; *Philos. nat.* n. 253).

3) Fautores huius Schematis non admittunt speciem expressam in sensibus externis, quia:

a) timent subiectivismum, ne videl. species expressa sid id, « *quod* » percipitur.

b) « ponitur species expressa, ut in ipsa exprimatur obiectum et terminetur actus, *quando abest obiectum* at vero si praesens sit obiectum, ut contingit pro sensibus externis, ad ipsum obiectum terminatur cognitio, et superfluit species expressa » (Hugon, *Phil. nat.* ed. 3. P. II, pag. 273).

c) Cognitio sensuum est *experimentalis;* sed cognitio experimentalis debet attingere obiectum non in aliqua imagine expressa, sed immediate *in se*, secus rediret semper difficultas, quomodo tandem possit cognosci imaginem esse *talis* rei.

Cum in cognitione sensum internorum (v. g. imaginatione) obiectum non sit praesens, adesse utique debet — aeque ac in intellectione — species expressa, quae illius obiecti vices gerat et, *ad quam terminetur* actio cognoscitiva.

2. Notae ad utrumque schema:

1) Utrumque defendit *theoriam assimilationis* subiecti cum obiecto — contra theoriam *Identitatis*, quam Monistae statuunt, et contra theoriam *Idealismi*, qui nullum realem influxum obiecti in facultatem admittit, et tandem contra theoriam

Veterum, qui ducti principio: « Simile simili cognoscitur », affirmarunt, res in subiecto cognoscente esse *eodem modo* ac a parte rei.

2) Utrumque requirit ad sensationem *influxum causalem* obiecti externi, quod vocari consuevit « sensibile ».

3) Utrumque tenet ad sensationem producendam non sufficere mutationem *materialem* (physicam, physiologicam), sed requiri insuper speciem *intentionalem.*

4) Utrumque affirmat sensationem non esse *meram passionem*; utrumque distinguit duplicem phasim: passivam (*impressio* ab agente, recepta in subiecto cognoscente) et activam (reactio seu *activitas* subiecti sentientis); sensatio consistit in receptione impressionis tantum *causaliter*, sed formaliter consistit in operatione quadam consequente talem receptionem. Cfr. S. Thom. III. *de An.* lect. 7 et 13; I. dist. 40, qu. 1 a. 1 ad 1.

5) Utrumque docet *specificationem* actus sensationis procedere non a facultate sed *ab obiecto.*

6) Utrumque tandem tenet « ex *sensu et specie* (seu ex sensu et sensibili per speciem repraesentato) *fieri unum* » sicut ex potentia et actu. Unde axioma: *Sensibile in actu est sensus in actu* (v. g. *sonus* actualis est realiter idem ac *auditio* actualis). Explico. Corpus externum *secundum se* est formaliter tantum sensibile in potentia, sed quando per speciem suam sensui inexistit, evadit *sensibile in actu (formali).* Ex altera parte sensus est, secundum se, sentiens in potentia; sed quando recepit speciem a corpore externo (sp. sensibilem), evadit *sentiens in actu (formali).* (Differentia in hoc puncto inter utrumque Schema est in hoc, quod secundum Schema I « sensibile in actu est sentiens in actu » formaliter per speciem expressam).

3. « Sensibilia ». — Scholastici Aristotelem secuti distinguunt varia genera *sensibilium:*

a) Sensibile *per se* et sensibile *per accidens.* Primum est, quod *ratione sui* movet sensum. Ultimum vero est, quod *est tantum coniunctum* cum eo, quod per se movet sensum.

b) Sensibile per se distingui solet sensibile *proprium* et sensibile *commune.* Primum est, quod ab *unico* sensu percipi potest (color ab oculo, sonus ab aure, etc.). Secundum, quod

nonnisi a sensu interno s. d. *communi* percipitur (vel sensibus externis *pluribus* sed simul operantibus).

c) Sensibile per accidens distingui solet: α) sensibile per accidens « generatim », quod videl. a *nullo sensu* percipi potest: quando v. g. dicor *videre* personam *sapientem*, etc.; β) sensibile per accidens « in particulari », quod ab aliquo tandem sensu attingi potest per se: quando v. g. dicor videre *dulce*. Cum sensibile per accidens sensum non moveat, hinc non sentitur — saltem ab illo sensu, de quo dicitur — sed a sentiente apprehenditur sive ope alius sensus externi sive ope sensus interni sive tandem ope intellectus.

4. Thesis habet tres partes:

Pars I. *Sensus externus non educitur in actum nisi influxu obiecti externi.*

Huic parti thesis adversantur, quotquot (principiis Monismi vel Idealismi trascendentalis imbuti) docent subiectum cogitans evolvere *ex se* ipso cognitiones suas.

Minime tamen intendimus hic refutationem *completam* Monismi sive Idealismi praestare vel obiectivitatem mundi externi probare — haec enim omnia obiectum sunt proprium aliarum philosophiae disciplinarum, praesertim Criteriologiae. — Quare positis hisce tamquam iam rite probatis, inquirimus thesi praesenti, *quodnam* sit praecise illud *ens*, quod *initium* ponit totius processus cognoscitivi.

Pars II. *Non sufficit immutatio mere materialis, sed requiritur insuper species « sensibilis » seu intentionalis.*

Adversarii huius partis thesis sunt:

1. *Materialistae antiqui:* Democritus, Leucyppus, Epicurus, secundum quos cognitio consistit in hoc, quod particulae minimae a corporibus avulsae eorumque simulacra secum ducentes circumvolitant huc illuc ac per sensoria in animam introducuntur.

2. Illi ex doctoribus scholasticis, qui putant facultates sensitivas sufficienter determinari ad eliciendas sensationes per *materialem* immutationem sensoriorum; ita ex antiquioribus v.g. G. Biel, G. Ockam, Durandus, Gregorius Arimensis; ex recentioribus J. Mendive, Tongiorgi, J. Fröbes, H. Arriaga (hic ultimus speciem sensibilem negat tantum in tactu,

gustu, olfactu). Insuper Cartesiani, Occasionalistae et sequaces Leibnizii. Tandem Reid, schola Scotica et multi Ontologistae, secundum quos theoria specierum intentionalium ducit ad subiectivismum.

PARS III. — *Ipsa sensatio formaliter spectata non consistit in mera receptione speciei sensibilis, sed in actione immanenti, quae hanc receptionem consequitur.*

Adversantur huic parti thesis:

1. Veteres Materialistae cum Democrito, pro quibus sensatio consistebat in mera *receptione* ab extrinsecus alicuius elementi (particularum materiae vel materialis cuiusdam imaginis).

2. In medio aevo Aegidius Romanus aliique non pauci.

3. Descartes, Locke, Berkeley et Malebranche, qui omnes dicunt sensationes esse passiones animae.

Scholasticorum sententia, quam in hac thesis parte defendimus, est haec: facultas sensitiva potest quidem dici passiva, quia — secus ac aliae potentiae bene multae (v. g. nutritiva) — nihil agit ad *obiectum transmutandum*, sed ab eo tantum influxum *patitur*. Attamen respectu operationis *propriae* est omnino *activa* Breviter: Sensus est passivus per respectum ad *obiectum*, activus per respectum ad suum *actum*.

Probatur thesis.

PARS I. — *Sensus externus non educitur in actum nisi influxu obiecti externi.*

Ens, quod ex se est in potentia ad actum (formam), non educitur de potentia in actum (formam) nisi influxu entis actu seu entis, quod formam hanc actu habet.

A. Sensus externus est ex se in potentia ad formam sensibilem.

E. Sensus externus non educitur de potentia in actum nisi influxu entis, quod formam hanc actu habet.

A. rursus: Ens, quod formam sensibilem actu habet, est obiectum externum.

E. Sensus externus non educitur de potentia in actum nisi influxu obiecti externi.

Mai. — Exprimit principium causalitatis.

Ad Min. I. — Sensus externus est ex se indifferens ad hoc vel illud obiectum sentiendum. Quo fit, ut non obstante desiderio v. g. videndi vel audiendi aliquid non videamus, non audiamus illud.

Ad Min. II. — Praeter obiectum externum nullum datur ens, quod hanc formam actu habeat. — Ad Dei autem omnipotentiam recurrere non licet, nisi quando causae naturales pares effectui producendo prorsus non existunt.

Comprobatur haec minor *experientia*, qua constat res sensibiles non percipi nisi in quantum res sensibiles in sensoria actu agunt.

Pars II. — *Ad productionem sensationis non sufficit immutatio mere materialis, sed requiritur insuper immutatio psychica seu species (forma) sensibilis.*

Praenota: immutatio mere materialis a calore producta potest quidem *calidam* reddere manum non solum hominis, sed etiam cadaveris, immo etiam *statuae metallicae.* Nihilominus *sensatio calidi* non producitur nisi in manu hominis *vivi.* Ad productionem igitur sensationis non sufficit *sola* immutatio materialis sensorii, sed requiritur, ut immutatio haec ipsam quoque *facultatem sentiendi* in organo subsistentem *attingat.*

HEAT IN HANDS EVEN OF DEAD MEN BUT THE SENSATION OF HEAT IS FELT ONLY BY LIVE MEN

Arg. (in forma): Facultas *sensibilis* (intentionalis) est potentia passiva.

A. Potentia passiva non actuatur nisi forma, quae *in ipsa hac* potentia *recipiatur.*

A. rursus: Forma, quae in ipsa potentia *sensibili* (intentionali) recipiatur, non potest esse forma mere materialis, sed *sensibilis* (intentionalis).

E. Requiritur forma sensibilis.

Ad Mai. — Est enim ex se *indifferens* ad sensibilia percipienda.

Min. I. — Patet ex notione potentiae et actus.

Min. II. — Forma mere materialis est actus *alius* potentiae scil. potentiae materialis.

Pars III. — *Sensatio, formaliter spectata, non consistit in mera receptione speciei sensibilis, sed in operatione, quae hanc receptionem consequitur.*

Arg. — Sensatio est quaedam cognitio.

A. Cognitio non consistit in mera receptione speciei sensibilis, sed in operatione, quae hanc receptionem consequitur.

E. Sensatio non consistit in mera receptione speciei sensibilis, sed in operatione, quae hanc receptionem consequitur.

Prob. min. — Cognitio est operatio vitalis.

A. Operatio vitalis est operatio immanens.

A. rursus. Operatio immanens est operatio, quae non solum recipitur, sed etiam *producitur* ab eodem subiecto.

A. rursus. Operatio, quae non solum recipitur, sed etiam producitur ab eodem subiecto, non est illa operatio, quam subiectum recipit a sensibili, sed *alia*, illa videl. quae receptionem hanc in subiecto consequitur.

E. Cognitio est operatio, quae receptionem speciei a sensibili consequitur.

Ad min. ult. Operatio, quae a subiecto solum *recipitur* et non *producitur* ab eo, est operatio non *subiecti*, ut patet, sed alterius.

Praeter igitur hanc operationum, quam subiectum cognoscens *recipit*, admittenda est necessario alia operatio, quam subiectum *producit* et *deinde recipit.*

Consequenter sensatio non consistit in receptione speciei nisi *causaliter; formaliter* vero consistit in operatione, quae talem receptionem consequitur.

Cor. I. *Facultas et species sensibilis sunt causae subordinatae.* — Sensatio pendet a facultate subiecti et specie tamquam a duabus causis *subordinatis* et non *coordinatis.* Causae coordinatae enim dicuntur, quarum unaquaeque *partem* distinctam effectus totalis producit; subordinatae vero eae intelliguntur, quarum unaquaeque in *totum* effectum influit, licet in *alio ordine* causalitatis.

Quaeres: Quaenam ex hisce duabus causis, quae sensationem gignunt, sit principalior: *facultas, an species sensi-*

bilis? Rs. Si *natura* actus spectatur, principalior est *facultas* subiecti; facultas enim subiecti est, quae tribuit actui, ut sit *intentionalis.* Si vero *specificatio* sola actus consideratur, principalior est, ut patet, species sensibilis (impressa). — Ita componi potest lis inter multos Thomistas, qui principales partes deferunt speciei sensibili (impressae), et Scolistas, qui eas facultati adscribunt.

Cor. II. — *De causalitate propria speciei sensibilis.*

1. Ut ex modo dictis apparet, species sensibilis concurrit ad sensationem producendam tamquam vera causa.

Sola enim facultas, ut vidimus, minime sufficit ad efficiendum totum id, quod in determinato actu sensationis invenitur, scil. *repraesentationem* certi obiecti. Ut huic effectui producendo par evadat, debet facultas compleri specie *informante* atque specificante. — Eo ipso evidenter apparet speciem habere rationem causae *formalis.*

2. Habeturne etiam rationem causae *efficientis?* Nonnulli huic quaestioni negative respondent; at prorsus immerito. Species enim sensibilis *intrinsece complet* facultatem non exclusive eo fine, ut cognitio sit repraesentatio seu similitudo determinati obiecti, sed insuper, ut facultas simpliciter *actum elicere possit.*

Ad eandem conclusionem facile perveniemus ex notione metaphysica «formae» eiusque relatione ad «actionem» efficientem, in Ontologia et Cosmologia tradita (Uberior explicatio huius relationis in *La psychophysique humaine d'après Aristote*, pag. 77-87).

Cor. III. — *De «sensu agente».*

Cum *causa*, quae producit speciem sensibilem, sit obiectum seu *sensibile externum* — ut patet ex argumentis nostris — ideo nulla adest ratio admittendi «sensum agentem».

At dices: Effectus non potest esse perfectior quam eius causa. *A.* Species sensibilis est perfectior quam obiectum externum. *E.* Species sensibilis non est effectus obiecti externi. — *Prob. Min.* Species sensibilis est ordinis *intentionalis*; obiectum vero externum est ordinis mere *materialis.*

Resp. Dst. Mai. Effectus . . . . quam eius *causa adaequate spectata* C, *inadaequate* spectata. *Sbdst* . . . . in hac praecise ratione *formali*, quae ab ipsa producitur C, in *alia* (quae ab ipsa non producitur). N.

Ctdst. min.

Expl. Quod species sensibilis sit perfectior quam obiectum externum, hoc provenit a perfectiore causa quae recipit influxum obiecti, secundum illud: Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. — Caeterum inter corpus externum et speciem sensibilem non adest tanta disproportio; nam utrumque — licet diverso modo — est tandem ordinis materialis (S. Th., *Quaest. Disp. De An.* a. 4, ad 5; Suarez, *De An.* l. 3. c. 9. n. 4).

SCHOL. — *De « immaterialitate » sensuum.*

1. Quemadmodum iam ex thesibus IV et VI apparet, radix cognitionis quaerenda est in quadam « immaterialitate ». Quod enim omni ex parte *materiale* est, nullam cognitionem, ne infimam quidem, qualis est sensatio, elicere valet. Haec praecise fuit ratio, cur animalibus, in quibus sensationis signa deprehenderamus, etiam speciale principium essentialiter a materia diversum (animam), attribuerimus.

2. At nonne alibi verbis explicitis immaterialitatem animae bruti denegavimus? — Quomodo igitur haec duo secum stare possunt?

Ad quod respondemus: denegavimus quidem animae bruti immaterialitatem *sensu proprio* sumptam; at non immaterialitatem sensu *analogo* intellectam. N.B

Quod, ut intelligas, adverte rationem, cur aliquid dicatur « materiale », esse semper aliquam tandem eius *relationem* ad ipsam *materiam*. Si haec relatio est relatio identitatis, habemus ens summe materiale i. e. ipsam materiam (princeps analogum).

Si vero haec relatio est relatio tantum « dependentiae » intrinsecae, habemus res *materiales per analogiam*.

3. Ipsae *formae*, qua tales, numquam possunt fieri materiales *per* identitatem; hoc ipsis intrinsece repugnat, ut consideranti terminos per se patet. At possunt esse *materiales*

per analogiam propter videl. *dependentiam* a materia. Hoc praecise modo *materiales* sunt omnes formae non subsistentes. Attamen non omnes sunt materiales eodem *gradu*. Quod ut intelligas, adverte ens *analogice* praedicari. Sed cum omne ens constituatur in sua specie formaliter per *formam* suam, hinc apparet etiam formas non esse eiusdem ordinis sed alias aliis perfectiores. Quare aliae sunt formae mineralium, aliae formae plantarum, aliae formae animalium. — Sed posito triplici « ordine » formarum, iam a priori expectari debet etiam *triplex modus operandi rerum toto ordine diversus*. — Operatio enim non est nisi quaedam expansio dynamica formae, perfectioni eius apprime correspondens. — Animalia, quorum forma (anima sensitiva) summum occupat locum inter formas non subsistentes, debent habere operationes, quae per respectum ad operationes aliarum formarum fere *immateriales* dici possunt.

Quae ita quasi « a priori » deducta sunt, compleri possunt per considerationes « a posteriori » seu ex experientia haustas. Porro haec nos docet *sensationem* hoc habere sibi proprium, ut licet in ipsa vero aliquo sensu res externae *in nos intrent*, nobis assimilentur, ac in nobis esse novum acquirant, attamen minime fiat *substantialis* mutatio subiecti cognoscentis. Cuius facti nemo mirabitur, dummodo animadvertat obiectum externum recipi non in *essentia animae*, qua tali, sed in eius *potentiis*, atque adeo ipsi inhaerere ad modum proprie dicti *accidentis*.

Neque plus mirabitur, quomodo fiat, ut in sensatione forma sola rerum externa — sine earum materia — recipiatur. Nam licet haec forma (in sensu existens) sit causata a *corpore* (compositum enim est, quod agit, non sola forma), attamen corpus agit ratione seu *vi formae* suae, quae sola est principium dynamicum in corpore (antecedenter ad eam est materia I, pura potentia — iners). Quo fit, ut in subiecto cognoscente *sola* similitudo formae exprimatur. (Uberior horum explicatio in *La Psychophisyque humaine d'après Aristote*, pag. 58-128).

OBIECTIONES.

1) *Corpora externa sunt vi essentiae suae — hinc* per se *ipsa (et non vi alterius) sensibilia (actu).*

E. Superflua est productio speciei sensibilis, de qua thesis.

Rs. Dst. Antc. — Corpora . . . . sensibilia (actu) in *sensu causali* (i. e. *propria* sua virtute possunt imprimere speciem suam in sensum) C. . . . . sensibilia (actu) in sensu formali (i. e. sentiuntur) Sbdst. *potentia* C. *actu* Sbdst. et hoc fit mediante *specie sensibili* C, sine ea N.

N. Cons.

2) *Facultas sensitiva est* per se ipsam *capax sentiendi corpora.*

E. Superflua est species sensibilis (impressa).

Rs. Dst. Antc. — . . . . est capax potentia proxima N. remota C.

N. cons.

3) *In homine anima est ens stricte immateriale (seu spirituale).*

A. In ente stricte immateriali non potest produci species sensibilis, quia haec secundum thesim est materialis. E.

Rs. Dst. Mai. — . . . . ens stricte immateriale, quod tamen *virtualiter* continet perfectionem animae sensitivae C.; secus N.

Ctdst. min. — In ente stricte immateriali, quod non continet *virtualiter* perfectionem animae sensitivae C. . . . in ente immateriali, quod continet virtualiter perfectionem animae sensitivae. Sbdst. . . . non potest produci species sensibilis in anima sola C. vel Trans. . . . in anima cum corpore *coniuncta* seu potius in *composito* ex anima et corpore N.

4) *Sensibile est terminus sensationis.*

A. Terminus sensationis, ut ex verbis ipsis patet, nihil conferre potest ad ipsum exercitium sensationis (haec enim est natura prior quam terminus).

E. Sensibile nihil conferre potest ad ipsum exercitium sensationis — proinde etiam non determinat sensum.

Rs. Dst. Mai. — Sensibile est terminus « productus » sensationis N., . . . terminus « cognitus » C.

Ctdst. min. N. Cons.

Terminus « productus » est secundum « schema Ium » (quod initio thesis explicavimus) ipsa *species expressa.* (Secundum schema II nullus generatim terminus productus existit in operatione sensuum externorum).

THESIS X.

Theoria specierum intentionalium minime obstat, quominus sensus externus immediate corpus externum attingat.

1. Scopus thesis. — *Quaeritur* in hac thesi, utrum sensus externus attingat obiecta *externa immediate* in se, an vero mediate tantum i. e. in aliquo medio. At medium, de quo hic loquimur, intelligitur « medium quod » seu medium quod *prius* cognosci debet, ut nos ad cognitionem alterius rei ducat. Non enim *quodlibet* medium excludimus, ut abunde patet ex thesi praecedenti.

Non quaeritur in hac thesi, utrum corpora, quae nobis sensatio exhibet tamquam existentia extra actum, quo illa sentimus, reapse *extra eum* existant. Solutio enim huiusce problematis *Criteriologiam* spectat, cuius est realitatem mundi externi contra Idealistas et Subiectivistas vindicare.

Quare *supposito* hic problemate criteriologico plene iam ac rite *soluto*, intendimus in thesi praesenti ostendere species sensibiles, quales (in thesi praecedenti) admisimus, nullo modo *impossibilem* reddere cognitionem *immediatam* rerum externarum.

2. Sententiae. — I. Adversantur thesi nostrae, qui generatim docent cognitionem sensitivam — quippe quae perficiatur ope specierum intentionalium — ad hasce species tamquam ad obiectum cognitum terminari.

In specie veniunt hic:

Cartesiani: Fieri non potest — aiunt — ut cognitio terminetur immediate ad ipsa obiecta *externa;* terminatur ad solas « ideas », quas de eis habemus, et quae diversae sunt ab obiectis.

J. Locke: idea est « id, quod est *obiectum intellectus* nostri, dum cogitamus » (In pröemio Essay on the human understanding, n. 8); et alibi « mens in omnibus suis cogitationibus et ratiociniis non habet *ullum aliud immediatum obiectum* praeter ideas suas, quas solas contemplatur vel contemplari potest » (Ibid. book IV, chapt. 1, sect. 1).

Secundum hosce igitur philosophos eorumque sequaces sensatio dicenda esset — si vellent uti terminologia scholastica — medium « quod » (vel « per quod » vel « ex quo ») seu medium, quod *solum* cognosceretur actu primo, res autem externa non cognosceretur nisi auxilio alicuius *specialis* operationis psychicae, quae permitteret subiecto *transitum* perficere ex « idea » (sensatione) ad rem ipsam externam. — Problema spinosum, quod apte vocari posset « quaestio de ponte » !

Ad quod problema solvendum fautores dictarum opinionum recurrunt partim ad *assuetudinem* (sive *naturalem* i. e. eam, quae antecedenter ad quamcumque experientiam subiecti cognoscentis modo spontaneo fit, sive *acquisitam* i. e. eam, quae in experientia pluries facta fundatur), partim ad *applicationem* (plus minusve consciam) *legis causalitatis.* — Ope harum praecise operationum mentalium sensationes nostras ad res externas referimus ac proinde *sensationes* ipsas pro *signis rerum* accipimus.

Doctrinam hanc quidam Cartesiani attemperaverunt *eximendo* sensum *tactus* a communi conditione sensuum externorum. Sensus tactus, aiunt, eo, quod corporum *resistentiam experitur*, attingit *immediate* ipsa corpora externa (non tantum earum repraesentationes subiectivas). Ope autem sensus tactus paulatim discimus repraesentationes subiectivas: auditivas, visivas, aliasque id genus oriri in nobis ab *iisdem* rebus, quae ope tactus tamquam « corpora » immediate percipimus. Hac notitia repetitis actibus in *experientiam* erecta postea labimur in *consuetudinem* quasi spontaneam repraesentationes subiectivas aliorum sensuum invariabiliter iungendi cum repraesentatione obiectiva corporis tactilis. — En quomodo repraesentationes intentionales evadant pro nobis *signa* corporum externorum.

Secundum nonnullos iuvamen tactui praestat hic potentia motilis (Ita v. g. Rabier).

II. *Sententia Scholae:* Obiectum, ad quod cognitio sensibilis *immediate terminatur*, non est subiectiva modificatio, seu forma sensibilis, sed ipsum *obiectum extra eam positum.*

Probatur thesis.

Arg. I. — Id *primo* cognoscitur a sensibus externis, de quo *primo* certiores reddimur, dum actum sensationis exercemus.

A. Dum actum sensationis exercemus, primo certiores reddimur de obiecto externo per sensationem repraesentato.

E. Obiectum externum (per sensationem repraesentatum) *primo* a nobis cognoscitur (et non sensatio).

Min. patet ex conscientia.

Arg. II. — Ope sensuum externorum apprehendimus obiecta tamquam *extra nos* posita.

A. Non possemus ea ita apprehendere, si cognitio sensitiva non attingeret immediate nisi *subiectivas* modificationes sentientis. *E.*

Prob. min. Ad explicandum, quomodo ope sensuum externorum apprehendere possimus obiecta tamquam *extra* nos posita, adversarii recurrunt sive ad assuetudinem (acquisitam vel naturalem) sive ad applicationem legis causalitatis.

A. Neutro ex hisce modis res, de qua agitur, rite explicatur. Ergo.

Prob. min. per partes:

I. *Non assuetudine: a)* non assuetudine acquisita: in hac enim theoria non explicatur, cur *primas* sensationes pro signis seu imaginibus *obiectorum extra nos* existentium sumpserimus.

b) non assuetudine naturali: α) non enim explicatur, cur generatim formas subiectivas pro repraesentationibus obiectorum *extra nos* positorum habeamus; β) haec theoria, ut patet, non est scientifica *solutio* nostri problematis, sed affirmatio nuda. *Affirmat* quidem transitum ex affectione subiectiva ad ordinem extraneum habere causam, sed eius *naturam* intimam minime explicat; haec causa forte est quidam *caecus instinctus*, qui nos fallit! γ) Prorsus sine fundamento inducitur distinctio inter *tactum* et *reliquos sensus;* nam non minus his quam illi extranea apparent obiecta mundi externi. Quare si tactus potest immediate attingere obiecta externa, idem nec reliquis sensibus denegare licet.

II. *Non applicatione principii causalitatis:* 1) Infans habet aliquam tandem notionem mundi distincti a se ipso, attamen est incapax applicandi principium causalitatis; immo nec sentit ullam necessitatem inquirendi *causas.*

2) Animal brutum bene distinguit a se res externas — attamen hoc non est effectus applicationis principii *rationis*, cum animal non sit ratione praeditum! — Operatio igitur, quá transitus fit ex sensatione ad mundum externum, non potest esse operatio intellectualis, sed debet esse operatio proprie animalis seu *sensitiva.*

3) Si ideo mundum externum admitteremus, ut nobis *rationem* reddamus sensationum, quas habemus, mundus externus esset pro nobis — saltem initio vitae — aliquid *in se incognitum* et indefinitum, vagum. Porro mundus externus statim ab initio vitae alio modo apprehenditur: tamquam cumulus obiectorum concrete definitorum, bene *determinatorum.*

4) Etsi experiremur repraesentationes sensuum externorum nobis ab *aliqua* causa extrinseca venire, scire non possemus, *qualisnam* sit haec causa *in se*: univoca, an aequivoca; una an multiplex; atque adeo, utrum existant extra nos proprie dicta *corpora*, an vero aliquod agens nobis ignotum, forte Deus, ut docet Berkeley.

SCHOL. DE SENSIBILIBUS PROPRIIS.

1. ST. QU. — Argumenta modo allata docuerunt nos sensationem non terminari ad modificationem mere subiectivam, sed ad sensibilia externa. Hoc caput doctrinae commune est omnibus philosophis scholasticis.

At controversia incipit, ubi de explicanda *natura* sensibilium externorum quaestio ponitur: quidnam sint *in se* haec sensibilia?

Sed bene notandum est controversiam praesentem minime spectare sensibilia « communia » (extensionem, motum, quietem, figuram, magnitudinem) — concors est enim sententia Scholasticorum ea ita formaliter existere extra facultatem sensitivam, sicut ab ea apprehenduntur. Evincitur autem haec doctrina variis considerationibus, desumptis tum e *Cosmologia* (ex iis videl. quae circa naturam extensionis corporalis, motus etc. in ea disputantur), tum e *Criteriologia* (ex iis, quae de *obiectivitate* mundi in genere et in specie de

realitate rerum extensarum seu proprie dictorum corporum statuuntur.

Agitur de solis sensibilibus *propriis*: existuntne et ipsa a parte rei formaliter ita, sicuti sensationibus sensuum externorum apparent? V. g. color viridis, quem oculis intueor in folio arboris, existitne reapse extra facultatem visivam ita formaliter, sicuti ab ea percipitur i. e. *qua color*?

2. Quaestioni huic hoc modo positae alii respondent *affirmative* (« Perceptionistae »), alii negativee (« Interpretationistae »). Utrique in explicationibus ulterioribus theoriarum suarum in diversas abeunt partes — unde variae subdivisiones Perceptionistarum et Interpretationistarum (Expositionem bonam opinionum tradit P. Gaetani in *Psychologia*, Romae, 1930, pag. 98-120).

3. Praecipuum argumentum pro existentia *formali* sensibilium a parte rei, quemadmodum unanimiter ipsi Perceptionistae confitentur, desumitur ex « ratione verae cognitionis »: « Si unquam — ait unus ex Perceptionistis: P. Geny (*Crit.*, pag. 232) — Interpretationistae clare ostendere valebunt suam sententiam non tantum *factis scientificis melius* consonare, sed etiam cum factis illis, notionibus, principiis stare, quae in ipsa origine cuiuslibet *cognitionis certae* inveniuntur, nos in eorum sententiam eo libentius ibimus, quo maior nobis difficultas quaestionis apparet ».

Quae cum ita sint, solutio quaestionis praesentis *maxima* ex parte *Criteriologiam*, ut patet, spectat; huius enim praecise disciplinae est *certitudines* nostrarum facultatum in tuto collocare, genuinam notionem *veritatis* — quae intelligitur adaequatio inter cognitionem et rem — iustificare atque ostendere, quomodo intelligenda sit in definitione veritatis « res », quomodo « cognitio » et in quo proprie posita sit formaliter « adaequatio ».

Psychologia, dum quaestionem de « cognitione » aggreditur, totum hoc problema rite a Criteriologia esse solutum *supponit*: atque adeo non quaerit proprie, *quidnam* sit *formaliter* in se (in sua natura metaphysica) id, quod a facultate cognoscitur, sed potius: *quomodo fiat actus psychologicus*, qui *talem* rem (qualem Criteriologia vindicavit) attingat: puta, utrum ad cognitionem eliciendam sufficiat sola *praesentia*

obiecti externi an requiratur proprie dictus influxus *causalis* obiecti in facultatem; utrum sufficiat immutatio mere *materialis* organi, an necessaria sit insuper *species intentionalis*; quomodo fiat, ut non obstantibus speciebus nos res *externas* et non modificationes mere subiectivas attingamus et ita porro.

4. Si quaeris tamen, quidnam lucis e *psychologia*, *qua tali*, pro problemate praesente afferri possit, haec accipe:

a) Cum *cognitio* sensibilis proprii (v. g. coloris) sit ab ipso sensibili proprio *causata* (cfr. th. IX), debet inter ipsam et sensibile *quaedam similitudo* — saltem analogica — existere; nam vi principii causalitatis (in Criteriologia stabiliti) omne agens agit sibi simile.

b) Eo ipso, quod sensibile proprium in producenda sensatione concurrit tamquam vera *causa*, apparet falsitas sententiae, secundum quam sensibile proprium est *purus motus*, qualem Cartesiani adstruunt i. e. mera translatio localis *passiva*. Sensibile enim proprium, utpote principium *activum* sensationis, debet formaliter esse (vel saltem in se formaliter continere) elementum ordinis *dynamici* seu — ut utamur terminologia Veterum — *qualitativi* (qualitas)[1].

[1] Plura facta, quae Physica Optica et Psychologia experimentalis afferunt, thesim perceptionismi « radicalis » adeo difficilem reddunt, ut sat communiter hodie derelinquatur. (Perceptionismus radicalis est doctrina, quae tenet sensibile proprium v. g. colorem inhaerere in ipso corpore viso tamquam eius accidens intrinsecum, reddens corpus sua praesentia « tale », ita ut corpus coloratum possideat colorem, qua talem, etiam in absentia lucis (in obscuritate), licet propter defectum *conditionum debitarum* tunc percipi non possit). — Facta, de quibus sermo, sunt quae sequuntur:

1) *Discus Newtonii*: si hic discus manet immobilis, percipiuntur in ipso colores spectrales; si rotatur celeriter, percipitur *unus* color (albus).

2) *Fusio colorum complementarium in visione binoculari:* si duo sibi correspondentia puncta utriusque retinae excitantur simul coloribus complementaribus (v. g. unum caeruleo, alterum flavo), percipitur color albus (phaenomenon hoc obtineri potest practice facillime ope stereoscopi).

3) *Contrastus simultaneus* sive quoad *intensitatem* (album positum iuxta nigrum apparet intensitatis maioris) sive quoad *speciem*

c) Cum cognitio non sit mera *praesentia obiecti in facultate* (ut falso supponunt veteres fautores principii : simile simili cognoscitur), nec sit *simplex passio* facultatis, (in qua solum sensibile esset principium activum), sed e contra, cum cognitio sit formaliter *actio*, quae hanc passionem *sequitur* seu *reactio facultatis*, ideoque *a priori* non apparet, utrum « assimilatio », quae habet locum in sensatione, sit *formalis* an *virtualis* tantum; proindeque etiam non apparet, utrum obiectum (sensibile proprium) existat eodem *formaliter* modo in re ac a sensu repraesentatur. — *Reactio* enim, ut patet, non necessario similitudinem formalem cum obiecto, quod eam produxit, exprimere debet.

Nec iuvat dicere : in actu sensationis *species sensibilis* est causa *formalis* sensationis. Porro cum causa formalis effectum suum producat per intimam sui *communicationem* (prae-

(violaceum positum iuxta viride apparet cum colore « complementari » coloris viridis, i. e. cum colore rubro).

4) *Contrastus subsequens :* si postquam fixeram per aliquod tempus obiectum coloratum, postea statim rem albam aspicio, percipio colorem complementarem coloris primi.

5) *Mixtura pigmentorum* (qua pictores uti consueverunt) : si v. g. pulvis flavus et pulvis caeruleus secum miscentur seu iuxtaponuntur, percipitur ab oculis *mixtura* coloris *viridis*.

6) *Colores interferentiales :* una eademque res calorata, puta cristallum vel gutta aquae, pro diversitate anguli inspectionis *diverso modo* apparet.

7) *Daltonismus*, cui est casus specialis *Chromatopseudopsiae* : v. g. color ruber percipitur a daltonista tamquam viridis.

8) *Stimuli inadaequati :* v. g. electricitas agendo in aures producit sonum, agendo in oculos producit visionem. Ex altera parte idem organum (v. g. oculus vel nervus visivus) excitatus diversis stimulis (v. g. mechanica percussione, electricitate) reagit semper eodem specifice modo (i. e. visione).

9) *Mutatur color* rei, prout mutatur *lux.*

10) *Visio permanet* etsi *iam absit stimulus* vel *obiectum.*

Haec omnia facta coëgerunt Perceptionistas ad diversissimas attenuationes successivas suae theoriae adiungendas. Multi tandem hodie hoc solum vindicant : sensibile proprium (v. g. color), qua tale, existit formaliter a parte rei — sed *ubinam* (in obiecto viso an medio an forte in ipso organo : in contactu cum nervi), nescimus ; sufficit nobis, ut existat *extra actum,* quo ipsum percipio.

sentiam), hinc etiam sensatio actualis (quae est effectus formalis speciei sensibilis) debet esse *eodem modo* similis ipsi rei externae, quo species sensibilis est similis rei externae — hinc *formaliter*.

Responderi potest: Speciem sensibilem (impressam) habere similitudinem *formalem* cum obiecto non est *hic* supponendum, sed fortiter *probandum*. — Revera *plurimi* e Scholasticis tenent speciem sensibilem (impressam) habere cum sensibili similitudinem non formalem, sed seminalem seu « virtualem » tantum. Consequenter nec *a priori* sciri potest, utrum *sensatio formalis* (species expressa) sit similitudo obiectorum sensu *Perceptionistarum* an *Interpretationistarum*.

Quodsi alii attribuunt speciei sensibili reapse similitudinem *formalem* cum obiecto, neque ita controversiam praesentem iam in favorem Perceptionistarum diremptam censebimus. Nam quaeri semper potest: Cur speciei sensibili similitudinem formalem adscribunt? Si respondetur: « Ut periculum subiectivismi (idealismi) vitetur », tum eo ipso discussio praesens iam e Psychologia in campum *Criteriologiae*, ut patet, transfertur. Si vero forte respondetur: « Hoc ideo faciunt, quia *cognitio experimentalis*, qualis est sensatio, hoc necessario postulat », tunc dico: Hoc praecise est hic *in quaestione* et *probatione eget*.

Quae cum ita sint, patet argumentum saepe a Perceptionistis citatum « ex assimilatione inter obiectum et facultatem » depromptum possidere valorem dubium, quamdiu in *Psychologia* versamur [1].

Schol. II. — De medio « in quo ».

1. St. Qu. — Doctrina in thesi exposita communis est omnium Scholasticorum: sensatio (species expressa) non est

[1] Utrum rationibus e *Criteriologia* depromptis existentia formalis sensibilium propriorum sensu Perceptionistarum invicte demonstrari possit? Rs. 1. *Argumentum* inde desumptum, quod theoria Interpretationistarum ad *Subiectivismum (Idealismum)* ducere dicatur, videtur esse *inefficax*. Secundum Interpretationistas enim ope sensationum cognoscuntur reapse proprietates stricto sensu *reales*, licet non *prout* sunt *in se* seu non *secundum modum*, quem habent a parte rei, sed *prout sensum afficiunt* seu *secundum modum*, quem habent in sen-

medium « quod » (medium « ex quo », medium « per quod »). — At controvertitur inter ipsos, utrum sit medium « in quo », an tantum medium « quo ».

Erit medium « in quo », si species expressa — etsi omnino non cognoscatur secundum proprietates *subiectivas* seu entitativas — cognoscitur tamen secundum proprietates *obiectivas* seu repraesentativas. Erit medium « quo », si species expressa *nullo modo* cognoscitur, sed *facit* formaliter cognosci obiecta externa.

2. Sententiae. *a*) Asseclae *Scoti* et *Suarezii* communiter tenent speciem expressam, qua talem, ubicumque sit (sive in intellectione sive in sensatione) non esse nisi medium « quo ».

tiente; sensatio enim non est ad mentem eorum medium *quod*, ut Subiectivistae (Idealistae) asserunt, sed medium *in quo* ipsum sensibile *externum* attingitur. (Cfr. H. Gründer S. I., *De Qualitatibus sensibilibus*, Friburgi Brisgoviae, 1911, pag. 16-17, 70, 77, 88. — Quid sit medum « in quo », vide Schol. sequens).

Insuper secundum Interpretationistas *formaliter* existunt sensibilia *communia*; *motus* enim (vi dynamica seu « qualitativa » praeditus, quae *causat* perceptionem coloris formalis in me) non potest esse nisi in re *extensa*.

2. Argumentum inde petitum, quod Perceptionismus ducere dicatur ad *Scepticismum*, non maiorem etiam vim probandi possidere videtur. — Sicut enim colores formales inter se distinguuntur, ita etiam in *eadem proportione* rigorosa etiam eorum *causae* i. e. *qualitates*, in *rebus externis existentes*, inter se differunt. Quo fit, ut cognitio sensitiva minime ad res externas secum *confundendas* invincibiliter ducat atque *omnem* circa eas *certitudinem* pessumdet. — Verum quidem est cognitionem sensitivam, qualem Interpretationistae tenent, non attingere intimam *naturam* sensibilium propriorum. At responderi potest: *Nego suppositum* ad sensus pertinere de *natura* rerum iudicare. Cognitio intellectualis et cognitio sensitiva non *univoce*, sed *analogice* tantum praedicantur. — Sensatio, cum essentialiter immutationem seu *alterationem organi* materialem involvat, etiam aspectum relativum (subiectivum) in se semper contineat necesse est atque adeo numquam rem « absolute » attingat.

3. Sententia, quae colorem formalem in *ipso organo* (in *contactu* cum *nervo visivo*) reponit, et multas difficultates ex Physica optica fugit et in se possibilis esse videtur. Attamen, cum ratio *principalis* ne dicam *unica*, in qua haec theoria fundatur, sit *timor Subiectivismi*, iudicium nostrum de hac theoria iam supra audisti.

b) *Thomistae* docent speciem expressam ex natura sua esse medium « in quo ». Attamen putant existentiam speciei expressae tantum in intellectione et operatione sensuum internorum (in « imagine » propria phantasiae seu in « phantasmate »), non autem in sensibus *externis* locum habere. (Rationes huius ultimi asserti iam exposuimus in th. IX, pag. 80).

c) Nonnulli Scholastici recentiores et admittunt speciem expressam in sensibus externis (cum schola Suarezii) et eam (ad mentem generalis theoriae de « specie expressa » a Thomistis traditae) medium « in quo » esse censent. Ita v. g. Gründer, Fröbes et alii.

3. Cum iam alibi docuerimus, cur auctores *multi* speciem expressam etiam pro sensu externo admittant, nihil nobis remanet, nisi ut etiam explicemus, cur *quidam ex iliis* ad speciem expressam sensuum externorum theoriam thomisticam de medio « in quo » extendant. — En eorum rationes:

1) in casibus, in quibus obiectum externum et imago subiectiva aliquas *proprietates oppositas* possident, cognoscens attingit in actu suae cognitionis proprietates non obiecti externi, sed imaginis subiectivae. Hoc obtinet: *a*) in perceptione *sensibilium propriorum* ope sensuum externorum: color non existit in rebus formaliter, sed tantum *causaliter*; dolor, quem causat in me ignis, non est formaliter in igne, sed in me. Et ita porro. *b*) in perceptione *sensibilium communium*: obiecta valde distantia non apprehenduntur a sensu in eorum obiectiva (vera) magnitudine, sed minore; motus corporis extranei saepe attribuitur sensibiliter non corpori, quod *de facto* movetur, sed alii. Quo fit, ut sola sensitiva motus perceptio non permittat per se diiudicare de vero subiecto motus... Et ita porro.

Explicatio factorum modo citatorum ex una parte facillima et maxime obvia est in theoria medii « in quo », ut patet; ex altera autem parte theoria medii « in quo » *arbitrarie* restringeretur ad solos casus superius citatos. Incredibile enim prorsus est speciem expressam (secundum suos characteres obiectivos) percipi quidem a sentiente in casu, in quo obiectum multum distat, in distantia autem minori (« normali ») statim eam fieri omnino invisibilem!

2) Fautores medii « quo », dum expugnant theoriam medii « in quo », expugnant eam ideo, quia eam simpliciter cum theoria medii « quod » confundunt, ut patet ex eorum argumentis:

a) Teste conscientia, in cognitione directa non percipitur nisi solum obiectum externum (non species expressa).

Rs. Dst. Antec. ... quia eodem unico, indiviso actu fertur cognoscens in *utrumque*, scil. in speciem expressam, prout est *imago* rei externae, et in ipsam rem *externam*, *C.*, quia *duplici* actu fertur in... *N.*

Dices: Quomodo *unicus* actus attingere potest *duo* obiecta: imaginem videl. et rem externam?

Rs. Idem est motus, ait Aristoteles, in imaginem et in rem, cuius est imago (cfr. S. Th. III, q. 25, a. 3). Cognitione inducitur similitudo inter subiectum cognoscens et obiectum externum. Sed similitudo, utpote relatio, *simul* refertur ad *utrumque* terminum similitudinis. Eo ipso igitur, quod apprehenduntur elementa *obiectiva* sensationis, attingitur etiam *obiectum* (externum).

b) Ut ex exemplis vitae quotidianae patet, quotiescumque cognosco aliquod obiectum « in *imagine* » (pictura, statua), cognosco necessario *utrumque*: imaginem et obiectum. Ergo a pari si rem externam « in imagine » cognoscerem, cognoscerem semper *duo*: imaginem et obiectum.

Rs. Dst. Antec.: ...et hoc ideo fit, quia imago non est *perfecta*, vel quia intuitum meum retineo supra proprietates absolutas seu *entitativas* imaginis *C.*, secus *N.*

Ut apprehendam duas res tamquam unum quid, necesse est, ut proprietates earum *obiectivae* (repraesentativae) prorsus *coincidant*; si uni quid convenit, quod alteri non convenit, tunc apprehendam eas necessario tamquam *duas*. Porro cum statua, pictura aliaque id genus non habeant cum homine per eas repraesentato nisi *unam* notam communem scil. figuram, ideo fit, ut non possimus statuam (picturam) et hominem unico actu attingere. — Statua praeter qualitatem sensibilem *figurae* possidet multas alias qualitates *aeque sensibiles*. E contra imago intentionalis non habet alias *qualitates*, quae possint esse *obiectum sensuum*.

c) In suppositione medii « in quo » cognitio omnis esset semper *reflexa*, numquam directa.

Rs. N. Assertum. Intuitus enim cognitionis fertur tantum in proprietates *obiectivas* (repraesentativas), minime vero in eius *entitatem* subiectivam — ideo praecise non est hic locus reflexioni.

d) Cum sensus non possit *abstrahere*, ideo non potest attingere solam rationem obiectivam imaginis, quin eo ipso necessario attingat etiam rationem eius entitativam. Ergo.

Rs. Dst. Antec. Sensus non potest abstrahere abstractione *totali* (sicut intellectus) *C.*; abstractione *partiali*, *N.*

Expl. Oculus non attingit nisi *colorem* in re; *sonus* nonnisi *sonum* et minime alias qualitates rei v. g. figuram — *Hoc modo* omnis sensus abstrahit. — Abstractio, qua attingitur sola ratio *obiectiva* imagis (et non ratio eius *entitativa*), est similis naturae.

e) Per speciem sensibilem (impressam) obiectum sufficienter est facultati praesentatum. Ergo non est necessarium medium, « in quo » praesentaretur obiectum facultati.

Rs. Dst. Antec. Per speciem... praesentatum ut *comprincipium* efficiens cognitionem *C.*... ut formalis cognitio *N.*

f) Si species expressa cognoscitur, cognosciturne iterum in medio « in quo », an sine eo? Si I, aderit processus in infinitum. Si II, neque in prima cognitione necessarium erat medium « in quo ». Rs. Eligo partem: Species expressa cognoscitur sine medio « in quo », sed statim noto locutionem hanc « species expressa cognoscitur » non esse propriam. Nam species expressa minime est medium « quod » in cognitione.

g) Non est necesse ad medium « in quo » recurrere, ut explicentur « errores » sensuum. Ita v. g. ut explicetur, cur oculus percipiat solem tamquam discum *parvum*, sufficit dicere: quia percipit solem, non prout est *in se* extra me, sed prout nervum meum visivum afficit.

Rs. Adhuc in hoc casu percipio *solem* ipsum, non *excitationem* ab ipso provenientem et me actu *afficientem.* Porro sol (qualis existit a parte rei) non est sol, qualem ego de facto percipio.

THESIS XI.

Sensatio externa exercetur in propriis sensum organis.

1. St. Qu. — Alibi iam probavimus sensationem non esse operationem solius animae sed compositi, atque adeo eam exerceri ope organi. Hic quaestionem discutiendam aggredimur, *quidnam* sit hoc *organum*, utrum videlicet sensorium externum, an cerebrum, an tandem utrumque simul sumptum?

Agimus hic de sensatione in *homine*. In infimis enim animalibus, quae sine dubio tactum possident, non distinguuntur *nervi* a reliqua massa corporis, ideoque problema praesens pro ipsis, ut patet, non ponitur. Quod vero attinet entia paulo superiora v. g. quosdam pisces, *experientia* docet ablationem cerebri nullam fere inducere mutationem activitatis spontaneae.

2. Sententiae:

1) *Physiologi* plurimi et nonnulli ex philosophis scholasticis (v. g. Fröbes) docent: omnis sensatio externa fit in cerebro; sensorium externum passive tantum impressiones ab extrinsecus recipit, eas in excitationes specificas nervorum transformat, atque ad cerebrum transmittit, ubi in speciali « centro sensitivo » (diverso pro diversis sensibus) cognitio sensitiva elicitur. Unde sensoria externa vocari solent ab ipsis « apparatus receptivi », nervi conductivi autem « meri canales ».

Si quaeris ex illis, *quomodo* fiat, ut videamur sentire v. g. dolorem in pede vulnerato, calorem in manu ad rem calidam applicata, respondent: id fit per « *localisationem* » seu activitatem quandam psychicam, qua sensationem ad illam partem, quae excitationem recepit, *referamus* (in nostro casu: ad pedem vel ad manum).

Quod *naturam* spectat huius « localisationis », eam minime distiguunt a localisatione, qua obiectum sensu aliquo v. g. visu apprehensum in certa parte spatii *extra* corpus sentientis collocatur.

Si ulterius quaeris, *cur* sensationem ad partem illam referamus, quae excitationem recepit, alii ad « experientiam »

acquisitam et consuetudinem appellant («Empiristae»), alii ad «institutionem naturae» («Nativistae»). — Stricte loquendo, nec oculus videt, nec auris audit. Illusio autem, qua quis putat se oculo videre, aure audire, similis est huic, quam habet caecus, qui, dum tangit baculo rem distantem, videtur sibi *sentire* contactum *in extrema baculi parte.*

Physiologi admittunt hanc sententiam, quo facilius explicentur quaedam facta, quae in Arg. II. recensebimus.

2) Immerito in hac thesi citantur saepe tamquam fautores sententiae, quam modo retulimus, Cartesiani. Affirmant quidem in sensibus externis nihil fieri nisi impressionem materialem, eamque transmitti nervis «conductivis» ad cerebrum; attamen, ut alibi iam vidimus, cerebrum pro ipsis non est *organum* sensationis; sensatio est operatio *solius animae* (in cerebro residentis), non *cerebri.*

3) *Scholastici communiter et ex non-Scholasticis nonnulli concordi animo tenent sensationem residere in sensibus externis.*

In ulteriori tamen explicatione rei in diversas abeunt partes:

a) Sensatio residet in *solis organis externis. Cerebrum* quidem requiritur, at tamquam *conditio* tantum: «Sensoria externa, ita explicat rem P. Lahousse, recipiunt impressionem ab extrinseco, eamque cerebro deferunt; in cerebro fi reactio... [quae] refertur ad sensoria externa; vi reactionis producitur species impressa et immanenter elicitur species expressa» (*Psych.* II, pag. 139). Similiter Remer, Urraburu, Farges etc.

b) Secundum *Aristotelem* organum sensus tactus et gustus est in regione cordis-organi centralis vitae animalis. (*De An.*, 423. b.1-26; 422. b. 19-23, 34; 423. a. 17; 656 b. 32 squ.; organa aliorum sensuum sunt sensoria externa. Cfr. 419 b. 3 squ. 35 squ. 420 a. 4 squ.; 425 a. 4; 656 b.13 squ. 781 a. 14 squ. 438 a. 12-16; b. 5; 439 a. 21-b. 24; 440 b. 29; 444 b. 22 squ. 444 a. 25; 421 b. 14 sqqu. — Similem sententiam tenet *S. Thomas* (Cfr. In Arist. librum *De Anima*, Comment.).

c) *Nostra sententia*: Certum est sensoria *externa* esse *sedem* sensationis externae.

Certum est insuper ad omnem sensationem externam requiri cooperationem *positivam* cerebri.

Haec cooperatio non videtur consistere in hoc tantum quod cerebrum nonnisi *excitationem physiologicam* in sensu externo receptam compleat, ut putat sententia sub *a*) posita, sed in hoc, quod veram aliquam causalitatem *psychicam* in actu sensationis externae exerceat.

In quonam praecise consistat haec causalitas *psychica* quam cerebrum exercet, clare apparebit postea ex thesi de sensu intimo.

Quare tenor thesis accipiendus est sensu « assertivo », non « exclusivo ». Ponitur enim contra eos, qui docent: sensatio externa exercetur *in solo* cerebro.

Similem *quoad rem* sententiam ac nos tenet card. Mercier, P. Pesch, etc.

3. Methodus procedendi. — *a*) Non eadem claritate sentimus perceptiones *omnium* sensuum in sensoriis externis exerceri; ita v. g. sensationem visivam, auditivam perfici reapse in oculo, aure minus clare sentimus. Attamen *ex analogia* cum sensationibus reliquorum sensuum, in quibus res nostra manifestius apparet (e sensationibus tactilibus, olfactivis, gustativis), iuremerito concluditur. — Caeterum, ut appareat falsitas sententiae adversae, quae docet *omnes* sensationes elici a solo cerebro, sufficit monstrare vel in *uno* aliquo sensu contrarium obtineri.

b) Affirmando sensationem fieri in sensorio externo, non intendimus affirmare, hanc perceptionem statim et accurate exprimere locum sensationis, sed asserimus eam saltem *indeterminate* circumscribere ipsum. Determinatio *accurata* regionis, in qua sensatio fit, debetur plerumque imagini visuali stimuli (qui sensationem provocavit), quae (imago) sensationi associatur.

Probatio thesis.

Arg. I. — Conscientia testatur sensationes (saltem multas) non in cerebro esse, sed in aliis corporis partibus a cerebro distantibus.

A. Hoc testimonium conscientiae non potest esse falsum. Ergo.

Ad Mai. — Etiam dum oculos clausos tenemus, clare percipimus *a*) tactiones factas pluribus punctionibus in nostro

corpore non esse omnes in *eodem loco*, sed inter se *distare*, et quidem eo magis distare, quo magis distant inter se ipsae punctiones; *b*) *sensationes musculares* ibi locum habere, ubi ipsi *motus musculorum* perficiuntur. Et ita porro.

Prob. min. — 1) Secus admittendus videtur *Idealismus* Praecipuum enim argumentum positivum ad probandam realitatem *corporis mei* (et mundi externi est in hoc, quod conscius mihi sum me in *diversis partibus* diversis sensationibus affici.

2) Admittendus etiam videtur *Scepticismus*. Si enim ex una parte dolorem et quidem intensum, qui *in cerebro* adesse dicitur, omnino *non percipimus*, sed ex altera parte dolorem vehementem *percipimus* ibi, *ubi* dolor prorsus *non adest*, de veracitate facultatem desperari potest, praesertim quod *dolor habetur*, *quia sentitur*.

Arg. II. — *Rationes adversariorum eorum sententiam non probant:*

Ratio 1. — Sensatio non fit statim ac sensoria externa excitantur.

Resp.: Retorqueo argumentum: sensatio non fit statim ac cerebrum excitatum est.

Expl. — Verum quidem est sensationem non haberi statim ac organa externa excitantur, sed postquam haec excitatio motu nervorum translata est ad cerebrum (in homine translatio a sensorio externo ad cerebrum fit celeritate fere 40 m. per 1 secundam). At non minus etiam est verum sensationem *non* fieri *statim* ac *cerebrum* excitatum est; sed requiri adhuc 1/20–1/10 secundae, ut sensatio appareat (tempus physiologicum « quod pro visione est fere 0.20″ », pro auditione 0.15″, pro tactione 0.20″ etc. — Caeterum hoc tempus variatur pro maiore vel minore *attentione* et pro superiore vel inferiore « limite conscientiae »).

Ratio 2. — Cerebro laeso vel extirpato in ente sensitivo sensibilitas entis perit.

Resp.: a) Ex hoc certe sequitur cerebrum ad sensationem externam reapse *cooperari*. At minime sequitur sensationem in *solo* cerebro sedem habere.

b) Non tantum animalia infima, sed nec omnia superiora: canes, columbae, gallinae, ranae, quibus cerebrum ex-

tirpatum est, *privantur* omni *sensatione* (visione, auditione), cum obstacula bene vitent, apte volent, currant, etc.

Ut autem sensatio *solius* hominis (ut volunt adversarii) prorsus *diversis* legibus regi dicatur, ut videl. in *solo* homine sensatio non in organis periphericis, sed in *solo* cerebro fiat, hoc deberet *fortiter* probari.

Ratio 3. « Psychologice considerata, sensatio externa est specie idem ac hallucinatio, immo et phantasma. *A.* haec ultima in solo cerebro fiunt. *E.* idem valet de sensatione externa ». Quare « sentitur dolor, tactus, motus in membro amputato et quidem saepe per annos, ita ut correctio per attentionem non fiat ».

Resp.: *a*) Haec facta sunt impossibilia *nisi praecesserit* aliquando tandem (non tantum excitatio sensorii externi sed et) *sensatio externa* normalis.

b) *Ideo* praecise rationabiliter explicari possunt facta allata per influxum *imaginationis*. *Sensationi* videl. *doloris*, quam quis sentit in extremis nervis — in loco videl., ubi amputatio facta est — constanter *associatur* repraesentatio bracchii et dolor *in eo*. Hoc fieri potest eo facilius, quod ex una parte in sensatione ipsa, ut diximus sub **3**, locus non est perfecte determinatus, ex altera autem parte homini, cui bracchium est amputatum, saepe membrum amputatum tamquam *abbreviatum* tantum psychologice apparet.

c) Sensatio doloris in bracchio amputato *non est* prorsus *eadem* ac sensatio doloris in bracchio reali. Nam initio quidem vivax est, sed paulatim minuitur, immo saepe omnino *evanescit*. (Ipse auctor adhibet verba: « saepe »; ergo non semper). Insuper quando reapse adest, pro varia attentione multo *variatur*.

Ratio 4. Duobus oculis unum quid percipitur.

Resp.: Argumentum hoc desumptum ex visione « binoculari » sententiam Physiologorum non probat, ut patet *a*) ex phaenomeno « duplicis » imaginis sensitivae, provocatae vel sola pressione laterali globi oculi tempore visionis; *b*) ex phaenomeno bene noto visionis « stereoscopicae » (relief); *c*) ex s. d. « pugna binoculari » (lutte binoculaire, de concurrence, d'antagonisme des champs visuels): si ponemus in stereoscopio schedulam, in qua depicti sunt duo circuli (in una parte circulus ruber, in altera caeruleus), non videbimus necessario colorem mixtum, sed *alterutrum*.

Ratio 5. — Sensatio externa fieri potest excitatione inadaequata nervorum conducentium, immo sola excitatione cerebri.

Resp.: a) Etiam in hoc casu sensatio sentitur *non in cerebro*, sed in sensorio peripherico.

b) Sensatio haec oritur, quia sensorium reapse excitatur. — Differentia inter sensationem ortam sub influxu stimuli normalis (proprii, specifici, adaequati) et anormalis (communis, generalis, inadaequati) est in hoc, quod *excitatio* sensorio peripherico *aliunde advenit*: in primo casu a corpore externo, in secundo ab agente irritante nervum vel cerebrum.

c) Sensatio haec generatim *non est* tam *perfecta* sicut sensatio orta sub influxu stimuli adaequati. — Et insuper non dat *imaginem agentis* (obiecti) excitantis. — Plerumque quando premitur manu oculus, adest in visu imago phantasmagorica, quae debetur modificationibus circulationis retineae.

Confirm. thesis. — Non desunt inter *Modernos* optime versatos in rebus scientificis, qui sententiam Physiologorum acriter expugnant. (Cfr. H. Bergson, *Matière et mémoire*, 17ème édit., Paris, 1921, chap. 1, praesertim pag. 51 et seq.). Multi insuper « *projectionem excentricam* », prouti a Physiologicis statuitur, prorsus impossibilem declarant (Cfr. v. g. Bergson, *op.* et *loc. cit.*, pag. 52; W. James, *The Principles of psychology*, vol. II, London, pag. 31 sqq.).

Schol. I. — De lege energiae specificae sensuum.

Lex specificae energiae sensuum statuta a J. Müller edicit: Quotienscunque stimuli inadaequati seu *generales* afficiunt aliquem sensum, hic sensus semper *eodem modo reagit* ac si stimulis adaequatis seu *specificis* afficeretur. Qualitas sensibilis igitur, quam sensu percipimus, non determinatur a natura stimuli, sed a natura seu *specie sensus.*

Hoc principium specificae energiae sensuum ita generaliter enuntiatum a diversis auctoribus *diverso modo* ulterius explicatur.

Alii reponunt energiam specificam sensus in *toto* nervo sensitivo (ita antiquiores), alii (hodie) in *solis* nervorum *extremitatibus* et *partibus* quibusdam cerebralibus (centra sensationum). — Alii adscribunt *uni* eidemque sensui *unicam*

tantum speciem energiae (specificae), alii *plures* species energiarum (ita v. g. illi, qui in nervo optico admittunt tres species fibrarum, quarum unaquaeque correspondere dicitur uni « colori fundamentali », vel qui adscribunt *unicuique fibrae* sibi propriam energiam *specificam*. — Theoria Helmholtz, secundum quam essent in aure *diversae terminationes* nerveae ad percipiendos sonos diversae altitudinis, multiplicat etiam, ut patet, energias specificas in uno eodemque sensu).

Crisis: Quod attinet legem specificae energiae, haec notari possunt: 1. Si *quidam* stimulus inadaequatus ex. g. electricitas producit sensationes (non *omnis* stimulus agere potest in *quemcunque* sensum; ita v. g. lux non agit in tactum!), potest rationabiliter quaeri, si forte sensationes hae non debeantur potius stimulis propriis seu *adaequatis productis in ipso organo* activitate stimuli inadaequati. Secundum multos physiologos reapse stimuli inadaequati transformantur in organo proprio (ratione specialis structurae organi) in stimulum adaequatum et *ita tantum* sensorium determinant. (Dumas, *Traité de psych.* I, 1923, pag. 323).

2. Nervus conductivus alicuius sensus particularis generatim non reagit ad stimulum adaequatum eiusdem sensus (v. g. *lux* non agit directe in *nervum opticum*).

3. Müller ipse fortiter dubitabat, utrum species propria energiae, de qua lex loquitur, dependeat ab organo peripherico, an a nervo, an a centro nerveo, an tandem a toto complexu omnium horum simul. — Contra sententiam, quae reponit energiam specificam in *solo* cerebro, obiici potest factum hoc: Si caecitas est congenitalis in homine, nullus stimulus inadaequatus potest phaenomenon opticum generare.

4) Haec omnia clare nobis ostendunt legem « specificae energiae » sensuum non posse admitti caece. — *Restrictionibus* autem debitis ornata, lex haec philosophiae scholasticae non repugnat, quae iam contra Empiristas sive Genetistas doctrinam semper defendit, secundum quam subiecto sentienti adscribendae sunt et quidem *antecedenter* ad experientiam *proprietates specificae* — « potentiae specifice diversae ».

Quae doctrina antiqua Scholasticorum constituit verum quoddam « analogon » legis modernae de « specifica energia sensuum ».

Schol. II. — De mensuratione sensationum.

1. Ad quamcunque mensurationem perficiendam opus est, ut liquet necessario semper aliqua determinata *unitate.*

Sed estne possibile invenire talem unitatem pro sensationibus? Negative respondendum est, ut patet, si agitur de invenienda unitate *communi* sensationibus *diversorum* sensuum.

Quodsi quaeritur de invenienda unitate *propria* sensationum *unius* determinati sensus, res distinctione eget. Non potest inveniri unitas, quae mensuret sensationem *in se.* Ad hoc enim opus esset, ut idem subiectum possit saepius *eundem* actum cum *eadem* prorsus intensitate pluries repetere ac ita « unitatem » definire; insuper opus esset, ut hoc subiectum possit discernere, *quot* praecise unitates sensationis in certa aliqua sensatione contineantur. Cum haec duo impossibilia sint, liquet nos non posse mensurare *in se* sensationes.

2. Possumusne mensurare sensationes *ex causis* earum?

Causae sensationis sunt duae: *a*) facultas, *b*) obiectum. — Porro *facultates*, qua tales, mensurare non possumus. Mensurare posssumus tantum *actus.* Sed actus facultatis sensitivae est semper *communis facultati* et obiecto tamquam causis partialibus *subordinatis* atque ideo in effectu eorum non possunt distingui partes facultati ad amussim convenientes. Insuper facultatis acuitas variatur pro varia *attentione*, quae, qua talis, iterum mensurari non potest. Ergo ex parte *facultatis* mensuratio sensationis est impossibilis.

Est possibilis mensuratio tantum *ex parte obiecti.* Sensatio enim pendet ab influxu obiecti et quidem ita, ut generatim loquendo, *intensiori* incitamento ex parte obiecti, *intensior* respondeat sensatio et vicissim. Hac relatione inter sensationem et irritationem occupatur Psychophysica, quae statuit 1) *dari aliquam minimam excitationem*, quam subiectum cum conscientia percipere valet, seu aliis verbis: unamquamque irritationem, ut possit sensationem gignere, debere gaudere minima quadam intensitate, quae vocatur *limes sensationis* (le seuil de la sensation; próg podniety); ex altera parte dari quandam irritationem maximam, supra quam incrementum irritationis sentiri non potest, s. d. *acumen* (fasti-

gium) sensationis (supra quod non possumus augmentum v. g. doloris sensibiliter percipere, etiamsi augeretur continuo excitatio). 2) Ut sensatio una percipiatur a subiecto sentiente tamquam iam maior quam alia eiusdem generis non sufficit qualecumque augmentum irritationis; sed debet intercedere stabilis semper relatio inter augmentum irritationis et irritationem, quae sensationem praecedentem produxit (*limes differentialis*). Ita v. g. ut sentiam aliquod pondus esse iam maius quam aliud, debet inter haec pondera intercedere differentia: $^{1}/_{17}$ i. e. si primum habet 17 gr., alterum debet habere 18 gr.; si primum 170, alterum 180. (Limes differentialis pro pressione est $^{1}/_{3}$; pro luce $^{1}/_{100}$. Hinc quo maior est stimulus, eo maior accedere debet incrementum, ut percipiatur augmentum sensationis).

3. Haec relatio inter augmentum sensationis et augmentum excitationis exhibetur lege s. d. Weberiana–Fechneriana: Sensatio crescit tamquam logarythmus excitationis $S = K. \log. \varepsilon$.

4. *Crisis* huius legis: Haec lex 1) *non* est *absolute* vera: quoad *maximas* et *minimas* intensitates non verificatur; tantum de *mediis* intensitatibus valet et quidem *approximative*; 2) *supponit* hypothetice (quod non est certum) *augmenta sensationis* perceptibilia esse quantitates semper sibi *aequales*, qualiscunque tandem sit sensatio *initialis*.

THESIS XIII.

Existit in animali sensus communis a sensibus externis distinctus, qui inter sensibilia disparata discernit eaque ad repraesentandum idem obiectum externum colligit.

1. Sensus interni. — Praeter sensus externos, de quibus hucusque egimus, possident animalia sensus s. d. *internos*. — Nomen « sensus interni » desumptum est ex hac proprietate, quod videl. eorum organa *intus* animalis *latent* ac ad stimulos *ab intrinsecus* provenientes reagere valent.

Proprietas tamen haec, quae reddit rationem *etymologiae* vocis « sensus interni », non explicat sufficienter propriam

eorum *naturam*; proindeque nec sufficit per se sola ad definitionem sensuum internorum efficiendam (nam non convenit *soli* definito; ut enim alia omittamus, etiam organum sensationis *famis* intus latet!).

Sensus interni intelliguntur facultates organicae, quae utuntur sensibus externis tamquam quibusdam instrumentis ad varia munera nobiliora exercenda, quae ad bonum individui et speciei maxime conferunt.

Quatuor sensus interni numerantur: (1) sensus communis, (2) phantasia seu imaginatio, (3) aestimativa seu instinctus, (4) memoria.

Singulorum horum sensuum existentiam atque naturam singulis thesibus, quae sequentur, expediemus.

2. Sensus communis. — Sensus communis constituit quasi naturale ac essentiale *complementum sensuum externorum*; sine eo virtus sensitiva animalium esset radicaliter manca, cum finem suum proprium assequi non posset. Finis enim sensuum est cognoscere *res externas seu corpora*: praecise pro *diversitate proprietatum* (coloris, soni, gustabilis etc.) datae sunt animali *diversae facultates* sensitivae (oculus, auris, gustus etc.). Sed qualisnam, quaero, utilitas facultatum harum, si animal non posset sensibilia disparata, quae singulis sensibus haurit (v. g. colorem et gustabile), in *unum colligere ad repraesentandum unum idemque obiectum* reale seu si non posset ea ad unum idemque *obiectum* externum referre atque ei tribuere?

Porro ut animal sensibilia disparata — obiecta diversorum sensuum — possit uni eidemque obiecto externo tribuere, debet 1) et haec obiecta diversorum sensuum seu *sensibilia propria* percipere et 2) *aliquo modo* eorum *identitatem* (in « termino » sensationis) percipere; debet videl. animal cognoscere hoc album (quod oculus percipit) *esse* dulce (quod gustus sentit) vel hoc nigrum (baculus coloris nigri) esse iniucundum pro tactu.

Cum anima non operetur per se ipsam (per suam essentiam), sed per suas *facultates*, ideo *perceptio*, de qua modo diximus (iudicium sensitivum), est operatio *facultatis specialis* animae. Haec facultas vocari consuevit *sensus communis*. Vocatur « sensus », quia cognitio, quam haec facultas praestat,

non fit modo, qui proprius est cognitionis intellectualis, modo videl. *abstracto*; tali enim cognitione animalia bruta prorsus carent, ut alibi invicte probatur. Vocatur « communis », quia *a*) possidet virtutem percipiendi obiecta propria *omnium* sensuum externorum (colorem, sonum etc.); *b*) praeter sensibilia propria sensuum externorum attingit haec facultas etiam sensibilia s. d. « communia » (αἰσθητὰ κοινά): motum, quietem etc.

Munus sensus communis, de quo hucusque, apprime connexum est cum alio eiusdem sensus munere scil. *discernere* inter se sensibilia disparata seu ea ab invicem distinguere. — Quae discretio perficitur a sensu communi iterum non ope « divisionis logicae », in qua, adhibita copula « est » abstracte pronuntiatur formam v. g. « dulcis » non esse in « albo », sed ope merae *apprehensionis*. — Insuper haec apprehensio non fit modo *abstracto*, attingendo videl. ipsam rationem *formalem relationis* diversitatis, quae existit inter sensibilia disparata, sed modo *concreto*, quo videl. sensibiliter dulce et album tamquam non eadem percipiuntur.

De reliquis muneribus sensus communis infra in Schol. loquemur.

3. Realis distintiò sensus communis a sensibus externis. — Quaeri solet a philosophis, utrum sensus communis constituat facultatem realiter distinctam a sensibus externis necne. Sententia *affirmans* distinctionem realem prorsus praeferenda nobis videtur.

4. Thesis habet 3 partes:

I. *Existit in bruto facultas, qua sensibilia disparata colliguntur ac uni eidemque obiecto tribuuntur.*

II. *Existit in animali bruto facultas discernendi sensibilia disparata.*

III. *Haec facultas est realiter distincta a sensibus externis.*

Probatio thesis.

Pars I: Existit in bruto facultas, qua sensibilia disparata colliguntur ac uni eidemque obiecto tribuuntur.

Arg. — Animal statim ac oculis *conspexit* nutrimentum, in ipsum *tendit.* Porro non tendit, ut visu eius delectetur, sed ut *gustui* satisfaciat. Ita e. g. lupus a longe *auspicatus*

ovem propius accedit, non ut eius colorem contempletur — secus nonnisi staret et inspiceret! — sed ut eam *manducet.* Porro ad manducandum impellitur animal *sapore.* Animal igitur *huic colorato saporem* attribuit ac proinde *colligit* diversa sensibilia ad unum idemque obiectum repraesentandum.

Similiter canis fugit baculum, quia baculo *viso* sensibilia *tactila* adscribit.

Pars II. — Existit in animali bruto facultas sensitiva discernendi sensibilia disparata.

Arg. — Animal percipit v. g. *sonum* (quem auribus audit) *non esse saporem* (quem gustat), aliaque idgenus. — Ergo habet facultatem discernendi sensibilia disparata.

SONUM NON ESSE SAPOREM

Prob. antecedens:

Si plura sensibilia disparata simul incitant animal ad diversas actiones (v. g. nutrimentum *gustatum* ad manendum in loco, sonus *auditus* vero ad recedendum), animal non respondet singulis excitationibus per singulas reactiones proportionatas nec una reactione « totali », quae non esset nisi « summa » reactionum particularium, sed *una* reactione, quae correspondet *uni* ex excitationibus. Sed hoc faciendo animal « eligit » atque adeo *discernit* unum sensibile disparatum ab alio.

Pars III. — Haec facultas est realiter distincta a sensibus externis.

Arg. I. — Animal, ut modo vidimus, gaudet facultate percipiendi *obiecta variorum sensuum externorum eaque distinguendi.*

A. Facultas percipiendi *obiecta variorum sensuum externorum eaque distinguendi* est a sensibus propriis realiter *distincta.* Ergo.

Ad min. — Huiusmodi perceptio 1) nequit fieri ab *ullo* sensu externo, *seorsim sumpto*, quia sensus externus attingere non potest sensibilia *aliorum* sensuum: visus v. g. non potest percipere dulcedinem. 2) fieri non potest a sensibus externis *simul sumptis*; impossibile est enim inter *plura distinguere*, nisi ab *eodem*, qui distinguit, cognoscantur *termini* distinctionis et quidem cognoscantur *simul.*

Nec iuvat ad *unitatem subiecti* sentientis confugere, nam substantia creata operatur per *potentias*.

ARG. II. — Animal percipit s. d. sensibilia communia. *A*. Animal nec ope alicuius particularis sensus externi *seorsim sumpti* nec ope sensuum externorum *simul sumptorum* potest percipere sensibilia communia. *E*.

Ad mai. — Animal percipit certo v. g. *motum* (mutationem). Imno percipit bene eius proprietates sensibiles v. g. *celeritatem*; nam pro diversa celeritate motus observata diversas etiam edit saepe reactiones.

Ad min. — *Celeritas*, qua talis, cum qua *movetur* aliquod corpus, non potest attingi 2) *solo visu*, cuius obiectum proprium est *color*, vel solo auditu, cuius obiectum proprium est sonus etc. — Non potest attingi 2) a visu et auditu *simul sumptis* propter rationem sub 2) in argumento I positam (Uberior explicatio rei in: *La psychophisique humaine d'après Aristote*, pag. 120-121).

SCHOL. I. — QUOMODO SENSUS COMMUNIS ATTINGAT SENSIBILIA PROPRIA SENSUUM EXTERNORUM?

Sensuus communis non attingit sensibilia propria v. g. colorem, sonum etc., eodem modo, quo respectivi sensus externi ea attingunt. Nam, ut Aristoteles arguit, 1) deest sensui communi organum externum; 2) si sensus communis eodem prorsum modo perciperet v. g. colorem ac oculus, tunc eius obiectum formale esset idem ac oculi, proindeque etiam dicendum esset: ad percipiendam *unam* qualitatem esse ordinatos a natura *duos* sensus distinctos; quod est contra legem oeconomiae in finalitate intrinseca rerum fundatam (« Non sunt multiplicanda entia sine necessitate »).

Sensus communis attingit sensibilia propria sensuum externorum *utendo tamquam instrumentis ipsis sensibus externis*. En quomodo tota res evenire videatur: quando obiectum externum excitat sensoria peripherica, excitatio haec non remanet in *solis* his sensoriis, sed ope nervorum « conductivorum » transmittitur ad cerebrum, in quo est sedes sensationum internarum, ibique producit operationes ordinis sensibilis seu intentionalis, prorsus *analogas* sensationibus externis. Differentia *principalis* inter actum, quo visus percipit

colorem, et actum, quo sensus communis apprehendit colorem, reducitur ad hoc, quod in primo casu excitatio venit ab obiecto externo, in secundo autem ab organo peripherico (cf. Arist. *De Insom.* 2, 460 b 2–3; 3, 460 b 32; 461 a. 8); quod Arist. (*l. c.*) expressit hac formula: obiecta sensuum externorum sunt αἰσθητά, obiecta vero sensus communis sunt αἰσθήματα.

OBIECTIONES.

1) *Discernere unum sensibile ab alio est eorum identitatem negare.*
A. Negare identitatem non potest nisi intellectus.
E. Discernere unum sensibile ab alio non potest nisi intellectus.

PROB. MIN. — *Negatio, qua talis, est ens rationis. A. ens rationis (ut vel ipsum nomen insinuat) non potest attingere nisi ratio seu intellectus.*

RS. DS. MAI. — Discernere . . . . negare sive ope « divisionis vel apprehensionis abstractae » sive ope *concretae* perceptionis diversitatis sensibilium duorum C. . . . necessario ope « divisionis vel apprehensionis abstractae » . . . N.

CTDS. MIN. — N. cons.

AD. PROB. MIN. — Negatio est quidem ens rationis, si spectatur secundum suam formalem *abstractam* notionem.

At negatio fieri potest etiam per simplicem perceptionem, qua apprehenduntur duae res sicuti sunt in sua concreta realitate, proindeque tamquam distinctae.

2) *Unusquisque sensus ita obiectum suum cognoscit, ut non confundat illud cum alio.*

A. Qui ita cognoscit obiectum suum, ut illud non confundat cum alio, exercet discretionem.

E. Unusquisque sensus exercet discretionem — proindeque discretio sensibilium non est munus speciale sensus communis.

RS. DS. MAI. — Unusquisque . . . . cum alio, et hoc obtinet circa sensibilia *eiusdem generis* C. . . . . et hoc obtinet circa sensibilia *diversorum generum,* SBDST. sensus *communis* ita cognoscit . . . C., sensus externus N.

CTDS. MIN. — Qui ita cognoscit obiectum suum, ut illud non confundat cum alio, pertinente ad *idem genus* sensibilium . . . exercet discretionem (*proprie dictam*) N. . . . . cum alio obiecto pertinete ad *diversum genus* sensibilium, exercet discretionem, SBDST.

Si *utrumque positive* percipit C., si *unum* tantum *positive* percipit N. (discretio mere negativa).

Cum obiectum v. g. visus sit « coloratum », cognoscit visus omnes species, quae sub genere « colorati » continentur: rubrum, caeruleum, viride etc.; nec eas secum invicem confundit. Propterea dici potest exercere *aliquam* discretionem.

Attamen nullo modo potest « discretionem » exercere circa sensibilia, quae ad *duo genera* sensibilium pertinent, v. g. colorem et odorem. Porro *haec* precise discretio vocatur sensu *proprio* et per antonomasiam « discretio ».

Sensus externus potest dici discernere quidem sensibilia ad duo genera pertinentia, sed modo tantum mere « negativo », quatenus videl. percipit suum sensibile (oculus colorem) et *minime percipit* aliud sensibile (oculus odorem). Per hoc enim ipsum evidenter ea *non confundit* (discriminatur)!

3) *Nulla facultas potest attingere obiecta formaliter diversa.*

Ergo non potest sensus communis attingere sensibilia propria variorum sensibilium.

PROB. CONS. — *Color, sonus, odor, sunt obiecta formaliter diversa.*

RS. C. MAI.

DST. CONS. — Non potest . . . . sensibilium sub *pluribus* rationibus diversis C. sub *una* aliqua ratione communi N.

DST. PARITER PROB. CONS. — Color, sonus . . . . diversa, et non conveniunt in aliqua ratione *communi* N; conveniunt C.

EXPL. — Sicut non obstante diversitate reali *rubri* a *caeruleo*, possunt haec duo ab uno sensu externo percipi, ita non obstante diversitate: rubri a dulci possunt haec duo a sensu communi percipi. Sicut enim rubrum ac caeruleum conveniunt in una ratione communi scil. *colore*, ita etiam rubrum et dulce conveniunt in una ratione communi, quod videl. utrumque est « *sensibile* ».

Adde, quod haec sensibilia attiguntur a sensu communi non *quatenus extra* subiectum in rebus existunt, sed quatenus in *actu sensuum* externorum existentiam acquisierunt.

4) *In homine discretio sensibilium diversorum sensuum externorum potest fieri per intellectum.*

Ergo sensus communis in homine superfluus est.

RS. DST. ANTE. — In homine . . . . . per intellectum *eodem modo* ac per sensum N., *diverso* C. et N. *suppositum* nos non habere discretionem sensibilium modo etiam sensitivo. Factum contrarium, quod ex *experientia* nobis est notum, etiam consideratione *a priori* vehementer suadetur; nam homo non est *supponendus* habere naturam sensitivam mancam.

THESIS XIII.

Sensus intimus, qui operationes sensitivas comitatur, non videtur esse « generale attributum » sensationum externarum, nec sensatio muscularis, sed speciale munus sensus communis.

1. Notio sensus intimi. — Per sensum intimum intelligitur communiter « facultas, qua animal experitur tamquam suas affectiones sensitivas, quae in ipso contingunt ». — Dicitur in hac definitione: *a)* « tamquam *suas* », ut significetur obiectum sensus intimi esse *corpus proprium*; *b)* « sensitivas », ut excludantur operationes *vegetativae*, qua tales; *c)* « in ipso contingunt » — nam ad sensum intimum non spectat nisi affectio *in concreto* et quidem in quantum *hic et nunc* in subiecto existit; aliis verbis, per sensum intimum cognoscitur subiectum videns, audiens etc., non vero visio, auditio etc. modo *abstracto* sumpta vel *praeterita*.

Sensus intimus venit hodie in philosophia communiter sub nomine « conscientiae concomitantis ».

2. Sententiae. — Si quaeritur de *existentia* sensus intimi, Scholastici omnes sunt unanimes in asserenda existentia talis sensus. Idem etiam tenent Moderni. — Soli *Platonici* et *Cartesiani* hunc sensum negaverunt hac potissimum ducti ratione, quod virtus attingendi *facta interna* postulet necessario facultatem capacem *reflexionis*, hinc facultatem stricte immaterialem seu *spiritualem*.

Quodsi de explicanda *natura* sensus intimi ulterius quaestio ponitur, *controversia* maxima oritur etiam apud ipsos Scholasticos:

1. — Secundum alios sensus intimus non est facultas specialis, sed est *generale attributum* (proprietas) uniuscuiusque facultatis ordinis intentionalis. — Ita tenent v. g. Suarez (*De Anima*, lib. 3, cap. 11, n. 1), Losada, Tongiorgi, Palmieri, Mendive, Lahousse, Fröbes et plurimi tandem moderni psychologi et philosophi.

« Cum actus *videndi* florem e. g. — ita explicat rem Mendive — *olfaciendi* illius odorem, *contemplandi* eius pulchritudinem etc., in meis potentiis producuntur ac recipiuntur, non ego eos pure mechanice ac mortuo modo recipio, sed

vitaliter atque illorum praesentiam experiendo. Vivens enim cum sim, vitaliter omnia recipere debeo iuxta illud axioma: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Dispositio ergo haec habitualiter in me existens ad meas omnes actiones et passiones in me ut praesentes experiendas dicitur facultas sensus intimi; ipsa vero *experientia* illarum actualis et transitoria *actus sensus* intimi appellatur.

« Experientia haec non est actus realiter distinctus ab actione et passione per eam expertis; sed ipsa actio vel passio, quatenus nobis praesentes et in potentiis nostris vitaliter receptae... ». Nec tamen experientia sensus intimi est *perceptio* proprie dicta: non enim habet « pro obiecto rem aliquam a se ipsa distinctam, quod perceptionibus proprie dictis minime accidit. Porro omnis actus, quatenus vitalis et vitaliter receptus, reflexionem quandam virtualem in se continet... Ex dictis... sequitur facultatem sensus intimi non distingui realiter a collectivitate omnium potentiarum cognoscitivarum et appetitivarum, quarum actus experimentaliter in illis recipiuntur » (*Logica*, pag. 171-173).

2. — Secundum alios subiectum percipit sensationes sensuum externorum tamquam suas ope *sensus muscularis*, qui est unus ex illis, qui sub genere *tactus* comprehenduntur. — Omnis videl. actus sensationis externae v. g. visio, auditio, olfactio, gustatio etc. elicitur cum quodam *conatu musculari*, qui concomitatur exercitium uniuscuiusque sensus externi; inter hanc sensationem muscularem ex una parte et sensationes sensuum externorum ex altera parte constituitur paulatim in subiectio *associatio* constans et inseparabilis; qua fit, ut, ubi primum exerceri incipit sensatio externa, statim subiectum mediante hac associatione commoneatur de ipsa sensatione.

Sententiam hanc celebrem reddidit praecipue card. Mercier [1].

3. Alii tandem tenent nullum sensum externum posse actus suos proprios percipere; subiectum percipit *actus sen-*

[1] « Lorsque les organes des sens spéciaux fonctionnent, leur appareil musculaire nous donne le sentiment de contractions exercées, et ce sentiment, identique en nature, quelle que soit la sensation extérieure qui l'accompagne, serait le sens intime. En effet, chaque fois que nous nous sentons appliquer les sens extérieurs à la perception

suum externorum tamquam suos ope sensus communis; proindeque sensus intimus non est nisi quoddam *speciale munus* sensus communis. — Ita *Aristoteles* et post eum *S. Thomas* et *Scholastici* communius.

Ut subiectum ope sensus intimi (communis) percipiat aliquam *sensationem* sensus externi *tamquam suam*, debet eam ad se *tamquam ad subiectum eius* referre, seu debet sensationem sensus externi *sibi attribuere.* Quam operationem « referendi », « attribuendi » perficit subiectum, quatenus unico intuitu concreto amplectitur et operationem sensus externi et dependentiam, quam haec operatio involvit ad subiectum tamquam ad suam causam.

Quia *terminus* huius dependentiae a subiecto ita perceptae est praecise ipsum subiectum, *quod* hunc intuitum *perficit*, inde patet, actum sensus intimi involvere *quandam reflexionem*, reflexionem videl. virtualem (Cf. S. Th., *Qu. Disp. de Veritate*, q. 1, a. 9, c.). Per actum enim sensus intimi subiectum vere *se ipsum* etiam *apprehendit*, quatenus est principium dynamicum operationis sensitivae sensus externi.

3. Thesis habet 2 partes, non tamen aequalis certitudinis. In parte I vindicatur *existentia* sensus intimi seu conscientiae concomitantis operationes sensuum externorum. Et haec pars est prorsus certa.

In parte II, in qua de *natura* sensus intimi, tamquam veritati propinquior eligitur sententia Aristotelica.

Probatur thesis.

PARS I. — EXISTIT SENSUS INTIMUS (CONSCIENTIA CONCOMITANS).

ARG. 1. Animalia aures erigunt, quo melius audiant; nasum applicant, quo acutius odorem percipiant; oculos in

d'un objet, nous pouvons remarquer qu'il y a chez nous une sensation musculaire, car l'application active des sens extérieurs à la perception d'un objet demande un effort musculaire. Pour regarder, pour écouter, nous fixons les yeux, nous tendons l'oreille, nous tournons la tête, le tronc, les membres; pour goûter, pour flairer, nous faisons des mouvements de la langue, des lèvres, du nez » (MERCIER, *Psych.*, IXème éd., tome I, 1912, pag. 244-245).

obiectum figunt, quo distinctius videant; et ita porro. — Insuper variis signis indubiis manifestant sibi quasdam affectiones sensitivas, quas modo experiuntur, esse iucundas, alias vero iniucundas.

Ergo sentiunt *sensationes*, quae in ipsis contingunt, *tamquam suas* (sentiunt se sentire).

Probo cons. — Si animalia non perciperent ullo modo *tamquam suas* affectiones sensitivas, quae in ipsis contingunt, non facerent conatus, ut *melius* — immo ut optime quo fieri potest — hae affectiones peragantur, nec ad res externas, quae hasce affectiones in eis producunt, tenderent appetitu vitali (nec ab illis fugerent), sed simili modo se prorsus gererent ac si *de aliena* affectione, cui forte *assistunt*, ageretur.

Confirmatur argum. — Unusquisque nostrum optime *recognoscit* multas sensationes praeteritas *tamquam suas.*

A. Non posset *recognoscere* eas tamquam suas, si, quando in ipso contingebant, non cognoscebat seu non experiebatur eas *tamquam suas.*

E. Quando in subiecto contingebant sensationes, subiectum sentiens *cognoscebat (experiebatur) eas tamquam suas.*

Ad mai. — Factum in Maiore assertum a nemine negatur; est — ut constat — fundamentum pro methodo « introspectionis », quae tanti iuremerito habetur in inquisitionibus psychologicis.

Ad min. Quod a subiecto omnino cognitum non erat tamquam suum, est pro eius recordatione ac si numquam prorsus in eo extitisset.

Dices: In sensationibus singulis non cognoscebam nisi singula *obiecta* sensationum; attamen si postea in *totam seriem* obiectorum illorum *intellectualiter* reflecto, facile detego *nexum causalem*, qui continuo connectebat singula huius seriei membra a primo usque ad ultimum i. e. usque ad obiectum sensationis actu praesens; atque *ideo* praecise attribuo *totam* hanc seriem uni eidemque subiecto, quod *actuali reflexioni intellectuali* subest seu τῶ ἐγώ intellectualiter conscio.

Resp. 1. Recognitio, de qua loquimur, teste conscientia non est effectus *illationis* in principio causalitatis fundatae, sed effectus immediatae perceptionis concretae.

2. Theoria adversariorum, ut patet, involvit suppositum seriem actuum meorum cognoscitivorum esse ininterruptam. Sed hoc suppositum fortiter probandum esset!

3. Subiectum apprime distinguit *actus suos* ab actibus alienis, licet et hi ultimi cum istis vinculo relationis causalis fuerint connexi. (Cf. Fröbes, *Psych. spec.*, I, pag. 147-149).

PARS II. — DE NATURA SENSUS INTIMI.

I. — SENSUS INTIMUS NON VIDETUR ESSE ATTRIBUTUM GENERALE OMNIUM SENSUUM EXTERNORUM.

Rationes asserti:

1. Non bene patet, quomodo actus *appetitivus* possit se ipsum per se ipsum (per suam praesentiam) *manifestare*, cum ex se non sit actus manifestativus seu *cognoscitivus*.

2. Secundum fautores huius sententiae actus (experientia) sensus intimi *non est perceptio*.

A. Actus sensus intimi *est perceptio. E.*

Ad mai. Asserunt hoc praecipue, ut evitent processum in infinitum; si enim esset perceptio, quaestio iterum de novo, ut patet, instauraretur.

Ad min. — Actus, per quem aliquid fit notum animali, est actus perceptivus.

A. Per actum (experientiam) sensus intimi aliquid reapse, ut evidenter patet, fit notum animali.

E. Actus (experientia) sensus intimi est actus perceptivus.

3. Non bene apparet, quomodo v. g. ope actus, quo *rosam* percipio, possem insuper percipere *me percipere.* Hae enim duae *perceptiones: a)* perceptio *rosae, b)* perceptio *meae perceptionis* videntur omnino differre *secundum obiecta formalia.* Sed si ita est, non possunt esse actus unius eiusdemque facultatis, sed *facultatum distinctarum.*

II. — SENSUS INTIMUS NON POTEST EXPLICARI PER SENSATIONEM MUSCULAREM.

Rationes:

1. *Sine fundamento* asseritur omnem actum vitae sensitivae (omnem cognitionem, omnem appetitionem) coniungi semper cum *perceptione conatus muscularis.*

2. Per sensum intimum experitur subiectum non tantum conatus musculares, qui comitantur operationes sensuum externorum, sed etiam ipsas *operationes horum sensuum*, ipsam v. g. *visionem*, qua talem, ipsam auditionem, qua talem, et ita porro.

3. Sententia haec rem solvendam *minime solvit.* — Si enim omnes sensationes notae fiunt subiecto sentienti ope sensus muscularis, explicari debet ulterius, quomodo *sensationes ipsius sensus muscularis notae fiant* subiecto sentienti. — Et ita totum problema solvendum de novo instauratur.

III. — Subiectum percipit actus sensuum externorum tamquam suos ope sensus communis.

1. Theoria, quae reponit sensum intimum in sensu communi, multum commendatur iis, quae hucusque disputavimus, ita ut non videatur esse nisi *corollarium* eorum.

Ex una parte sensus communis, quemadmodum patet ex thesi praecedenti, vindicat sibi locum prorsus *specialem* in hierarchia facultatum sensitivarum, et quidem non tantum ideo, quia est facultas *realiter distincta* a sensibus externis, sed ideo praecipue, quia eos *essentialiter superat*, cum *a*) eius obiectum omnia obiecta propria sensuum externorum in se comprehendat, atque *b*) « discretionem » perfectiori modo exerceat (visus discernit tantum inter v. g. album et rubrum; sensus communis vero discernit inter album et dulce).

Quare pronum est etiam *huic* praecise facultati — et non alii — attribuere munus sensus intimi, quod, ut diximus, veram *reflexionem* (licet virtualem tantum) includit ac ideo facultatem *perfectiorem* postulat.

2. Theoria, quae sensum intimum soli sensui communi reservat, optime cohaeret cum eis, quae alibi de *specificatione facultatum* ab obiectis formalibus docuimus. Secundum hanc doctrinam pro diverso obiecto formali diversa etiam admitti debet facultas. Porro *coloratum*, quod in actu visionis exhibetur, et ipsa visio prouti est *modificatio subiecti* videntis, sunt duae rationes formales distinctae. Quomodo igitur possent a facultate *visiva* attingi?

3. Theoria haec reddit nobis *rationem obviam*, cur sensus externi *debeant esse coniuncti cum cerebro*, ut sensatio nobis *manifestetur*. — Sensationes externae per varia organa pe-

ripherica distributae videntur esse in quodam statu chaotico, in quo nullis vinculis *ordinis intentionalis* (sensitivi) inter se sunt ligatae. Ut ex hoc statu chaoticae existentiae ad *unitatem* syntheticam ordinis vere *intentionalis* redigantur, opus est speciali *facultate una*; porro cum haec facultas debeat esse *sensitiva*, debet etiam necessario habere *organum proprium* — quod rationabiliter nonnisi praecise *in cerebro* assignari potest. — Porro in cerebro est etiam sedes sensus communis, qui, ut diximus thesi praecedenti, excitationes ex organis periphericis ope nervorum conductivorum recipit. Sed percipiendo eas certior fit eo ipso de *operatione* eorum organorum. Atque ita subiectum sentiens *evadit conscium* operationum sensuum externorum.

Schol. I. — De sensu fundamentali.

1. Nonnulli ex recentioribus praeter sensum intimum, de quo egimus, et qui attingit subiectum, prout *modificationibus sensitivis* est affectum, admittunt insuper alium sensum intimum, qui directe sentit *subiectum, ut tale.*

2. Sensus intimus, ita rem explicat *A. Rosmini*, est perceptio perennis proprii *corporis per se* spectati, quae saltem natura est prior sensationibus externis, iisque praebet fundamentum. — In hoc sensu fundamentali reponitur a Rosmini unio essentialis animae et corporis in omni animali, immo etiam in homine. (Cfr. A. Rosmini, *Saggio sull'origine delle idee*, vol. II, a. 5, c. 3 et 9).

Anima — ita iterum rem declarat P. Tongiorgi — *independenter* « a quacunque affectione seu actu » et natura prius ad quamcumque suam affectionem sentit se ipsam « *actu perpetuo* ». Hic « sensus sui » seu « sensus intimus » — qui « est in anima independenter a corpore » proindeque « *ex se* non est organica facultas » — vocatur « *primitivus* » et « *essentialis* », est « basis et radix omnium facultatum ».

Sed « si se ipsam anima sentit, arguit P. Tongiorgi ulterius, necesse est, ut simul sentiat *statum*, in quo est ». Dum igitur informat corpus, anima « sentit perenniter *suam in corpore*, quod ipsa informat, *praesentiam* ». Et hunc sensum vocat P. Tongiorgi sensum « fundamentalem ». Hic sensus convenit animae non essentialiter, sed *contingenter*, sicut et

ipse status unionis est contingens; vi huius sensus anima sentit « se et corpus non ut duo... sed per modum unius; sentit videlicet *extensum*, quo secundum suam virtutem ipsa extenditur ». « Hinc inferes, ait P. Tongiorgi, sensum hunc corporis esse facultatem *organicam*, ut quae ex unitione animae et corporis resultat. Huius vero principium ac radicem esse sensum sui animae proprium [sensum essentialem] ». « Sensus fundamentalis non excitatur occasione peculiarium sensationum, sed *omnibus illis prior est*, saltem natura... [per hunc sensum] *indefinite* et *indistincte* eius [corporis] extensionem ut nostram experimur »... [Immo] ex hoc *corporis sensu* prima extensionis oritur notio ». (P. Tongiorgi, *Psych.* n. 274-279, ed. IV, 1869, pag. 138-142).

N. B. — Condillac locutus est etiam de quodam « sensu fundamentali » (« sentiment fondamental »); attamen hic nihil aliud est nisi *sensus actionum* — quas diversae corporis partes in se invicem exercent — ac praesertim *sensus motuum respirationis* (*Traité des sensations*, 2[de] partie, chap. 1, § 1), hinc sensus quidam « nisus » seu sensus « muscularis » recentiorum non omnino confundendus cum sensu fundamentali, de quo in praesenti loquimur.

3. *Crisis:* I. *Sensus fundamentalis gratuito statuitur:* 1) *Fundamentum* ipsum, in quo sensus fundamentalis superstructus est, i. e. « sensus essentialis » minime probatur. En enim argumenta pro sensu essentiali: *a*) « Ut vis aliqua necessario agens de potentia in actum transeat, hac duo requiruntur et sufficiunt: ut vis expedita sit ad agendum, et ut obiectum sit ipsi, prout convenit, admotum. Atqui anima... essentialiter est unita huic obiecto [scil. sibi ipsi], immo identica cum illo est... ». (Tongiorgi, *op. cit.*, n. 275, pag. 138).

Resp.: Dist. Mai. Ut... *admotum* i. e. *physice praesens* N.; *obiective* praesens seu in ratione *obiecti* C. Contradist. min.

b) « Si anima ab aliqua affectione excitari posset ad sentiendam seipsam, proculdubio affectionem illam experiri deberet ut suam. Atqui si anima ante omnem affectionem non sentit se, nullam affectionem experiri potest ut suam » (*l. c*).

Rs. C. Mai. — N. min. — Sicut visus percipere potest colores in charta, quin antea (prius natura) percipiat ipsam

chartam, ita anima potest percipere modificationes suas, quin prius se ipsam percipiat. — Anima sentit *simul* et modificationem suam et se ipsam.

2) Argumenta specialia pro sensu « fundamentali » nihil evincunt:

a) « Si seipsam anima sentit, necesse est, ut simul sentiat statum, in quo est. Nunc autem est corpori intime coniuncta... Oportet ergo animam sentire se corpori coniunctam... « (Tongiorgi, *op. cit.*, n. 278, pag. 140).

Rs.: *Dist. Mai.* Si se sentit directe (per intuitionem)... C., si se sentit indirecte (ope actuum suorum). N. Et N. suppositum totius argumenti, scil. *animam se ipsam sentire*, ut vult theoria « sensus essentialis ».

b) « Nemo... est, qui se extensum non sentiat... Atqui si anima se solam sentiret, extensionem in se sentire non posset » ... (*l. c.*).

Rs.: *Dst. Mai.* ... quatenus ope sensuum percipit modificationes actualis huius extensi. C. secus N. — *C. Min.*; *Dst. pariter consequens.* —

c) «... Quomodo fieri posset, ut anima sensationes suas in organis sentiret aut ad organa referret, si prius, saltem natura, proprium corpus non sentiret ut suum sibique coniunctum? » (*l. c.*).

Rs.: Res sufficienter explicari potest ope sensus communis, ut explicavimus antea.

II. *Ex absurdis*: 1) Si existeret sensus, quo anima *se ipsam* actu, antecedenter ad omnem sui modificationem perenniter sentiret, *existentia animae* in dubium revocari non posset, cum esset *immediate* et *experimentaliter* nota. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

2) Si existeret sensus, quo anima sentiret actu perenniter *suam cum corpore coniunctionem*, de *natura animae* non possent tantae dari disputationes, cum anima seipsam directe intuens, necessario videret, se esse *formam corporis, spiritualem* etc.

3) Si haberemus sensum fundamentalem, haberemus aliquam tandem notionem de corpore nostro, quae *non ope sensuum* nostrorum esset acquisita. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

Ad Mai.: Cum potentiae specificentur ab obiectis propriis, potentia, quam adstruunt adversarii, deberet habere suum proprium *obiectum distinctum* ab obiecto sensuum aliorum; ac proinde deberet dare nobis notitiam, quam *nullus sensus* dare potest.

Min. patet ex experientia. — Caeterum quidnam adversarii didicerunt a suo sensu fundamentali!?

THESIS XIV.

Animalia bruta phantasia praedita sunt.

1. Notio. Phantasia intelligitur sensus internus capax apprehendendi obiecta sensibilia in eorum absentia.

Duo eius munera numerantur:

1) *species* obiectorum a sensibus externis perceptorum *conservare.* — Propter hoc munus phantasia vocatur a Scholasticis: thesaurus specierum intentionalium, a Modernis « imaginatio retentoria » (imagination rétentive).

2) ope harum specierum conservatarum, quas veteres vocabant « phantasmata » vel « idola », obiecta in eorum absentia *reproducere.* — Propter hoc munus phantasia appellari consuevit imaginatio reproductrix. —

Hoc secundum munus habetur pro operatione propria ac *formali* phantasiae stricto sensu acceptae; nam quemadmodum ipsa iam etymologia vocis insinuat (φαίνω), phantasiae est *actuales reddere* repraesentationes rerum *absentium.*

Probatur thesis.

Existit phantasia in bruto animali.

Arg. I. Conscientia teste possumus imagines obiectorum sensibilium, olim per quemlibet alium sensum haustas, in absentia eorundem obiectorum reproducere.

Ergo conscientia teste habemus phantasiam.

Antec. exprimit factum conscientiae unicuique per se notum sive e statu somni sive etiam e statu vigiliae.

Consequens patet ex notione phantasiae data.

Quod autem *eadem* facultas etiam *animalibus* brutis inest, patet ex iis, quae sequuntur:

1. Animalia certis signis manifestant *somnia* inter dormiendum. Ita canis dormiens saepe incipit latrare; hoc factum non potest sufficienter explicari per sensationes externas — quia hae fere omnino desunt — sed per phantasmata somniorum similia illis, quae homo in se experitur in somniis, et quae variis signis ad extra manifestat.

2. Animalia habent *memoriam* sensitivam.

N. B. *A. Memoria* sensitiva includit phantasiam. *E.*
Maior et Minor infra ostendentur.

SCHOL. I. — DE RELATIONE INTER PHANTASMA ET SENSATIONEM.

1. SENTENTIAE. — 1. *Pro Aristotele* phantasma non est nisi quaedam naturalis *prolongatio* sensationis externae; differentia inter phantasma et sensationem consistit in eo praecipue, quod imago, generatim loquendo, inferior est quoad intensitatem, quam sensatio (*Rhetor*, I, 2, 1370, a. 28–29); ideoque phantasma « sensatio debilis » ab ipso vocatur. — *Differentia* haec, ut patet, non est essentialis, sed *accidentalis: gradualis.*

Haec doctrina communis est *Scholasticorum.*

Haec sententia, quae inter sensationem et phantasma differentiam nonnisi « gradualem » statuit, tenetur — quoad substantiam — a sat multis Modernis: Hume, Taine, Galton, Ebbinghaus, Binet, Höffding, H. Spencer etc.

2. Alii censent inter *phantasma et sensationem differentiam essentialem* vigere eamque in eo esse, quod imago *careat* omni prorsus *intensitate*: potest quidem *color* repraesentari fortior, attamen per hoc ipsum *phantasma* non fit fortius. — (Ita v. g. Lotze, Jodl, Ziehen et alii).

3. Alii tandem reponunt differentiam inter phantasma et sensationem in eo, quod in *sensatione* sentitur *immediatus contactus cum realitate*, in phantasmate vero sentitur immediata impressio *idealitatis*. Ita Phaenomenologi.

2. CRISIS: 1. Certum est imaginem (phantasma) et sensationem *realiter* inter se *distingui*; nam

a) v. g. sol imagine repraesentatum per se (ratione sui) non lucet, non calefacit.

b) imago, *generatim* loquendo, est minus *intensa*, minus *complexa*, minus *dives* quoad particularia, quae exhibet.

c) imago, ut plurimum, minore *stabilitate* et *constantia* (fixité) est ornata, quam sensatio.

d) imago sequitur suas proprias *leges* (v. g. legem *associationis*, de qua inferius) a legibus sensationis diversas; quo fit, ut a conditionibus *externis* minus pendeat quam sensatio (v. g. in iisdem conditionibus varii homines varias habent imagines).

2. Utrum differentia haec (realis) inter imaginem et sensationem sit gradualis tantum an *essentialis*?

Rs.: Est « gradualis » hoc sensu, quod proprietates, quae *imagini* conveniunt, sunt *eiusdem* « *qualitatis* » ac proprietates, quae sensationi competunt: imagines repraesentant *qualitàtes similes* ac sensationes (colorem, sonum etc.); imagines — aeque ac sensationes — affectae sunt intrinsece *conditionibus materialitatis*, singularitatis, extensionis, ubicationis, quandocationis, et ita porro.

Non est « gradualis » hoc sensu ac si *ipsa imago*, qua talis, in sua realitate physica spectata nihil aliud esset *nisi ipsissima sensatio*, sed in statu remissiori. Haec sententia supponit, quod iam superius (th. XI) tamquam falsum reiecimus, omnem sensationem (sensuum externorum) fieri formaliter in *solo cerebro* aeque ac imaginem.

Dices: Quando intensitas sensationis gradatim *minuitur*, pervenitur ad momentum, in quo impossibile est dignoscere, utrum de sensatione proprie dicta agatur, an de imagine (hoc facile praecipue in sensationibus auditivis evenit!); vel e contra, si intensitas imaginis continuo *crescit*, perveniri potest nonnunquam ad imaginem tam vividam, ut simpliciter confundatur cum sensatione et iam hallucinatio habeatur. — Tandem apud omnes in somno, et apud nonnullos artistas etiam in vigilia intensitas imaginis intensitatem sensationis adaequat.

Rs.: Verum quidem est dormientem, infantem, morbo mentali laborantem, aliquando etiam artistam in contemplationem operis artis raptum non distinguere bene imaginem a sensatione; attamen hoc ideo ipsis evenit, quod propter reductionem *campi conscientiae* (rétrécissement du champs de la conscience) et statum *distractionis*, in quo inveniuntur,

prorsus non advertunt ad varias proprietates sensationis, qua talis, quas homo normalis statim apprehendit. — Sed aliud est «non videre» differentiam inter imaginem et sensationem et aliud «non esse» differentiam inter imaginem et sensationem.

Schol. II. — De associatione imaginum.

1. St. Qu. — Cur in conditionibus determinatis haec et non alia oritur imago? — Cum nihil fiat sine causa, etiam hoc factum causam et quidem proportionatam habere debet. Estne haec causa *physiologica* an *psychologica*? Rs. Causa physiologica *aliquando* rem sufficienter explicare potest; facile intelligitur hoc ex eo, quod inducta in organismum — quocumque tandem modo — modificatione physiologica prorsus *simili* illi modificationi, quae antea activitate sensibilis externi inducta erat, causatur eo ipso etiam repraesentatio intentionalis similis sensationi antea habitae.

Nihilominus causa *ordinaria*, quae explicat apparitionem actualem huius et non alius imaginis in homine, non est mere physiologica, sed psychologica, videl. s. d. *associatio imaginum*, quae edicit: inter actus *intentionales*, qua tales, existit certa connexio ita, ut si unus ex eis conscius fiat, etiam alius *ob hanc* praecise *connexionem* in conscientiam vocetur. (Quae associatio locum habere potest sive inter sensationem et phantasma, sive inter phantasma et phantasma).

2. Conditiones seu leges associationis imaginum. — Si quaeris ulterius, quaenam sint conditiones (leges) huius associationis imaginum, generatim exhibentur tres, quae iam Aristoteli erant notae: *similitudo*, *contrarietas*, *contiguitas in tempore et in spatio* (simultaneitas et succesio).

Hae tres leges possunt secundum multos (James, Baldwin, Claparède, P. Fröbes etc.) reduci ad *unam* legem universaliorem: *contiguitatem* in tempore, quae edicit: duae repraesentationes inter se nexum associationis ineunt, si eodem tempore (vel saltem immediate post se) in conscientia fuerunt seu si *unam* apprehensionem compositam faciebant.

Associatio imaginum non esset igitur nisi quaedam *tendentia* vitalis ad *reconstituendum* actum psychicum in sua totalitate complexa, cum qua hic actus antea in subiecto exi-

stebat: incipiendo ab uno aliquo elemento huius complexus psychici, subiectum reconstituere conaretur totum complexum.

Argumenta eorum, qui unicam legem associationis statuunt, haec sunt praecipue: 1. Similitudo non est nisi *relatio*, quam inter duas res percipimus. Sed relatio non existit nisi in mente percipientis hasce duas res.

2. Similitudo — ut facta quaedam experientiae monstrant-habet valorem associandi, si qua talis, a subiecto cognoscente percipiebatur modo conscio (si in perceptione duarum rerum defuit *conscientia* de earum similitudine, etiam vinculum associativum inter earum repraesentationes deerit). — Ita Foucault. — Ergo non similitudo ipsa, sed *actus conscientiae*, qui perceptiones duas *unico intuitu* comprehendit, efficit vinculum associationis.

3. Similitudo est quaedam *identitas* partialis, quae viget inter utrumque terminum similitudinis, et quae fundatur in qualitate communi, *praesenti* in utroque termino. Hinc in *contiguitate.*

4. Argumenta eadem valent, ut facile patet, contra legem associationis fundatam in « contrarietate ».

Crisis argumentorum:

Arg. 1um *falso supposito nititur* scil. relationes existere tantum in mente.

Arg. 2um *in quibusdam* casibus valet, sed *non* in *omnibus.* Ut una repraesentatio mihi aliam in mentem revocet, non requiritur necessario, ut tempore anteriori iam de earum similitudine *formaliter cogitaverim.* Testantur hoc multa facta experientiae.

Ad arg. 3um. Ut possit esse sermo de relatione (similitudine), utique debent esse praesentes in duabus rebus qualitates affines. At relatio formaliter *non* in hac *praesentia* consistit.

Sententia nostra. 1. Lex associationis, quae maximi est momenti, est certo lex *contiguitatis.*

2. Haec lex non debet restringi ad solam contiguitatem *conscientiae*, sed debet extendi etiam ad contiguitatem *obiectivam*, seu illam, quae in *rebus* ipsis, prout in sensationibus sentienti *repraesentantur*, existit.

3. In hac contiguitate « obiectiva » specialem locum sibi vindicat « similitudo ».

4. In contiguitate « obiectiva » ponenda est etiam certo « contrarietas », si de associatione, prout *in hominibus* fit, loquimur. Testatur hoc conscientiae nostrae observatio. — Utrum etiam in *brutis animalibus* locum habeat? *Negative* respondendum est. Associatio enim in contrarietate fundata videtur esse associatio « systematica », seu illa, quae viget inter res, quas perceptio reflexa — hinc intellectualis — in ordinem seu « systema » redegit.

3. De natura associationis imaginum. — Hucusque egimus de conditionibus (legibus) associationis. Nunc de *natura* associationis pauca dicemus. — Si in subiecto sentiente *resuscitatur* sub forma phantasmatis quaedam sensatio antea habita, hoc ideo fieri potest, quia *ex sensatione* anteriore *aliquid* in subiecto sentiente *remansit ac perdurat.* Sed quidnam sit hoc *residuum* in sua *natura*?

De hoc disputatur. — 1. Secundum quosdam residuum hoc est ipse *actus sensationis* antea conscie habitus et nunc inconscie adhuc perdurans. — Ita Herbart. —

Crisis: Sententia haec est prorsus improbabilis: quot sensationes actu permanerent in subiecto! Quid sit sensatio *actualis* prorsus *inconscia?!*

2. Secundum alios in subiecto sentiente permanet ex anteriori actu eadem numerice *species impressa* sensationis (non totus actus sensitivus).

Crisis: Si adest species impressa, debet adesse etiam sensatio, nam data causa detur etiam necesse est effectus eius naturalis. — Et ita cadimus in difficultates sententiae praecedentis.

3. Secundum alios (Ribot, Carpenter, Spencer, Bain, Jold, etc.) ex sensatione priori remanent *sola* vestigia *materialia* in cerebro impressa.

Crisis: Sicut apparatus phonographicus semel in motum traiectus potest in me sensationes auditivas a me antea habitas adamussim reproducere, ita iam a priori concedendum videtur posse — *absolute* loquendo et in casibus valde *simplicibus* — *sola* vestigia *materialia* ex sensationibus antea habitis in *organismo* relicta — dummodo debitam excitationem recipiant — reproducere phantasmata similia sensationibus praehabitis.

Attamen in *ordinariis* vitae conditionibus solum residuum materiale *non sufficit.* — Cum enim unaquaeque imago cooperationem valde *complicatam* elementorum materialium postulet, non intelligitur, cur *haec* praecise imago prae alia immo prae toto cumulo aliarum imaginum appareat. Unumquodque enim elementum materialiter sumptum agit pro se tantum et insuper excitationem suam perducit via mechanice faciliori. Non explicatur igitur haec « electio », quae in associatione imaginum apparet.

Difficultas augetur eo, quod non sola « contiguitas » gubernat associationem imaginum, sed etiam similitudo obiectiva seu repraesentativa imaginum intentionalium, ut antea diximus.

Insuper *materia* cerebri continuo *renovatur* et cum hac renovatione ipsa *vestigia pereunt.*

Existentia vestigiorum cerebralium localisatorum in sic dictis « centris » et correspondentium imaginibus psychicis non est probata; immo non est omnino probabilis. (Cfr. Dumas, *Traité de psychologie*, tome I, pag. 525). — Hypothesis autem a Ziehen facta, secundum quam singulae imagines ponuntur in *totidem singulis cellulis*, est prorsus *gratuita* et *phantastica*: quomodo enim tota aliqua imago extensa deponi potest in cellula unica ita, ut excitatio huius cellulae eandem semper resuscitet imaginem? Cur in *singulis* cellulis *unica* imago deponitur? Quomodo fit, ut in cellulam, quae suam iam recepit imaginem, non possit penetrare nisi excitatio, quae suam afferet imaginem? — Ipsi physiologi moderni hanc theoriam prorsus insufficientem putant. —

4. Secundum alios (Plato, S. August., Leibniz, Lotze, Hamilton, Reid) permanet sola dispositio *psychica* seu dispositio soli *animae* inhaerens.

Crisis: Theoria haec associationem idearum in animalibus *brutis* non explicat (anima bruti nihil agit nec recipit *sola*!) Immo nec associationis imaginum in homine solo reddit rationem, ut patet ex psychologia pathologica, ex factis videl. amnesiae et aphasiae, quae dependent a processibus *physiologicis.*

5. Secundum alios denique — Scholasticos et multos Modernos (Wundt, Höffding, Ebbinghaus) — permanet elementum partim *animae* partim *corpori* impressum. — Differunt

hic Scholastici a Modernis in eo, quod secundum Scholasticos elementum materiale et elementum psychicum constituunt *unum quid*, secundum vero Modernos citatos — parallelismo psycho-physico deditos — constituunt *duo* facta separata.

Secundum Scholasticos vinculum associationis est ordinis *psycho-physici*, est videl. dispositio *compositi* ex corpore et anima (non tamen conscia); vestigia materialia in reproducendis imaginibus reguntur aliquo principio altiore scil. *anima sensitiva*; haec vestigia materialia non debent esse necessario vestigia *numerice* eadem; sufficit, ut idem perseveret principium *formale* scil. anima et facultates.

Quomodo totus processus associationis fiat, ex theoria « habitus » alibi tradita elucet.

THESIS XV.

Animalia bruta praedita sunt vi aestimativa seu instinctu.

1. Notio vis aestimativae. — Animal brutum possidet *vim specialem apprehendendi in rebus sensibilibus rationes, quae nullo sensu externo percipi possunt*, qualis est v. g. ratio convenientiae vel disconvenientiae pro individuo, ratio commodi vel incommodi, ratio utilitatis vel nocumenti, ratio inimici etc., quas animal in aliqua re etiam *prima vice* observata statim apprehendit (v. g. ovis in lupo etiam prima vice viso rationem inimici apprehendit).

Rationes hae vocabantur ab antiquis communiter rationes « insensatae », non quod sensibilitatem *simpliciter superent*, sed quia non cadunt sub *sensus externos* (nec consequenter sub sensum communem). — *Vis* autem ipsa apprehendendi hasce rationes appellabatur a Scholasticis veteribus: aestimativa; a recentioribus vulgo nuncupatur: instinctus.

2. Operationes instinctivae. — Operationes instinctivae eae intelliguntur, quae 1) *eliciuntur a)* uniformiter eodem modo ab omnibus individuis eiusdem speciei, *b)* sine deliberatione vel consultatione, *c)* sine praevia experientia individuali vel disciplina; 2) *sunt obiective utiles*.

Hic tamen statim notamus uniformitatem, de qua hic loquimur, non esse sumendam sensu nimis rigido. Reapse enim

uniformitas haec non excludit variabilitatem intra *certos* limites atque facultatem adaptandi se *aliquo* saltem modo conditionibus novis, quae forte obvenerint: aves, quae aedificant hodie nidos suos e filis ab homine textis, certe alio modo aedificabant nidos antequam homo artem efficiendi fila didicerit; item perdrices Canadenses construunt vel non construunt « tectum protectorium » dependenter ab hoc, utrum clima sit frigidum vel calidum. Et ita porro.

3. Sententiae circa naturam instinctus. — *Mechanicistae* explicant operationes instinctivas per puros *motus mechanicos.*

Falsitas huius sententiae abunde patet ex th. IV. In opetionibus enim instinctivis — aeque ac in aliis operationibus propriis animalium — apparet summa *irregularitas*, quae legibus mechanicis evidenter contradicit, et unitas *intentionis*, quae activitatem psychicam subaudit; ita v. g. in pugna, quae est actio instinctiva et propria uniuscuiusque speciei, animal adaptat se actionibus inimici motibus irregularibus, et tamen ad *unum* finem tendentibus. — Idem valet de aedificatione nidi, de modo conquirendi nutrimentum etc.

Alii sumunt operationes instinctivas pro operationibus intellectivis proindeque confundunt *instinctum* cum *intellectu.* — Falsitas huius theoriae sponte apparebit, ubi primum notio intellectus clare perspecta fuerit (Vide thesim 19).

Hisce duabus theoriis — quarum una graviter per defectum, altera vero graviter per excessum peccat — a limine exclusis, solas illas sententias considerabimus, quae sequuntur:

I. *Theoria Evolutionistarum*: instinctus est proprietas innata quidem in individuo, sed acquisita ab eius ascendentibus seu, aliis verbis, est *habitus quidam hereditate posteris transmissus.*

Lamarck ita rem ulterius explicat: In natura adest perpertuus nisus ad progressum; quo fit, ut in certo evolutionis stadio apparuerint in corporibus systema nerveum et organa sensuum; deinde ex necessario impulsu sese conservandi animal contraxit habitum ponendi quasdem actiones utiles. — Hic habitus semel contractus et per diuturnum usum fixus transiit cum natura a parentibus ad prolem via generationis. Ipse constituit instinctum.

Neo-Lamarkismus: operationes, quas hodie vocamus « instinctivas », perficiebantur aetate primitiva (ab hominibus) sub influxu cognitionis (intellectualis) plene consciae; attamen paulatim propter earum constans exercitium acquisierunt proprietates *habitus* seu factae sunt operationes automaticae et, qua tales, transmissae sunt via hereditatis in posteros.

Darwin, ut originem instinctus explicet, ad selectionem « naturalem » et « sexualem » recurrit, quibus fit, ut individua aptiora qualitates, quae ipsis in « pugna de vita » victoriam de minus aptis dederunt, ad prolem suam per generationem transmittant.

Evolutionisticam theoriam instinctus tenent etiam Herbert Spencer, Pouchet et multi alii. (Uberior explicatio systematum evolutionismi infra tradetur).

II. *Theoria innatismi*: *a*) *Theoria specierum innaturum*: instinctus est quaedam « qualitas » ab Auctore naturae in animali deposita; est veluti quaedam « ars naturalis brutorum », quae continet « typos quosdam seu imagines ..... ideas efficiendarum rerum ». — Unaquaeque species animalium suas proprias possidet imagines innatas, quae statim ac sensus externi perceperunt rem utilem vel nocivam, in conscientia animalis actu apparent atque excitant animal ad ponendum actus, necessarios ad conservationem individui et speciei. — Ita multi Veteres testibus Conimbric. (*Phys.*, lib. II, cap. 9, q. 4, a. 1).

Hanc theoriam tenent quoad substantiam *Maine de Biran*, *Rabier*, et praecipue *Cuvier*, qui « animalia — ait — habent in suo sensorio imagines et sensationes innatas, constantes vel periodicas, quae determinant ad agendum sicut sensationes ordinariae ..... Instinctus est quaedam species *somni* et *visionis*, quae persequitur semper animalia, ... quae consideranda sunt tamquam somnambula ». (*Règne animal*, Bruxelles, 1834, pag. 27).

Ad hanc sententiam accedit fere *P. Fröbes*, qui explicat instinctum per « *species innatas*, ex quibus excitari possunt cognitiones actuales, quae sint quasi idea exemplaris operis perficiendi » (*Psych. spec.*, I, pag. 34).

b) *Theoria associationis innatae sive* α) *imaginum sive* β) *affectuum*:

α) Theoria associationis innatae *imaginum*: perceptio facta ope sensus externi (v. g. famis, sitis, frigoris, etc.) excitat in sensibus internis animalis (praesertim in phantasia) imagines et quidem — propter organisationem specialem seu dispositionem *innatam* animalis — *imagines proprias* cuiusque speciei animalis; hae imagines repraesentant directe sive *motus* ab animali *ponendos* sive potius motus ab ipso iam *positos* (in vita extrauterina vel saltem uterina); motus hi, prouti nunc tamquam grati vel ingrati ab animali apprehenduntur, inclinant ad prosecutionem vel ad fugam. — Ita fere card. Mercier (*Psych.*, éd. IX, n. 127, pag. 296-300), P. Klimke S. I., P. Linworsky S. I., P. Wasmann S. I., Geyser, etc.

β) Theoria associationis innatae *affectuum*: sensationi *externae* — ut plurimum olfactioni — ratione specialis constitutionis organicae associantur certi *affectus* conversionis vel aversionis, qui motus accommodatos imperant. — Ita ovis avertit se a lupo, quia odori lupi percepto ab ove associatur in ove affectus ingratus. Lupus e contra prosequitur ovem, quia odor ovis est ei iucundus.

Ex recentioribus hanc sententiam tenent praecipue G. H. Schneider et Henri Joly.

III. *Instinctus est vis, quae naturaliter iudicat seu aestimat* (unde etiam nomen « vis aestimativae » !), quid animali conveniat, quid disconveniat, et per consequens appetitum animalis ad operandum determinat. Ita *Conimbricenses* (*Physicorum*, lib. II, c. 9, q. 14, a. 2) et *Joannes a S. Thoma* (*De Anima*, q. 8, a. 3). Citatur pro hac sententia *S. Thomas* (*S. Th.*, I p., q. 78, a. 4; q. 83, a. 1; *De Verit.*, q. 18, a. 7 ad 7). — Avis in certis adiunctis — ita rem explicant fautores huius sententiae — cum videt paleas, *iudicat* illas sibi utiles et ideo colligit eas.

IV. Sententia nostra exponetur in argumento

Probatur thesis.

Pars I. — Existit in animali bruto instinctus.

Actiones proprie instinctivae eae intelliguntur, quae 1) *eliciuntur a*) uniformiter ab omnibus individuis eiusdem speciei, *b*) sine deliberatione vel consultatione, *c*) sine praevia experientia et disciplina; 2) *sunt* obiective utiles.

A. Tales actiones, teste experientia, in animalibus brutis existunt.

E. Existunt in animali actiones proprie instinctivae proindeque etiam instinctus.

Ad min. 1) Avis semper appropinquante tempore verno construit nidum *a*) modo eodem ac construunt alia individua eiusdem speciei; *b*) construit sine deliberatione vel consultatione; *c*) sine praevia experientia vel disciplina. — Quod attinet *a*) et *b*), res patet ex observatione obvia. Quod spectat *c*), res hisce probatur:

α) non patet, quomodo *tam cito* ediscere possint animalia actiones saepe tam artificiales, dum homo eas longo tempore ediscere debeat;

β) si animalia ediscerent operationes instinctivas experientia vel disciplina, profecto non *eadem perfectione* perficerent eas initio vitae ac postea;

γ) etiam tunc, quando numquam parentes suos viderunt hasce operationes exequi (quia v. g. per totam vitam *sola* in captivitate tenebantur), exequuntur ipsa eas et quidem modo perfecto. Insecta (Coleoptera, Orthoptera, Neuroptera, Hymenoptera, Hemiptera, Diptera, Lepidoptera) non potuerunt *imitatione* parentum operationes instinctivas ediscere, quia eos nunquam viderant!

2) Hae operationes sunt *per se utiles* — etiam patet: nidus utilis est ad prolem mox procreandam, fovendam, educandam; nutrimentum ad conservationem individui, etc.

PARS II. — DE NATURA INSTINCTUS.

I. — ADMITTI NON POTEST SENTENTIA EVOLUTIONISTICA.

1. *Fundamentum* huius theoriae est *transformismus* absolutus. Porro trasformismus hic est falsus, ut alibi ostenditur.

2. *Suppositum*, ex quo argumentatio theoriae huius exit, scil. prima cuiusvis speciei individua fuisse *sine ullis instinctibus*, est:

a) *gratuitum*. — Nititur enim *hoc* facto, quod videl. arte humana vel variis adiunctis externis vitae, in quibus animalia vivunt, *quidam* instinctus animalium paulisper modificantur.

At ex *hoc* facto transire ad conclusionem tam *generalem*, qualem adversarii statuunt, est simpliciter peccare contra leges *inductionis*. Etenim α) modificationes, quae ita obtinentur, non sunt nisi mere *accidentales*. — Nullum *vestigium* modificationis tam *profundae*, qualem adversarii statuunt, *historiae* est notum. β) Possibilitas *transmissionis* hereditariae notarum ab individuo *acquisitarum* adhuc prabatione eget. (Eam vehementer negat Weismann). γ) Si initio potuerunt instinctus creari mera evolutione, cur hodie ita non oriuntur instinctus novi, arguit bene P. Janet (*Traité de philosophie*, pag. 39).

b) *impossibile*. Animal enim *omni instinctu orbatum* nec se nutrire nec se defendere, nec speciem suam conservare potuisset — ac proinde *perire* necessario *debuisset* (Ideo J. H. Fabre naturalista clarissimus vehementer hanc theoriam oppugnat).

3. quidam instinctus tantum semel in vita (immo nonnumquam in ipso puncto mortis), postquam *unica vice* ova iam ab animali deposita sunt, exercentur. Ergo non potuerunt generatione a parentibus posteris transmitti. — Insuper quomodo apes « operariae » instinctus suos trasmittere possent, cum non sint fecundae nec generent!

II. — Admittendae non videntur theoriae, quae reponunt instinctum A) in innatis imaginibus operum efficiendorum; B) in innata associatione imaginum; C) in innata associatione affectuum.

Ad *A*. — 1) Theoria haec ex una parte est summe *improbabilis* (quot imagines!), ex altera parte *non necessaria*, ut patebit ex nostra theoria. — 2) Aequo iure etiam *infantibus* adscribendae essent similes imagines innatae, nam « mamillas accipiunt et alia eis convenientia, etiam sine hoc, quod ab aliis doceantur » (*S. Th.* II, disp. 20, q. 2, a. 2 ad 5). — 3) In specie quod attinet theoriam, quae identificat instinctum cum statu somni, *a*) in animali observatur *duplex* status: somni et vigiliae apprime inter se diversus, *b*) operationes instinctivae intime dependent (saltem partialiter) a *perceptionibus actualibus consciis*, ut patet ex experientia (Ita v. g. lupus non aggreditur *quodcumque* ens vivens)!

Ad *B.* — Fere eaedem rationes valent contra theoriam *innatae associationis imaginum.* Sed insuper: 1) non apparet, quomodo imagines excitatae ope innatae associationis possint repraesentare actus, quos animal « *debet ponere* ». Nonne enim ita cognitio sensitiva attingeret *futurum* (etenim actus, quem animal « debet ponere », *nondum* existit!); 2) non bene patet, quomodo motus elementares, quos animal in vita embryonali posuit, possent sufficere ad dirigendum animal in constructionibus saepe *tam mirabilium* operum.

Ad *C.* — 1) Haec theoria ad summum quidem explicaret *quasdam* operationes instinctivas *simpliciores* v. g. factum quod animal non comedit plantam eius vitae periculosam. Sed non reddit rationem operationum, quae saepe adeo sunt complicatae. Ita, ut alia omittamus, quomodo sensatio externa v. g. olfactiva potest api suggerere formam hexagonalem cellulae vel castori artem architectonicam tam perfectam? 2) Ovis statim ac sensit odorem lupi manifestat *terrorem* (et fugam arripit). Sed terror, nisi velimus prorsus verbis abuti, supponit aliquam tandem perceptionem *mali imminentis*, quam, ut patet, generare non potuit *affectus iniucunditatis* annexus odori. Certe olfacit ovis in suo cubili res non minus male odorantes, videt res multo minus pulchras et tamen non excitatur ad *terrorem*! Ut factum hoc explices, debes affectui iucunditatis vel iniucunditatis adscribere proprietatem *percipiendi periculum imminens.* Sed hoc faciendo, ipsam notionem affectus, qua talis, pessumdas, ut patet, et problema de natura instinctus de novo instauras, nam explicandum remanet: quomodo perceptio rationis insensatae (v. g. periculi imminentis) possit fieri a sensu externo.

III. — Theoria, quae, ut explicet operationes instinctivas, ad « iudicia naturalia » recurrit, non videtur admittenda.

Quidnam sint haec iudicia et quomodo ab animali formari possint vel prorsus a fautoribus huius theoriae reticetur (ita plurimi!) vel ita describuntur, ut eis attribuatur munus proprium *intellectus*; vis enim aestimativa dicitur « ad occursum rei sensibilis, utendo sensu communi et imaginatione, excudere *virtute nativa* formas, seu species intentionum insensatarum, *nocivitatis*, *utilitatis*, etc., quas *componit*,

copulat vel partitur ». (P. Hugon, *Biol. et Psych.*, p. II, 1905, pag. 257). Insuper, ut facultas sensitiva possit excudere species intentionales *propria* virtute, admitti deberet, nt patet, *sensus agens* ad similitudinem intellectus agentis et quidem — quod adhuc rem multo aggravat — sensus agens *in seipsum.*

IV. — Sententia nostra.

Proponetur et explicabitur per passus.

1. Unaquaeque *species* animalium, ut communiter notum est ex experientia, *possidet propriam structuram organicam* (v. g. speciales dentes, specialem apparatum digestionis, specialia membra defensiva, etc., etc.).

Pro diversa structura organica animalium, *diversus* etiam proportionaliter debet esse *modus vivendi* eorum (v. g. unum animal nutriri debebit carne, aliud herba, unum defendere se debebit cornibus aliud unguibus vel dentibus et ita porro). Ut hoc obtineat, unumquodque animal instructum esse debet *diversis appetitibus sibi propriis*, quae ipsum efficaciter inclinent ad exercendas operationes, quae utiles sunt ei ratione habita *eius organisationis* specificae.

Complexus praecise *horum appetituum* comprehenditur nomine *generali* « instinctus » (I^{us} sensus vocis: instinctus).

2. Sed appetitus sensitivus, qua talis, non est nisi modus proprius, quo ens sensibilitate praeditum *immanenter reagit* ad impressiones sensibus receptas, ut infra explicabitur. Quare etiam appetitus, qui nomine communi « instinctus » comprehenduntur, debent in *proportionata cognitione* fundari.

Haec cognitio — radix appetituum instinctivorum — designatur nomine *proprio* « instinctus ».

3. Ut inveniamus *naturam* propriam hujus *cognitionis*, quaerendum est, quomodo ratio « utilitatis » — quae, ut patet, sensu *externo* percipi non potest ideoque merito « ratio insensata » vocatur — percipiatur ab *animali?* Quomodo — ut rem exemplis statim explicemus — percipitur a lupo ratio utilitatis in ove relucens? Rs. Percipitur sub ratione *nutrimenti apti.* Ovis videlicet vi ipsius suae *proportionis (relationis)*, quam *ontologice* habet ad lupum in ratione *nutrimenti*

apti, percipitur a lupo tamquam « bonum » seu « appetibile », quod deinde excitat in lupo desiderium comedendi eam.

At quomodo haec *relatio, quam habet ovis ad lupum in ratione nutrimenti apti*, percipi potest a lupo *antecedenter ad primam* experientiam comedendi ovem? Rs. Eo ipso quod a sensu *communi* lupi percipitur ovis tamquam *similis* rebus, quibus nutriri consuevit lupus (lupus minime tendit ad *solam* ovem!).

Sed ita problema nostrum de « instinctu » animalium sponte reducitur ad problema generalius et prorsus fundamentale in re nostra: quomodo *prima vice* excitatus est in lupo appetitus ad quaerendum *qualecumque nutrimentum aptum.*

4. Problema hoc adaequate solvi non potest dicendo simpliciter: dum prima vice lupo parvulo administrata est ab aliis caro ad comedendum, *expertus est* lupus parvulus eam esse delectabilem. Plures enim dantur casus, qui hoc modo evidenter explicari non possunt. Talis est v. g. casus avis, quae etsi *sola* semper vixerit, appropinquante tempore verno construit nidum et quidem similem nidis, qui ab aliis individuis *eiusdem* speciei construi consueverunt, et qui saepe sat artificiosi sunt. Quomodo tunc excitatur appetitus ad faciendum nidum talem?

Rs. Tempore verno sub influxu stimulorum externorum internus metabolismus *organicus* avis profundam *patitur* modificationem in ordine ad procreandam prolem. *Haec modificatio* (causata directe praecipue praepotenti influxu glandularum « indocrinicarnm », hormonum etc.) bene *sentitur* ab animali sensu tactus, pressionis, caloris, temperaturae, etc. Hae *sensationes* percipiuntur a sensu *communi* et mechanismo psychologico alibi descripto excitant appetitum ad perficiendam seriem operum. — At quaenam praecise series *operum externorum* perfici debeat, haec omnia avis ipsa minime scit *a priori;* in operibus enim externis perficiendis manuducitur non imaginibus *operis* sed imaginibus *operationum*, quae *hic et nunc* passiones (inclinationes) eius (ortas ex sensationibus, de quibus modo diximus) sedant.

5. At quaeres: Unde imagines ipsarum *operationum* avi veniunt? Rs. Eo ipso, quod oritur in animali sensatio ingrata (resp. grata), excitatur desiderium seu appetitus (ut infra doce-

bitur). Porro desiderium ortum, cum sit operatio psychophysica, *naturaliter* et fataliter applicat ad agendum facultates *motrices*, quin sit necessarium pontem ordinis intentionalis inter appetitum et facultatem motricem adstruere, ut alibi ex professo explicabitur. — Animal, libero arbitrio privatum executioni mandat fidelissimae et accuratissimae, quidquid sensatio ei obtulerit.

At dices: Quomodo tam *mirabilia* opera perficere poterit animal, si non habet *species operum* perficiendorum valde accuratas? Rs. Sufficit ad hoc abundanter, ut animal habeat « valde accuratas » species *operationum*. Porro eas habet eo ipso, quod habet *accurata desideria* orta accurate perceptis *sensationibus metabolismi proprii corporis*.

6. Theoria nostra explicaret nobis, cur animal sit *incapax corrigendi* laborem iam *factum* (v. g. apis continuo pergit inutiliter immittere mel in cellulam, cujus fundum perforavimus). Reapse enim ipsum intendit non *opus*, sed *operationes* i. e. *motus corporis* sui tantum et *horum* tantum *conscientiam* habet; quo fit, ut tantum illa obstacula vincat, quae in *ipso actu operationis* api ponuntur.

7. Sententia nostra in idea sua *generali* videtur non esse nisi accuratior explicatio verborum S. Thomae: « in operatione [formicae et apis] plurimum prudentiae apparet. Sed sciendum est, quod opera prudentiae, formica et apis operantur naturali inclinatione, non ex hoc, quod habeant phantasiam determinatam et distinctam a sensu: non enim phantasiantur aliquid, nisi dum moventur a sensibili. Quod autem operantur propter finem, quasi providentes in futurum, non contingit ex hoc, quod habeant aliquam imaginationem ipsius futuri; sed imaginantur *actus praesentes*, qui ordinantur ad finem ex naturali inclinatione magis quam ex apprehensione ». (In Aristotelis librum *de Anima*, Comment., lib. III, lect. V, n. 644).

Schol. I. — De instinctu in homine.

1. Quidam censent hominem per hoc praecipue differre ab animali bruto, quod *non habeat instinctus*. Quod verum non est; etiam homo habet instinctus; apparens defectus instinctuum debetur facto, quod homo praeditus intellectu

exercet constanter censuram supra appetitus suos naturales eosque in servitium redigit finibus superioribus ethicis et socialibus intellectu apprehensis.

Quo fit, ut operationes instinctivae paulatim perdant suum characterem brutalitatis, quem plene possident in animali bruto, ac faciliter confundi possint cum exercitio *habituum acquisitorum.*

2. Quae cum ita sint, instinctus nonnisi in iis plene apparent, qui pleno usu intellectus non gaudent: in imbecillibus et hominibus variis morbis mentalibus affectis, sed *imprimis in infantibus normalibus* (In imbecillibus et mente captis instinctus conservationis speciei et conservationis individui apparent saepe in forma anormali *traumatica* — in infante normali e contra manifestantur in *naturali* puritate).

Ita observari possunt instinctus: succionis, deglutiendi, sedendi, se tenendi modo recto, currendi et instinctus « gregarius » seu impulsus vivendi cum aliis hominibus, instinctus timoris (si audiuntur ex improviso soni fortes vel si conspiciuntur homines ignoti), instinctus maternus, etc. etc.

3. *Leges instinctuum*: *a*) Lex « caducitatis instinctuum »: multi instinctus, qui in infante aderant, disparent in adulto propter solam rationem *evolutionis* eius organismi vel propter « censuram » moralem. *b*) Lex « individualisationis instinctuum »: instinctus, qui in determinato aliquo obiecto invenerunt semel satisfactionem suam plenam, perdunt saepe impulsionem spontaneam ad alia obiecta eiusdem speciei; unde amor exclusivus loci, sympathiae irrationales personarum et actionum, in quibus exercuit se *piima vice* instinctus. Haec lex (« lex individualisationis instinctuum ») debetur initiis *tendentiae acquisitae*, quae per exercitium instinctus instinctui accessit. *c*) Lex « prolongationis » instinctuum: si haec initia tendentiae acquisitae formata sunt in aetate, in qua instinctus erat *fortissimus*, in tali casu *tendentia acquisita* potest vivere per longum tempus post disparitionem instinctus et eius reactiones prolongare. *d*) Lex « contrarietatis » instinctuum: instinctus unus minuitur usque ad disparitionem fere totalem non tantum per censuram intellectualem, sed etiam saepe per ipsum factum evolvendi *instinctuum contrariorum.*

THESIS XVI.

Non est deneganda animalibus brutis memoria proprie dicta.

1. Notio memoriae. — 1. Memoria definiri *generatim* solet: *vis apprehendendi praeteritum, qua tale.* Quae definitio tamen non ita intelligenda est ac si memoria apprehenderet illas tantummodo res, quae ita praeterierunt, ut non iam amplius *obiective* existerent, sed quae praeterierunt in *cognitione*; ac proinde *strictius* definiri potest memoria: *vis recognoscendi cognita, prout iam olim cognita.*

2. Cum id, quod olim *cognoscebatur*, non possit hic et nunc a subiecto *recognosci*, nisi in subiecto iterum praesens fiat ipsa *species,* ope cuius olim a subiecto cognoscebatur, clare exinde liquet inter *memoriam* et *phantasiam* relationem strictam existere. — Differentia praecipua inter utramque reducitur ad hoc, quod phantasia respicit imagines reproductas (phantasmata) *secundum se* seu sistit *simpliciter in eo, quod* imagines repraesentant, memoria vero respicit phantasmata *secundum quod sunt similitudines* rerum tempore praeterito iam apprehensarum.

2. Potestne similitudo et praeteritum, de quibus sermo, sensu attingi. — I. Non desunt, qui *negative* huic quaestioni respondent ac proinde asserunt memoriam esse *solius* intellectus. Sensus — aiunt — cognoscit quidem *id, quod est simile* rei praeteritae, sed *nullo* modo attingit *formalem rationem* sive similitudinis sive praeteriti (temporis). — Si igitur patronis huius sententiae credis (v. g. Suarez lib. IV, cap. 10, n. 4), animali convenit memoria *sensu* tantum improprio dicta, illa videl., quae consistit « in eo, quod sentiens apprehendens aliquid phantastice et aliud simul sensu aliquo externo, sentit sensationem phantasticam *non esse* sensationem praesentem » (P. Palmieri, Romae, 1876, pag. 324: 556–558), quin *ullo* modo attingat in operationibus suis praeteritis ipsam rationem praeteriti seu temporis.

II. Alii — quorum theoriam vindicandam suscipit thesis praesens — e contra putant animalibus — si non omnibus, saltem *superioribus* — memoriam proprie dictam non esse

denegandam; immo non sine fundamento asseri posse cum S. Thoma memoriam *per se* non esse nisi solius facultatis *sensitivae*, proindeque nos nonnisi sensibilium memorari per se; in *intellectu* vero non dari memoriam nisi *per accidens*, ac proinde nos intelligibilia, ut praeterita, apprehendere, in quantum apprehendimus, *ut praeteritam illam imaginem sensitivam*, quae cognitionem intelligibilem antea comitata est.

3. Methodus procedendi. — Rem nostram perficiemus duplici passu.

In I° ostendemus animalia certo gaudere memoria saltem improprie seu late dicta.

In II° monstrabimus etiam memoriam stricte dictam ipsis non esse denegandam. — Quia autem ratio praecipua ad negandam animalibus memoriam stricte dictam inde praecise petatur, quod memoria haec dicatur necessario involvere cognitionem abstractam seu intellectualem, operae pretium erit hic breviter innuere, quomodo ope speciei olim habitae et momento praesenti resuscitatae (phantasmatis) possit ens solis facultatibus sensitivis instructum *rationem praeteriti cognoscere* ac — modo saltem vago et imperfecto — *aestimare temporis intervallum*, quo apprehensio olim habita et apprehensio praesens a se invicem separantur.

Tempus — ut notum est ex Aristotele — non est nisi numerus *motus* secundum prius et posterius (Vide optimam analysim huius notionis in Cosmologia P. Hoenen, Romae, 1931, pag. 252-276). Proindeque *aestimare* tempus inter duas apprehensiones non est quidquam aliud, nisi *mensurare* fluxum continuum rationuum « prioris et posterioris » in motu, qui intercessit inter utramque apprehensionem.

At quomodo potest animal, intellectu carens, *mensurationem* perficere? Nonne mensuratio videtur involvere notionem « mensurae », qua talis — hinc cognitionem relationis et per consequens etiam facultatem intellectualem?

Ut intelligatur, quomodo mensuratio possit esse opus facultatum sensitivarum, adverte subiectum sentiens *successive affici variis sensationibus*, quae iure merito assimilantur *motui continuo*, quo movetur ipsum animal.

Motum hunc animal — cum sit sensu *communi* praeditum — certo percipere potest. Sed percipiendo eum, format sibi eo ipso *speciem* intentionalem eius.

Dum in *hac* specie animal inspicit aliquem particularem eventum, videt ipsum ut *initium* fluxus affectionum, qui istum eventum iungit cum sensatione actuali.

Et generatim loquendo, quotienscumque species alicuius determinatae *sensationis* antea habitae reproducitur in animali ope phantasiae, expergefieri potest — propter associationem imaginum (legem contiguitatis imaginum) — etiam species *fluxus* sensationum, quae sensationem illam *successive* secutae sunt. Ope huiusce speciei percipit animal sensationem reproductam esse separatam a sensatione praesenti per certam *successionem eventuum.* — En quomodo concrete quidem at formaliter animal attingeret sensationem a phantasia reproductam tamquam praeteritam; et quomodo imperfectissime et vage quidem, attamen vere animal tempus mensurare posset.

Probatur thesis.

I. Passus. *Animalia certo gaudent memoria saltem late dicta.*

Arg. — Aves ad nidos suos etiam e longinquo redeunt; pecora sua cubilia usitata repetunt eaque ab aliis aeque aptis bene distinguunt; insuper plura animalia monstrant signis certis se esse memores iniuriarum et beneficiorum olim receptorum; recognoscunt suum dominum; sunt culturae capacia; bene ediscunt nova sibi utilia; propter experientiam a se factam melius evitant in futurum periculum; similia in similibus occasionibus expectant etc. (Cf. Suarez, *De Anima*, lib. III, cap. 31, n. 2–4).

II. Passus. *Memoria stricte dicta animalibus non videtur esse deneganda.*

Arg. 1. Qui percipit successionem in motu, percipit tempus.

A. Animal percipit successionem in motu.

Ergo animal percipit tempus.

Mai. patet e Cosmologia, ubi notio temporis Aristotelica stabilitur.

Ad min.: Differentia inter duas series actionum tales ut: « x y z » et « y z x » consistit in sola *successione* (seu ratione prioris et posterioris) in motu.

A. animal percipit hanc differentiam. *E.*

Min. ultim. patet ex experientia: animal enim potest addiscere, ut ad diversas hasce series diversas det reactiones appropriatas.

2. Animali convenit sine dubio perceptio distantiae localis.

A. Cui convenit perceptio distantiae localis, non est deneganda ei — nisi contrarium invicte probetur — etiam perceptio temporalis.

E. Animali non est deneganda — nisi contrarium invicte probetur — etiam perceptio temporalis.

Ad min.: Perceptio distantiae *temporalis* non videtur esse essentialiter altior, quam perceptio distantiae *localis.* Sicut perceptio distantiae localis habetur eo, quod perceptioni rei distantis adiungitur perceptio (saltem confusa) obiectorum, quae intersunt inter rem distantem et subiectum percipiens, ita etiam, ut percipiatur (modo concreto) res aliqua *ut prior* per respectum ad alias, requiritur et sufficit, ut perceptioni huiusce rei adiungatur perceptio (saltem confusa) seriei actionum, quae *successerunt* ei.

SCHOL. I. — QUOMODO MEMORIA SIT IN SENSU ET QUOMODO IN INTELLECTU.

Memoria, prout dicit cognitionem praeteriti, ut praeteriti, est *per se* in parte *sensitiva* et *per accidens* tantum in parte *intellectiva.* « Cognoscere [enim]... *praeteritum ut praeteritum*, est eius, cuius est cognoscere *praesens ut praesens*, vel nunc ut nunc; hoc autem est sensus. Sicut enim intellectus non cognoscit singulare ut est hoc, sed secundum communem rationem, ut inquantum est homo vel albus vel etiam particulare, non inquantum est hic homo vel particulare hoc: ita etiam intellectus cognoscit praesens et praeteritum non in quantum est nunc et hoc praeteritum. Unde, cum memoria secundum propriam sui acceptionem respiciat ad id, quod est praeteritum respectu *hujus nunc*, constat quod memoria, proprie loquendo, non est in parte intellectiva, sed sensitiva tantum, ut Philosophus probat ». (S. Th., *Quaest. disp., De Verit.*, q. 10, a. 2, c. Cf. Aristot. *De Sensu et De Memoria*, 1, 450 a 14: ἡ δὲ μνήμη καὶ ἡ τῶν νοητῶν οὐκ ἄνευ φαντάσματός ἐστιν; 450 a 15, 16; 1, 451 a 16-19).

Si tamen per memoriam intelligimus — sensu *latiori* — meram *recognitionem* speciei ante habitae, memoria etiam *parti intellectivae* adscribenda est. Nam intellectus non tantum intelligit suum obiectum («intelligibile»), sed etiam intelligit se intelligere hoc obiectum. Quare si species intelligibilis reproducitur, cognoscit subiectum *se iam hanc rem cognovisse.* Dum autem huic cognitioni adiungitur in parte sensitiva imago particularis, *figens* speciem intellectivam in aliquo *puncto praeteriti*, intellectu cognoscit homo praeteritum, qua tale.

Theoria haec tota, ut patet, supponit, quod data occasione probabimus, intellectum non cognoscere *singularia materialia directe* sed indirecte tantum (per accidens).

Scholion II. — De reminiscentia.

Reminiscentia (ἀνάμνησις) consistit in hoc, quod ope cuiusdam *discursus* adhibiti, (regulae mnemoneticae), ex uno memorato cuius recordamur transimus ad id, cuius non bene recordamur. (Cfr. Aristot., *De Sensu et De Memoria.* 2, 453, a. 6-12; *De An.* I, 4, 408 b 17-18; S. Thom., *De memoria et reminisc.*, lect. V).

Reminiscentia involvit in sua notione 1) transitum ex *imagine* actu praesenti ad imaginem obliteratam; 2) *ratiocinium* proprie dictum. Involvit igitur essentialiter duplicem operationem: sensitivam et intellectivam; sensitivam, quatenus dicit transitum ab una *imagine* ad aliam — et sub hoc respectu non differt omnino a memoria simplici; intellectivam, quatenus dicit electionem liberam mediorum ad finem i. e. ad inveniendum phantasma obliteratum seu illud, quod memoria actuali excidit.

Schol. III. — De distinctione sensuum internorum.

1. *Conspectus historicus.* — Secundum *Aristotelem* sensus interni videntur distingui inter se non realiter sed *ratione* tantum, tamquam videl. diversa *munera* unius eiusdemque *sensus communis.* Nam phantasia et memoria expresse dicuntur «passiones sensus communis». *De Sensu et de Memoria*, 450 a 11-12: τὸ φάντασμα τῆς κοινῆς αἰσθήσεως πάθος ἐστίν; 450 a 24-25: τίνος μὲν οὖν τῶν τῆς ψυχῆς ἐστιν ἡ μνήμη, φανερόν, ὅτι οὗπερ καὶ ἡ φαντασία. — Etiam instinctum seu

aestimativam esse functionem sensus communis, facile eruitur ex eius doctrina de sensu communi (cf. passim *De Sensu et Mem., De Anima*).

Secundum *Avicennam* dantur 4 sensus interni realiter a se invicem distincti (in 4 diversis cerebri partibus collocati).

B. Albertus Magnus et S. Bonaventura 5 sensus internos recensuerunt, cum distinxerant facultatem phantasiae in duas facultates irreductibiles: phantasiam proprie dictam et imaginationem; haec ultima species habitas ad imagines omnino *novas construendas associat.*

S. Thomas sententiam Avicennae est amplexus atque 4 sensus re distinctos defendit (S. Th., I, p., q. 78, a. 4).

Toletus 3 sensus internos agnoscit (phantasiam et aestimativam in unam facultatem coniunxit).

Tandem Suarez considerat sensus internos tamquam diversa munera unius eiusdemque facultatis sensus interni, seu quod in idem redit, admittit 4 sensus non re sed *virtualiter* tantum *distinctos*. (Cf. *De Anima*, lib. III, cap. 30, n. 11).

Scholastici recentiores communius vel sententiam Suarezii sequuntur (de Backer, Fröbes etc.) vel a solvenda hac quaestione utpote « parvi momenti » simpliciter abstinent. (Ita v. g. card. Mercier, *Psychol.*, n. 97; éd. IX, 1912, pag. 235).

2. Nostra quidem opinione *non dantur* argumenta convincentia ad distinctionem realem sensuum internorum asserendam, ut facile patet consideranti tum theorias singulorum sensuum internorum, quas nos dedimus, tum relationem eorum ad sensum communem propriis locis a nobis assertam (in specie ad perceptionem operationum subiecti agentis, ad iudicium ac reflexionem eius virtualem, ad discriminationem et ita porro). Sufficit distinctio *rationis ratiocinatae seu virtualis.*

OBIECTIONES

1) *Ut cognoscatur aliquid tamquam praeteritum, cognosci debet etiam tempus, ut ipse iam Aristoteles bene animadvertit* (De Sensu et de Memoria 449 b 31).

A. Ab animali non potest cognosci tempus.

E. Ab animali non potest cognosci aliquid tamquam praeteritum.

Rs. Dst. Mai.: ... cognosci debet etiam tempus ut *affixum sensationibus*, quas animal expertum est C.... cognosci debet etiam ne-

cessario tempus secundum suam *rationem* (*essentiam*) *metaphysicam* (abstractam) N.

Exlp. Sensus cognoscit tempus *modo concreto*, prouti in successione sensationum involvitur; minime autem cognoscitur *modo abstracto* eius secundum quod consideratur sola *forma* (*essentia, natura*) tempor *abstracta*.

2) *Si sensus apprehendit praeteritum, apprehendit etiam carentias et negationes seu entia rationis.*

A. Apprehendere carentias et negationes seu entia rationis est exercere operationem intellectualem.

E. Si sensus apprehendit praeteritum, exercet etiam eo ipso operationem intellectualem.

Prob. Mai. — *Qui cognoscit praeteritum, cognoscit illud iam non esse praesens.*

Dst. Mai.... apprehendit etiam carentias et negationes seu entia rationis *secundum id, quod* hae carentiae continent *positivi* C. formaliter *secundum id*, quod hae carentiae continent *negativi* N.

Ctdst. Min. N. cons.

Ad Probat. Qui cognoscit praeteritum, cognoscit illud iam non esse praesens Dst. Et hoc cognoscit secundum id quod praeteritum habet *positivi* C., formaliter secundum id, quod praeteritum habet *negativi* N.

Expl. *a*) Si obiecto quid valet, nimis valet. Nam eodem iure, ut patet, affirmandum esset sensum non attingere *terminos* quantitatis (superficies voluminis, puncta, quibus linea terminatur). Nam terminus quantitatis *formaliter* spectatus includit etiam quandam *carentiam*, videlicet carentiam ulterioris extensionis.

b) Positivum, quod in notione rei praeteritae invenitur, est: perceptionem hanc iam *habitam esse* et quidem in successiva serie *ante alias* perceptiones.

Negativum vero est: postea perceptionem hanc *non perdurasse* tempore toto.

Memoria sensitiva percipit elementum positivum; non vero elementum negativum. Sed nec perceptio huiusce ultimi elementi est necessaria ad hoc, ut habeatur cognitio *concreta* et *imperfecta* praeteriti, qua talis. (Noli confundere « indirectam » cognitionem praeteriti, quam intellectui adscripsimus, cum cognitione praeteriti « imperfecta », quam solam sensui attribuimus).

3) *Ut facultas cognoscat praeteritum, qua tale, cognoscere debet etiam identitatem inter sensationem praesentem et sensationem olim habitam.*

A. Cognoscere identitatem est solius intellectus — cum identitas sit relatio. E.

Dst. Mai.... cognoscere debet etiam identitatem... saltem modo concreto, quatenus percipitur successio sensationum ab illa, quae rememorari dicitur, usque ad praesentem C., necessario per modum *compositionis* seu iudicii vel per apprehensionem abstractam N.

Ctdst. Min. N. cons.

4) *Si sensus «recognoscit», exercet «reflexionem».*
A. Exercere «reflexionem» est actus intellectus. E.

Rs. Dst.... exercet reflexionem *formalem* N. *virtualem* (qualem iam sensui communi adscripsimus). C.

5) *Si sensui tribuitur cognitio praeteriti, tribui ei potest etiam cognitio futuri.*
A. Cognitio futuri solius est intellectus. E.

Dst atntc. Si sensui tribuitur cognitio praeteriti modo abstracto, tribui... Trans. Si sensui tribuitur cognitio praeteriti *modo concreto*, tribui ei potest etiam cognitio futuri, Sdst. cognitio futuri sensu *lato* dicta C. cognitio futuri sensu *stricto* dicta N.

Expl. — Cum cognitio *abstracta* fiat ope principiorum universalium, non potest restringi ad cognoscenda facta determinati tantum temporis intervalli, puta praesentis vel praeteriti, sed ex se etiam ad facta futura extendere se potest atque ea *aliqua* tandem ratione attingere valet.

At sensus nihil prorsus cognoscit *abstracte* sed tantum *concrete*, ut iam antea explicavimus; quare attingere quidem vere potest *praeteritum* — quia in imagine successivarum sensationum a se *habitarum* reapse praesentatur ei tempus effluxum — sed attingere nequit futurum *stricte* tale, cum nulla *imago sensitiva* exhibere possit animali iam *in praesenti* eventum, qui demum in futuro locum habebit.

Sensui adscribi potest tantum cognitio futuri *late* dicti: animal (vel infans) «expectant», «praevident» eventum futurum propter *associationem* imaginum, quae ipsis sensationem, quae nondum existit, sed mox extitura est, iam in imagine actuali repraesentat.

Saepe «expectatio», «praevisio», de quibus est sermo, reducitur ad simplicem *appetitum*; excitatur sive aliqua sensatione externa actuali sive habitu acquisito v. g. habitu comendendi in determinatis adiunctis, quorum iam realisationem *partialem* animal (infans) conspicit.

THESIS XVII.

Existit in animali appetitus, qui est facultas organica realiter a vi cognoscitiva distincta.

1. Notio appetitus naturalis et appetitus eliciti. — Scholastici distinguunt communiter duplicem appetitum: *naturalem* seu innatum et *elicitum*. — « Appetitus *naturalis* — ait Suarez — dicitur quaelibet propensio cuiusvis rei in suum proprium bonum; quae propensio non est *proprie* appetitus, sed metaphorice; neque est specialis potentia, neque fit per actionem ipsius appetentis, sed est coaptatio naturalis, quam quaeque res habet cum ea, ad quam ordinatur... [ordinatio seu relatio transcendentalis ad perfectionem sibi convenientem]. Unde talis appetitus non supponit cognitionem, nec fit ab ipso appetente, sed illi datur a natura, et ad proprium commodum tendit» (*De An.* lib. V, c. 1. n. 1). — Ita materia ordinatur ad formam, potentia omnis ad suum actum et ad suum obiectum, omnis tandem res ad activitatem suam specificam. — Appetitus innatus igitur non est *facultas* sensu proprio; non enim potest *per se* ipsam exercere ullum actum *distinctum* ab actibus omnium aliarum facultatum.

« Praeter appetitum naturalem est — pergit Suarez — in re qualibet *cognoscente specialis potentia* animae, per quam actu sibi proprio vitaliter appetit». (*l. cit.*, n. 2). Vocatur appetitus *elicitus*, quia facultate *speciali* ab ente vivente elicitur.

Dum appetitus naturalis est « inclinatio sequens formam *naturalem* », appetitus elicitus est « inclinatio sequens formam *apprehensam* », seu est inclinatio (tendentia) in illud obiectum, quod per cognitionem intentionaliter in cognoscente adest.

Cum obiectum, ad quod ens aliquod tendit, vocetur bonum, appetitus elicitus definiri potest: *tendentia vitalis in bonum cognitione apprehensum.*

Solus appetitus elicitus est *appetitus proprie dictus*, cum nomen « appetitus » stricte talis involvat quandum « tenden-

tiam » in rem *apprehensam* tamquam *finem.* — Apprehensio finis, de qua est sermo, potest esse *perfecta* vel *imperfecta* tantum. Imperfecta apprehensio finis est, qua apprehenditur quidem res, *quae* est finis, sed non apprehenditur ipsa formalis *ratio finis* nec proportio alicuius rei ad finem tamquam *medii.* Perfecta vero cognitio finis habetur, si apprehenditur non solum res, *quae* est finis, sed etiam ipsa formalis ratio finis. — Appetitus, qui sequitur cognitionem finis imperfectam, vocatur *appetitus sensitivus*; qui vero sequitur cognitionem finis perfectam, appetitus *rationalis* nuncupatur.

2. Appetitum *sensitivum inesse* viventibus cognitione praeditis ab omnibus tenetur. — Sed controvertitur inter Modernos, utrum realiter distinguatur a cognitione sensitiva necne, et utrum sit potentia organica an inorganica.

3. *Thesis habet tres partes:* I. Existit in animali appetitus.
II. Appetitus realiter differt a facultate cognoscitiva.
III. Appetitus est facultas organica.

Probatur thesis.

Pars I. — Existit in animali appetitus.

Arg. In animalibus brutis observantur gaudium, ira, timor, aliaque idgenus, quo fit, ut animalia cum impetu ferantur in ea, quae ipsa delectant, et simili aversione fugiant ea, quae ipsa dolore afficiunt.

Ergo inest animalibus brutis appetitus sensitivus.

Mai. patet ex experientia obvia.

Consequentia probatur ex *analogia* cum homine. (Cfr. th., IV pag. 36-40).

Confirm. Animalia, ut in vita conserventur, debent sibi nutrimentum aptum quaerere. Ergo debent esse instructa appetitu sensitivo. —

Prob. consequentia: Ut animal nutrimentum aptum sibi quaerat, debet ipsum tamquam *sibi bonum* cognoscere; porro cum non habeat intellectum, debet ipsum tamquam sibi bonum cognoscere *sensatione.* Sed cognoscere bonum sensatione est *sentire* ipsum esse delectabile (e contra cognoscere *malum* per sensationem est sentire ipsum esse doloriferum). — Porro

ens sentiens delectationem (et dolorem), debet necessario esse ornatum *facultate*, qua possit modo convenienti vitaliter *prosequi* bonum suum a se intentionaliter apprehensum; ens prorsus *indifferens* erga bonum et malum *suum* proprium nec quaererat bonum nec vitaret malum et ita necessario *periret*. Porro, ut ens vitaliter *prosequatur* bonum suum a se apprehensum, debet (natura prius) in hoc bonum vitaliter *esse inclinatum* seu ipsum « appetere ».

Pars II. — Appetitus realiter differt a facultate cognoscitiva.

Arg. — Facultas, cuius obiectum formale differt ab obiecto formali alterius facultatis, realiter ab ea distinguitur.

A. Obiectum formale facultatis appetitivae differt ab obiecto formali facultatis cognoscitivae.

E. Facultas appetitiva realiter distinguitur a facultate cognoscitiva.

Ad Minor.: 1. Facultas cognoscitiva tendit ad *percipiendum* obiectum; aliis verbis, tendit ad obiectum in se ponendum secundum *esse intentionale*. Appetitus autem tendit in obiectum *possidendum* seu ad se illi coniungendum secundum *esse physicum*.

2. Dum in cognitione apparet character essentialiter *obiectivus*, in appetitu alucet character eminenter *subiectivus* adeo, ut appetitus evidenter non sit nisi quidam modus specialis, quo subiectum ad res cognitione perceptas vitaliter ac *immanenter reagit*.

3. Dum perceptio, teste conscientia, consistit in quodam processu « afferenti », quo videl. res in nos affertur (quod non fit sine quadam *passione*), appetitus consistit in quodam processu potius « efferenti », quo videl. nos ad rem imus (ideoque magis *activitatem nostram* sentimus).

Pars III. — Appetitus est facultas organica.

Arg. — Appetitus sensitivus non est essentialiter altioris perfectionis, quam cognitio sensitiva.

A. Cognitio sensitiva est organica.

Ergo et appetitus sensitivus.

Ad Mai. Appetitus sensitivus attingit prorsus *eadem obiecta* ac cognitio sensitiva — ad illa *sola* obiecta, quae sensu cognovit, scil. *sensibilia, materialia* animal vitali appetitu tendit.

Insuper tendit ad ea non *sub ratione* aliqua *immateriali*, sed materiali; nam tendit ad ea sub ratione apprehensa a cognitione sensitiva, qua tali. Proindeque etiam *obiectum formale* appetitus sensitivi est *materiale.*

Verum quidem est cognitionem et appetitionem differe inter se quoad *modum*: attamen hic modus, licet arguat specificam diversitatem facultatum, minime involvit essentialem superioritatem appetitionis sensitivae supra cognitionem sensitivam.

Schol. I. — De organo appetitus sensitivi.

1. Multi post Aristotelem putarunt *cor* esse proprium organum appetitus sensitivi. Rationes autem principales eorum erant:

1. Illa pars organismi est organum proprium *appetitus*, quae est primum *principium motus* in animali.

A. Primum *principium motus* in animali est cor.

E. Cor est organum proprium appetitus sensitivi.

Crisis: Si admitteremus principium, quod in Maiori enuntiatur, tamquam verum, tunc praecise neganda esset conclusio argumenti. Nam hodie scimus optime non cor (ut falso asseritur in Minori), sed *systema cerebro-spinale* esse primum principium motus in animali.

2. Dum actus *appetitivos* experimur, experimur simul certas modificationes in *corde.*

Crisis: Sensus intimus, qui clare nobis *existentiam* actuum appetitivorum testatur, minime nobis *sedem* eorum indicat. — Ut valor responsi nostri plene percipiatur, liceat nobis comparare secum appetitum et sensationem externam: modificatio *sensibilis*, quam v. g. in manu apprehendo, *constituit* ipsam sensationem externam — ut alibi probavimus, — ac proinde etiam *sedem* sensationis indicat. At modificatio, quae in corde adest — dum aliquid appetimus — non exhibetur a sensu intimo tamquam *constituens formalem appetitionem.*

2. Rationes, quae *positive* suadent rem nostram, hae sunt praecipue:

Appetitus sensitivus, utpote facultas consequens cognitionem sensitivam (praesertim cognitionem sensuum internorum: sensus communis, phantasiae, memoriae et aestimativae), ibi proprium organum habere dicendus est, ubi adest centrum omnium nervorum.

Atqui centrum omnium nervorum est systema cerebrospinale. Ergo.

Ut experientia constat, inter *systema cerebro-spinale* et *appetitum* sensitivum existit quidam nexus *directus* dependentiae *causalis*: qui nervos debiliores habent, vividiores habent appetitus sensitivos; ex altera parte vehementiores appetitus (passiones) perturbant nervos et praesertim cerebrum.

E contra cor non exercet influxum *directum* in appetitus sensitivos, sed eos tantum *manifestat*: pro vehementiore vel remissiore videl. appetitu sensitivo (v. g. amoris, irae, timoris, etc.) existente in systemate nerveo, ipsum cor vehementiores vel remissiores motus recipit (mediantibus pneumogastrico — vago — et magno systematico) praecise a dicto systemate nerveo.

3. Quia cor affectiones sensitivas *manifestat*, ideo iuremerito pro *symbolo amoris* vulgo habetur. Ut enim, generatim loquendo, res aliqua possit assumi pro symbolo seu signo alterius rei, necessario requiritur et *per se sufficit*, ut sensibus pateat eius *connexio* cum re significata. Porro in casu nostro connexio cordis et amoris in ratione «signi» et «significati» multo melius apparet in corde, quam in cerebro.

Schol. II. — De «attractione» boni.

Omnibus fatentibus, ut bonum attrahat, requiritur, ut ab animali tamquam bonum reapse *cognoscatur* (et quidem cognitione *practica*, qua videlicet res — generatim loquendo — tamquam *hic et nunc* conveniens apprehenditur). Quod enim ab animali non cognoscitur, est pro ipso ac si simpliciter non existeret. — Haec ratio est, cur actiones animalis non possint — ut in planta — *a priori* quoad particularitates minutas praevideri; pro diverso enim iudicio, quod fert

sensus de certo aliquo bono diversae etiam actiones determinantur ab appetitu. Unde appetitus sensitivus definiri etiam solet « inclinatio, in cuius virtute animal tendit in obiectum *iudicatum tamquam bonum* ».

Cum autem *malum* non sit nisi contrarium boni, tendentia, quam animal habet ad bonum, *avertit* illud eo ipso a malo.

Schol. III. — De delectatione et dolore.

1. Delectatio distinguitur: *sensibilis* et *spiritualis*. Similiter dolor duplex est: sensibilis et spiritualis. In thesi loquimur de delectatione et dolore *sensibili*.

2. Delectatio et dolor tamquam facta psychologica optime nota sunt unicuique ex experientia interna. At multum de eorum *natura* disputatur.

Sententia I: dolor est *sensatio sensus externi specialis*; in diversis corporis partibus — ita rem explicant fautores huiusce sententiae — inveniuntur specialia « puncta doloris » seu terminationes nerveae, quae ad *omnes* excitationes respondent semper sensatione doloris. Ita docent von Frey, Thunberg, Sydney Alrutz et praecipue Jotejko et Stefanowska.

Argumenta huius sententiae.

1) *Centra* sensationis *doloris* (quae secundum hosce auctores fit formaliter in cerebro) videntur esse prorsus diversa a centris sensationis *tactilis*; nam *a*) *quidam* aegroti (laborantes ex laesione medullari) conservant sensationem tactilem (pressionis), attamen non sentiunt dolorem; *b*) ab *omnibus* dolor percipitur vivacior in parte corporis *sinistra* quam dextera (etiam ab iis, qui habitualiter magis utuntur membris partis sinistrae corporis quam partis dexterae).

2) *Nervi conductivi*, qui excitationes periphericas ad cerebrum deferunt, videntur esse diversi pro dolore et diversi pro tactu (pressione); nam dolor pressione causatus sentitur *tardius*, quam ipsa haec pressio (hoc apparet bene v. g. in morbo tabes). Quod factum nonnisi in hac theoria explicari potest, quae *aliam* viam (longiorem) assignat excitationibus doloriferis et *aliam* excitationibus tactus.

Crisis: 1. Diversa « centra » et diversi nervi « conductivi » pro sensatione doloris et sensatione tactus non sunt nisi *purae hypotheses*, ut monstrant physiologi Wood-Field, van Gehuchten, Piltz, etc.

2. Quod dolor « tardius » percipitur, hoc provenit ex eo, quod contactus saepe non est *statim* satis *fortis*, ut dolorem gignat.

3. Etiam specialia « puncta doloris » in peripheria non sunt — vel pro ipsis etiam fautoribus theoriae, quam expugnamus (v. g. Thunberg) — nisi hypotheses.

4. Distinctio facta a Jotejko et Stefanowska inter « dolorem » et « iniucunditatem » *sensitivam* (noli cum iniucunditate *sensitiva* confundere iniucunditatem aestheticam, contemplativam!) videtur esse *gratuita*.

Sententia II: delectatio et dolor consistunt formaliter in *perceptione immediata accelerationis vel retardationis*, quae locum habet in *fluxu repraesentationum*. Haec autem acceleratio vel retardatio provenit ex coëxistentia *in spiritu idearum*, quae sibi conveniunt vel non. (Ita Herbardt).

(Hic accedit etiam Fouillée, secundum quem omnis delectatio continet elementum repraesentativum et obiectivum — élément représentatif et obiectif, germe d'idéation — quod ab intellectu administratur. Cfr. Fouillée *Morale des idées-forces*, pag. 120 sq. Similiter Brentano).

Crisis: 1) Haec sententia non explicat delectationem et dolorem *sensibilem* v. g. in manu, quae percutitur.

2) A fortiori non explicat delectationem et dolorem in *animalibus*, cum haec non possint habere « in spiritu ideas ».

Sententia III: delectatio est proprietas seu accidens modale (sui generis) operationis connaturalis *non impeditae*; dolor vero est proprietas sui generis operationis connaturalis *impeditae* vel operationis non connaturalis. Ita Aristoteles et Scholastici communiter. (Cfr. Aristot. *Eth. ad Nicom.*, l. 7, c. 13, 1153 a.; S. Thom., I. II[ae], q. 31, a. 1 ad 1; q. 32, a. 1, Eandem *quoad rem* sententiam tenent multi Moderni, qui dolorem *omni sensationi* tribuunt, quaecumque excitationem *nimis intensam* patitur. Ita v. g. Wundt (*Grundz. der physiol. Psych.*, V., 2 Aufl., Leipz. 1902, 311), Mozart, de Landois,

Ebbinghaus, Hamilton, Höffding (*Esq. d'une psych.* pag. 363–364). — Haec theoria respuit ex una parte status « affectus puri » i. e. affectus non adnexi sensationi; ex altera autem parte « sensationes neutrales » (états neutres), quas ex Veteribus praecipue v. g. Plato admittebat. (Cfr. Tim. 64 d.). —

Probatur et declaratur.

Delectatio et dolor apparent tamquam proprietates modo inseparabili *connexae* cum vita entium *sensitivorum.* Porro ut *ratio sufficiens* huius connexionis stabilis et universalis reddatur, admittendum est (vi principii *finalitatis*) delectationem et dolorem habere *specialem functionem* ad adimplendum circa ipsam vitam sensitivam. Cum autem finis primarius activitatis sensitivae sit conservatio animalis in « esse » individui et « esse » speciei, hinc delectatio et dolor sunt ad hoc in animali, *ut ipsum iuvent in acquirendis* eis, quae fovent « esse » individui et « esse » speciei, seu in acquirendis *bonis.* Sed ut bonum acquiratur debet quaeri! Ut quaeratur, debet ab animali cognosci seu *sentiri*, qua *bonum.* Sed sentire bonum, qua tale, est *delectari* (delectatio). — Propter similem rationem perceptio sensitiva mali est dolor.

Delectatio et dolor igitur sunt pro animali *criterium* et quidem *unicum bonitatis* et malitiae obiectorum. Hoc criterio, ut patet, minime attingitur bonitas obiecti *absoluta* sed mere *relativa* tantum seu quaedam *proportionalitas* obiecti cum *facultate sensibili* animalis.

Delectatio — *in se* considerata — est quoddam elementum *qualitative afficiens sensationem*, qua talem; est qualitas sui generis, irreductibilis ad alias. Si sensatio fit *secundum naturam* suam, sentitur tamquam delectabilis; si *contra naturam* fit, sentitur tamquam dolorifera.

Ne dixeris contra nostram explicationem: 1. Nonnulli experiuntur delectationem in operationibus, quae sunt *contra naturam* operantis.

Resp.: « Id, quod est contra naturam *speciei,* [potest] fieri per *accidens* naturale huic *individuo* » (S. Thom. I-II^{ae}, q. 31, a. 7 c.) praecipue propter usum habitum seu *acquisitum.*

2. Delectatio saepe iudicat bonum, quod reapse perniciosum est sentienti v. g. venenum iudicatur saepe delectabile pro gustu.

Resp.: In hoc etiam casu obiectum bene iudicatur a sensu: quia obiectum, quod a *gustu* iudicatur bonum, est revera tale *pro gustu.* — Et hic est genuinus sensus nostrae thesis: delectatio est criterium bonitatis *relativae* scil. illius, quae convenit facultati operanti.

3. Delectatio non est quid positivum, verum potius mera cessatio doloris (Schopenhauer et Montaigne) — vel saltem non sentitur nisi *immediate* praecedat dolor (Leibniz, Kant).

Resp.: Nego assertum; contrarium patet ex experientia, ut optime iam rem probavit Aristoteles (*Mag. Mor.*, c. 7, 1204 b).

Schol. IV. — De emotionibus.

Nomen: « appetitus » fere iam hodie in scientia non adhibetur. Nomen « passio », quod antea adhibebatur ad designandas varias formas appetitus sensitivi[1] adhibetur hodie ad designandum quendam *excessum* in tendentiis, hinc *male sonat.* — Hodie in usum venit praecipue nomen: *affectio*, *inclinatio*, « *sentimentum* » et praeprimis *emotio.* (Cum « sentimentum » reservari soleat solis functionibus superioribus hominis, alibi de ipso sermo erit).

Emotio possidet duplicem *characterem*: *physicum* (i. e. modificationem characteristicam in respiratione, motu cordis, circulatione sanguinis et ita porro) et *psychicum* (i. e. perceptionem iucunditatis vel iucunditatis pro subiecto ita modificato (Cfr S. Th., *De Ver.* q. 26, a. 2 et 3; I^a II^{ae}, q. 20, a 1; q. 22, a. 2). — *Emotio* igitur definiri potest (definitione descriptiva): *modificatio organica, quae tamquam iucunda vel iniucunda a subiecto percipitur.*

Schol. V. — De differentia specifica passionum.

1. — Scholastici post Aristotelem tenent passiones non esse unius eiusdemque speciei. In anima sensitiva — aiunt — adest duplex appetitus: concupiscibilis et irascibilis; *obiectum*

[1] Nomen « passio » inde provenit, quod ens appetens aliquod obiectum ab eodem obiecto attrahitur seu eiusdem obiecti *influxum patitur*. At usus praevaluit, ut nomen « passionis » ad illum appetitum coarctaretur, qui cum quadam *alteratione* (transmutione) organica (materiali) fiat; proindeque appetitus definiri solet: *motus appetitus sensitivi ex cognitione sensitiva* (imaginatione) *boni* vel mali ortus, cum aliqua transmutatione corporali connexus.

remotum quidem eorum est *unum* scil. bonum, attamen *obiectum proximum* est duplex: obiectum appetitus concupiscibilis est *bonum* (pro sensu), *qua tale*; obiectum appetitus irascibilis est *expugnatio obstaculi*, quod impedit acquisitionem huiusce boni. — Si animal et infans non haberent nisi inclinationem ad bonum (appetitum concupiscibilem), obstaculum, quod impedit eius adeptionem, tolleret vel saltem diminueret intensitatem huiusce appetitus. Porro experientia nos docet in animali obstacula potius augere vigorem appetitus; quo fit, ut animal subeat id, quod ipsi *hic nunc* nocivum est, dummodo bonum tandem assequatur. (Cfr. S. Thom. I II^ae q. 23 a. 1 ad 3). — Insuper in appetitu delectabili animal habet se magis *passive* (subit influxum obiecti, quod ipsum attrahit); in irascibili e contra habet se potius *active*: facit conatus, ut triumphum reportet. (S. Thom., *de Verit.* q. 25, a. 2; Suarez, de An. lib. V, c. IV, n. 1).

2. — Species appetitus concupiscibilis sunt 6, scil. 1) *amor* (propensio ad bonum conveniens, complacentia boni); 2) *desiderium* seu concupiscentia (motus appetitus ad bonum amatum possidendum); 3) *delectatio* seu gaudium (quietatio appetitus in bono possesso). Earum contraria sunt: 1) *odium* (aversio a malo disconvenienti); 2) *fuga* seu abominatio (recessus a malo futuro); 3) *dolor* seu tristitia (status appetitus, qui praesentia mali generatur). (S. Thom., I, II^ae, q. 23, a. 4).

Species appetitus irascibilis sunt 5, scil. — *a*) *spes* et *desperatio*: si bonum arduum iudicatur a subiecto adeptu *possibile*, oritur *spes* (motus in bonum arduum adeptu possibile); si vero iudicatur adeptu impossibile, oritur *desperatio* (recessus a bono adeptu impossibili). — *b*) *audacia* et *timor*: si malum arduum percipitur tamquam superabile, appetitus erigitur contra ipsum ad ipsum vincendum et habetur *audacia*; si autem percipitur tamquam insuperabile, appetitus deiicitur et habetur *timor*. — *c*) *ira*, quae est appetitus vindictae contra causam, quae malum inflixit.

3. — Appetitus irascibilis est « propugnatrix » appetitus concupiscibilis (Cfr. S. Thom., *de Verit.*, q. 25, a. 2) ipsique servit. Quare principium ultimum omnium passionum est *amor*. « Pondus meum amor meus; eo feror, quocumque feror ». (Cfr. S. August., *Confessiones*, lib. XIII, c. 9).

4. — Alii alias divisiones passionum statuerunt. *Cartesius* statuit 6 passiones simplices seu primitivas (admirationem, amorem, odium, desiderium, gaudium, tristitiam). — *Hume* divisit passiones in duas classes: passiones directas et indirectas. Ad directas adnumerat: desiderium, aversionem, tristitiam, gaudium, spem, timorem, securitatem. Ad indirectas vero superbiam, humilitatem, ambitionem, vanitatem, amorem, odium, invidiam, misericordiam, malitiam, liberalitatem seu generositatem etc. — Pro *Spinoza* passio fundamentalis est appetitus seu desiderium (voluntas), ex quo omnes aliae procedunt, et quidem primo passiones simplices: gaudii et tristitiae; deinde passiones complexae: amoris, odii, spei et timoris, sympathiae et antipathiae, admirationis et contemptus; et tandem passiones misericordiae, aemulationis, indignationis, ambitionis, invidiae, contritionis, humilitatis, superbiae, abiectionis.

OBIECTIONES.

1) *Obiectum facultatis cognoscitivae est idem ac obiectum facultatis appetitivae, Ergo facultas cognoscitiva et facultas cognoscitiva non differunt realiter a se.*

Rs. Dst. Antc. – Obiectum *materiale* facultatis cognoscitivae est . . . C; obiectum *formale* . . . . N.

2) *Obiectum appetitus sensitivi est idem ac obiectum appetitus innati in animali scil. bonum animalis. Ergo hi duo appetitus non differunt inter se.*

Rs. Dst. Antc. — Obiectum . . . . bonum animalis *eodem modo* et propositum et obtinendum N; *diverso modo* et propositum et obtinendum, C.

Egl. — Cum appetitus innatus sit propensio *totius* naturae entis ad bonum sibi conveniens et cum ex altera parte ad naturam omnes facultates pertineant (ab eaque ultimatim vim et efficaciam suam recipiant), ideoque *etiam* in « facultate sensitiva appetendi » duplex distinguendus est appetitus: innatus et elicitus. Innatus dicit meram *ordinationem constantem* facultatis sensitivae ad suum actum et obiectum. Elicitus vero dicit ordinationem facultatis sensitivae ad suum obiectum, prout *hic et nunc a cognitione* proponitur tamquam bonum.

3) *Si appetitus elicitus distinguitur realiter a potentia cognoscitiva, habet necessario diversum organum. Atqui falsum consequens. Ergo falsum et antecedens.*

Rs. Dst. Mai . . . . . diversum tum secundum partem *materialem* tum secundum partem *formalem* seu facultatem animae. N. diversum secundum partem saltem *formalem (facultatem)* — C.

Ctds. min. N. Cons.

Nota insuper neminem umquam assignare potuisse partem exactam cerebri pro sensibus internis. Ideoque a priori non repugnat hypothesis, secundum quam organum appetitus esset etiam loco (secundum partem materialem) diversum ab organo potentiae cognoscitivae.

4) *Appetitio consistit in hoc, quod aliqua actio futura praevidetur. Ergo est formaliter cognitio.*

Rs. Dst. Antc. — Appetitio consistit *formaliter* in hoc, quod . . . N; Appetitio consistit *principiative* in hoc, quod . . . Sbds. *quaedam* species appetitionis elicitae videl. illae, quae versantur circa bonum et malum *imminens* . . . C; *omnis* appetitio, seu appetitio, qua talis . . . . N.

5) *Delectatio vel dolor includit necessario convenientiam obiecti cum subiecto. Ego etiam cognitionem (eiusdem convenientiae).*

Rs. Dst. Antc. . . . . . convenientiam *ontologicam* . . . . . C., . . . convenientiam *cognitam*. Sbds. . . . includit in suo actu *formali* N; . . . in praerequisitis C.

THESIS XVIII.

Vis motrix realiter ab appetitu distinguitur.

1. Notiones. — 1. Motus, qui in animali reperiuntur, distinguuntur: *a*) motus *naturales* seu *physiologici*; *b*) motus *animales* seu *psychici*.

2. Motus *naturales* ii sunt, qui fiunt in animali independenter ab eius facultatibus psychicis, qua talibus: cognitionis et appetitionis. Non sunt igitur « sensitivi », ideoque etiam in plantis adesse possunt. — Attamen nonnunquam non sine difficultate a motibus ex praevia cognitione et appetitione ortis distingui valent, cum utrumque genus motuum iisdem organis perficiatur, et saepe excitationibus provenientibus a sensoriis determinetur. —

Motus naturales distinguuntur: *reflexi* et *automatici*, prout excitatione proveniente ab aliquo corpore externo vel corpore proprio producuntur. Dicuntur « motus reflexi », quia impressio ab extrinsecus veniens, postquam *attigerat* ope nervi (peripherici) sensitivi centrum nerveum, *reflectitur* et revertitur ad nervos periphericos (motorios) ibique motum producit modo physiologico (sine influxu — saltem conscio — appetitus). Talis est v. g. dilatatio et contractio pupillae pro minore vel maiore intensitate luminis. — Motus « automatici » dicuntur propterea, quod producuntur simili modo ac motus in machinis, quae vocabantur ab antiquis « automata ». Sicut machinae hae transeunt in motum pondere appenso *intra* ipsas ita, ut circumstantibus videantur *se ipsas movere* (αὐτός) ita etiam hi motus animalis, de quibus est sermo, oriuntur sub impulsu mere materiali quidem at *intus latente*. Tales sunt motus organorum vegetativorum v. g. stomachi et intestinorum excitatorum cibis introductis, motus cordis, motus inspirationis (qui excitatur contractione musculorum, qui dilatant pulmones), motus deglutionis (qui fiunt per contractionem oesophagi) Cfr. Van Bieruliet, *Eléments de psychologie humaine*, pag. 140).

Motus reflexi et automatici *accidentaliter* tantum differunt, ideoque indiscriminatim nomine communi motuum *reflexorum* saepe designantur. Fiunt etiam in animalibus, quibus cerebrum ablatum est; non dependent igitur a *conscientia* vel *attentione*. — Si quidam ex motibus reflexis *voluntarie* aliquando *suspendi* vel saltem minui possunt, hoc ideo fit, quod hi motus, licet per se involuntarii, possunt etiam quandoque a voluntate excitari.

3. Motus *animales* illi dicuntur, qui sequuntur cognitionem. — Distingui possunt in motus *instinctivos* et *spontaneos*, prout *statim* ab initio vitae animalis et *independenter ab experientia* individuali recte fiunt vel e contra.

2. In thesi. praesenti agitur de determinando *principio*, quod « motus animales » in ente sensitivo producit; et quidem non de principio *ultimo* — hoc enim animam esse iam abunde liquet — sed *proximo* seu de s. d. *virtute motrice*.

3. Sententiae. — I. Virtus motrix non est facultas realiter distincta a facultate appetitiva. Ipsa facultas appetitiva

producit active motum; membra animalis eum tantum passive *recipiunt* eumque mere « exequuntur ».

Ita sat communiter Thomistae: Caietanus, Ferrariensis, Capreolus, etc. Citant pro se Aristotelem, qui « causae locomotionis — ait — sunt intellectus (resp. phantasia: 433, a. 20) et appetitus » (*De anima*, III, 10, 433, a. 13; Cfr. 433, b 16-17) et S. Thomam, qui similiter ac Aristoteles se exprimit (*Quaest. disp. Qu. de anima*, a. 9 ad 6; *de potentia*, q. 3, a. 11 ad 20; I, q. 75, a. 3 ad 3; *C. Gent.* lib. II, c. 82 ad finem).

II. Virtus motrix est specialis facultas ab omni alia — in specie autem a virtute *appetitiva* — realiter distincta; quo fit, ut eius actus (scil. motus) ab appetitu quidem *imperetur*, minime vero active *eliciatur*. Ita *Henricus Gandavensis Suarez* (*De anima*, liber 5, cap. 10, n. 5), *Ioannes a S. Thoma*, *Toletus*. — Ex recentioribus *Tongiorgi*, *Mercier*, *Urraburu, Lahousse, de Backer, Hugon*. Citant pro se Aristotelem, qui enumerando animae facultates (3 δυνάμεις) specialem mentionem facit facultatis locomotivae (τὸ κατὰ τόπον κινητικόν *De An.*, II, 3, 414, a. 32; b 17: 415, a. 7), et S. Thomam (*C. Gent.*, lib. II, cap. 35; S. Th., I, p. q. 78, a. 1 ad 4, *Opusc.* 43, c. 5).

4. — Methodus procedendi in thesi. In parte I vindicabimus distinctionem realem facultatis motricis a facultate appetitiva. In parte II declarabimus, quomodo facultas motrix ab appetitu ad actum applicetur seu actuetur.

Probatur thesis.

Pars I. — Vis motrix ab appetitu realiter distinguitur.

Potentiae, quae, etsi tendant in unum idemque obiectum, tendunt tamen in rationes omnino diversas, realiter inter se distinguuntur.

A. Vis motrix et appetitus tendunt in rationes omnino diversas.

E. Vis motrix et appetitus realiter a se invicem distinguuntur.

Ad Mai. Potentiae tales differunt inter se *obiectis formalibus*.

A. Potentiae, quae differunt inter se obiectis formalibus, realiter distinguuntur. *E.*

Ad min. argumenti I. — Potentia motrix tendit ad *efficiendam realitatem physicam motus* corporis viventis; potentia vero appetitiva tendit formaliter *ad unionem cum bono* (seu obiecto, prout hoc tamquam *bonum* sensibus cognoscitur).

Confirm. — *Gratuitum* esse videtur adversariorum *fundamentum*: potentiam motricem esse *mere passivam*. Ut enim bene Doctor Eximius arguit: « Potentiae animae, ut anima est, activae sunt, cum actus earum sint vitales, atque adeo a principio intrinseco activo procedentes... Actus, quo scribo v. g., non solum est actus vitae, prout ab ipso appetitu elicitur et appetitur, sed etiam prout ab ipsa manu executioni mandatur, nam ipsemet motus manus est vere vitalis; ergo respectu illius motus non se habet manus mere passive, sed active etiam; ergo est in manu potentia aliqua illius motus ab appetitu distincta » (Suarez, *De An*, lib. V, c. 10, n. 5).

Pars. II. — 1. — Cognitio, metaphysice considerata, est, ut scimus, *forma* obiecti externi in subiecto *vitaliter existens*. Sed *omnis forma*, qua talis, praedita est finalitate intrinseca; ideoque etiam forma intentionalis finalitate (inclinatione) sibi proportionata — hinc *intentionali* — gaudere debet. Haec finalitas intentionalis, propria entis sentientis, nihil est aliud nisi praecise *appetitus sensitivus*; per ipsum ens *psychophysicum* relinquit statum *indifferentiae* versus obiectum et assumit orientationem dynamicam i. e. profundam *inclinationem* versum ipsum tamquam versus suum proprium bonum, seu in id, quod constituit eius proprium complementum et perfectionem.

2. — Quomodo appetitio, ita definita, in *actum adducit* (actuat) potentiam motricem?

Appetitio sensitiva est actus non *mere physicus* sed *psychophysicus* — est enim reactio entis *psychophisici* (animalis) versus bonum suum seu bonum naturae suae appropriatum; aliis verbis, est actus *communis* tum animae sensitivae, qua talis, tum materiae, informatae anima sensitiva. Porro materia, quae informatur *anima sensitiva*, non est alia a materia, quae informatur in ratione *corporis organici*, ut ex alibi dictis notum est. Quare modo *parallelo* ad actum (motum) *psychophysicum*

aderit necessario in animali etiam motus *physicus* organorum. — Si hic motus physicus initialis organorum (qui comitatur appetitionem) nullum impedimentum invenit in animali ex parte aliarum appetitionum antagonisicrum (ortarum ex aliis cognitionibus), complebitur in *motu perfecto*, quem iam ipse organismus, qua talis, secundum suas leges (seu leges, quas ei anima *vegetativa* imponit) efficit.

3. — Theoria, quam modo adumbravimus, obviam reddit rationem factorum, quae comprehenduntur nomine communi: « motricitatis specificae imaginum » : *a*) *imagines motuum* etiam illorum, qui perficiendi sunt ab alio, coniunctae sunt in subiecto — imaginante hosce motus — cum motibus materialibus eius organorum apprime correspondentibus motibus perficiendis; in hoc praecise nititur « ars legendi cogitationes aliorum », v. g. Cumberlandismus, baculus divinatorius etc. — *b*) *imagines sensitivae*, nisi ipsis aliae imagines antagonisticae opponantur, facile evolvuntur plene in motus externos « echolaliae », « echomimiae », in quibus subiectum quasi automatice reproducit verbum vel motum visum (hic pertinent « contagio moralis » repetitio ab infante vocum auditorum ab ipso, psythacismus, vertigines, quae saepe in summitate montis veniunt ex sola *imagine* periculi — frequentes praesertim apud somnambulicos, hystericos, psychastenicos etc.). — *c*) *aphasiae motoricae*, « apraxiae » motoricae (impossibilitas materialiter operandi), agraphiae, paralyses hystericae, etc., quae causantur sola absentia imaginis operationum harum « amnesia hysterica ». *d*) « *reflexus conditionatus* » : ens sensitivum *viso* alimento inducitur associatione imaginum ad repraesentandam sibi imaginem comedendi et statim producit etiam inscie salivationem.

Haec omnia et hisce similia facta sine negotio explicantur, ut patet, in theoria nostra, quam modo dedimus.

LIBER III.

De vita intellectiva.

Cap. I. — De intellectu.

THESIS XIX.

Intellectus, quo homo praeditus est, essentialiter superat sensibilitatem.

1. St. Quaest. — Thesis nostra ex professo expugnandam suscipit doctrinam, secundum quam omnis nostra cognitio sensatione absolvitur, proindeque inter sensus, de quibus hucusque disputavimus, et intellectum seu rationem, solum *discrimen graduale* hinc accidentale existit. Doctrina haec communiter *Sensismus* seu Sensualismus vocatur. — Intellectus, si Sensistis credis, concipiendus esset ad modum sublimioris phantasiae, cuius functiones essent merae associationes et combinationes actuum sensitivorum — unde etiam Sensualismus saepe Associationismus nuncupatur! Actus hoc modo reproducti sunt plus minusve transformati, attamen transformatio haec non eo usque pertingit, ut *essentiam* praedictorum actuum modificet, sed tantum, ut eorum gradum claritatis et explicationis, aliasque idgenus proprietates paulisper immutet (aliquam enim differentiam inter sensus et intellectum omnes tandem admittunt).

2. *Sensualismum tenent:* 1) *Materialistae*, qui omnem actum psychicum aeque sensitivum ac intellectivum reponunt ultimatim in mera affectione materiali corporum. (Cf. th. VI, pag. 48 sqq.).

2) *Positivistae*, qui asserunt *sola* « facta positiva » seu facta, quae experientiae (externae vel internae) subiacent, posse a nobis cognosci; proindeque etiam *metaphysicam* prorsus impossibilem esse. Doctrinam hanc fundant praecipue in eo, quod *a*) dantur controversiae interminabiles circa quaestiones metaphysicas, *b*) historia generis humani teste quo magis evolvitur homo, eo minus causas remotas inquirit; quo fit,

ut in evolutione sive totius generis humani sive individui particularis distingui possint tria stadia: theologicum (traditio), metaphysicum (ratiocinium), positivum (observatio). Ita expresse Auguste Comte, Positivismi fundatur.

Differentia formalis inter Sensualismum et Positivismum in eo est, quod Sensualismus *originem* et *naturam* conceptuum determinat, Positivismus vero *conditiones* et *limites* scientiae humanae considerat. At Sensualista, si vult secum cohaerere, debet necessario Positivismum amplecti: si enim praeter facultates sensitivas non habemus ullas alias facultates cognoscitivas, non possumus cognitione attingere nisi *facta*, quae experientiae subiacent, eorumque meras « connexiones » (« leges » sensu Positivistarum !).

Positivismi fautores praecipui — *ex philosophis*: Auguste Comte, E. Littré, E. Renan, A. Fouillée; J. St. Mill (partialiter), H. Spencer, A. Bain, G. Lewes; Cattaneo, Ferrari, Siciliani, C. Laas, R. Avenarius, Fr. Brentano etc.; *ex psychologis*: Taine, Ribot, James, Bain, Titchener, Ebbinghaus, Wundt (admittit Positivismum tamquam methodum scientificam), Jan Sniadecki, D. Szulc, J. Ochorowicz, F. Bogacki, etc.

Cum Positivismus haereat in *relativo* aspectu rerum, ideoque nuncupari potest *Relativismus.*

Cum insuper Positivismus explicite doceat nos res suprasensibiles (Deum, causas et naturas rerum) cognoscere non posse, recte communiter nomine *Agnosticismi* insignitur.

3) *Nominalistae:* nulla datur in nobis repraesentatio intentionalis vere universalis; quare totiens proclamata *universalitas* conceptum non est nisi *apparens*; consistit tota quanta in hoc, quod idem *nomen* ad *varia* individua significanda a nobis adhibetur. Ita fere in antiquitate Heraclitus, Cratylus; in maedio aevo Roscelinus, Occam, Biel etc.; temporibus recentioribus Berkeley et Empiristae, de quibus infra.

In explicatione tamen ulteriori huius sententiae varii Nominalistae in varias abeunt partes:

a) dum homo — ita quidam — rem singularem percipit, *attentionem* prorsus specialem figit in illum eius characterem, qui similis invenitur in pluribus individuis. Hic *character particularis* gignit in nobis quandam specialem *ten-*

dentiam, quam signis variis, sed praecipue *nomine* exprimimus (sive ore sive mente sola).

b) dum homo — ita iterum alii — rem singularem percipit et in ea invenit characterem aliquem similem seu comunem pluribus rebus, *associantur* in ipso sponte repraesentationes habitae in unam *imaginem collectivam* (vel potius in *unam collectionem imaginum*), cui deinde homo unum *nomen commune* imponit. Ita praecise — ait Th. Ziehen — gignitur universalis « repraesentatio rosae, quae multa individua similia comprehendit... non quidem omnes rosas, sed tantum omnes illas rosas, quas ego ipse vidi ». (*Leitf. der physiol. Psych*, 1902, pag. 141). Similiter Herbart eiusque Schola conceptum universalem explicant.

4) *Empiristae: unicus fons cognitionis* humanae est *experientia* sensuum et quidem sive externorum et internorum sive solorum externorum. In doctrina hac excolenda speciali mentione digni sunt Locke et de Condillac.

Locke, dum Cartesii « ideas innatas » vehementer expugnat, in alium extremum incidit: sola experientia est fons omnium nostrarum cognitionum. — Porro experientia haec duplex est: *a*) externa seu « sensatio », qua videlicet obiecta externa percipiuntur et ideae *qualitatum sensibilium* acquiruntur; *b*) interna seu « reflexio », qua percipiuntur *operationes*, quas *anima* ipsa exercet circa res sensibiles, et *ideae actionum propriarum* subiecti cognoscentis hauriuntur. « Reflexioni » recte conveniret, ait Locke, nomen « sensus communis ».

Ideae, quae oriuntur immediate ex sensatione vel reflexione, vocantur *simplices*. In earum formatione mens pure *passive* se habet sicut « speculum » vel « cera », dum recipiunt in se imagines rerum. Quare semper sunt verae.

Ex hisce ideis simplicibus mens vi sua nativa comparat sibi caeteras omnes ideas: *combinando* plures ideas simplices in unam solam producit *ideas complexas; iuxtaponendo* simpliciter secum duas ideas (simplices vel complexas) ita, ut *uno intuitu* animae possint simul attingi, mens format sibi ideas relationum; tandem *separando* unam ideam ab aliis, cum quibus realiter existit, perficit *abstractionem* et ita comparat sibi ideas generales.

Locke, etsi non videat clare differentiam essentialem inter spiritum et materiam ex rationibus philosophicis, — ad-

mittit enim possibilitatem materiae cogitantis — spiritualitatem animae tenet tum propter *fidem* religiosam tum propterea quod ope reflexionis nos attingere affirmat in ideis quasdam relationes metempiricas.

Empirismum Lockii in plenum Sensualismum evolvit Stephanus *Bonnet de Condillac* (1715-1780). Eius « analysim mentis humanae » sic dicta « Schola Ideologica » est secuta. — Dum Locke praeter vires sensitivas attribuit homini reflexionem, quae ad sensibilitatem non potest reduci, pro Condillac unicus fons cognitionis est facultas sentiendi.

En quomodo ex facultate sentiendi — si philosopo huic credis — reliquae facultates intentionales oriantur: quando capacitas sentiendi inffluxu (motu) organorum ad actus erumpit, plures sensationes in anima gignuntur; una ex eis ratione adiunctorum plus caeteris attrahit sentientem ita, ut in eam tota eius activitas recolligatur — et ita obtinetur « attentio», «prima ex facultatibus intellectualibus ». — Primum actum attentionis alter actus attentionis sequitur; ex quo effluunt tres novae operationes et tres facultates: *memoria*, *comparatio* et *iudicium*. Oritur memoria, quia attentione repetita, attentio olim habita *recognoscitur*. Oritur comparatio, quia duplici actu attentionis posito, duplex ponitur coram sentiente terminus comparandus. Oritur iudicium, quia ex comparatione facta inter duplicem actum attentionis necessario convenientia vel disconvenientia eorum conspicitur. — Quando deinde sentiens ab uno iudicio ad aliud transit, oritur *reflexio*, quae praecise transitum ex uno iudicio ad aliud significat. Si ex iudiciis apte inter se dispositis infertur iudicium consequens, habetur *ratiocinium*. Si varias qualitates, quas ope reflexionis deteximus, vario modo connectimus, exercemus summam operationem intellectualem: *imaginationem*.

Possibilitas harum transformationum sensationis secundum de Condillac in *spiritualitate* animae fundatur (sensatio aeque ac pro Cartesio *solius* est *animae*). — Recentiores Sensualistae reiecta semel differentia essentiali inter intellectum et sensum, *etiam spiritualitatem* animae humanae reiiciunt ac proinde essentiale discrimen inter hominem et bruta negant. Cognitio humana est terminus evolutionis naturalis facultatum cognoscitivarum propriarum *brutorum* (evolutionismus absolutus).

3. *Praecipua capita doctrinae Sensualismi.* — 1. *Abstractio.* — *Abstractio*, ut communiter constat, vi solius *vocis* significat operationem, qua separantur intentionaliter ea, quae in re coniuncta sunt. Abstractio — sic latissime sumpta — etiam potentiis *sensitivis* convenit tum externis tum phantasiae. Sensibus externis — dico — quia e. g. oculus in re percepta suum tantum obiectum proprium i. e. colorem apprehendit. Phantasiae ideo, quia in re olim percepta reproducenda (phantasmate) plures determinationes solent omitti; immo possunt quandoque tam multae omitti, ut habeatur « imago communis » seu schema sensibile, *imperfectum et rude*, quod resultat in phantasia ex saepe repetita perceptione obiectorum similium et horum obiectorum perceptorum characteres tantum *communes confuso* modo repraesentat. Quodsi tollitur confusio, perit *communitas* et apparet singularitas. Universalitas igitur propria imaginis communis non est realis, sed mere *apparens*.

Quae hucusque de abstractione sensibili diximus, tenentur etiam a Scholasticis. At Scholastici praeter *hanc* abstractionem *partialem* vindicant insuper abstractionem s. d. *totalem*, quae in eo consistit, quod res sensibilis (sive sit substantia sive accidens) — praetermissis eius *notis individuantibus* — attingitur quantum ad nudam ipsius *essentiam* [1]. Vocatur « abstractio totalis », quia abstractum hac via acquisitum habet se ad concretum tamquam *totum* logicum seu universale ad partes subiectivas eiusdem totius, proindeque de concreto praedicatur per *identitatem*.

In abstractione totali triplex dari potest *gradus* (S. Th., I, p. q. 85, a. 1 ad 2um):

a) *abstractio physica*: posita *materia sensibili individuali* abstractio fit a *notis individuantibus* et consideratur tantum *materia sensibilis communis* i. e. substantia, prout subiecta qualitatibus sensibilibus v. g. rubro, calido, etc. — Ideae igitur hoc modo acquisitae retinent *qualitates sensibiles* et abstrahunt tantummodo a conditionibus individuantibus (homo,

[1] Si hoc modo consideratur essentia *formae* desumptae e corpore (sive haec forma sit substantialis sive accidentalis), habetur abstractio, quae a Scholasticis vocatur « formalis » seu « quasi partialis ». Haec ultima appellatio inde provenit, quod forma habet se tamquam *pars* ad totum compositum ex materia (I vel II) et forma.

brutum, planta, folium etc.). Ideae hae vocantur *physicae*, quia constituunt obiectum *Physicae*.

b) *abstractio mathematica*: posita *materia sensibili communi*, abstrahitur a qualitatibus sensibilibus et consideratur tantummodo *materia intelligibilis* i. e. substantia, prout subiecta *quantitati* (et eius modis: figurae, dimensioni etc.). — Ideae igitur hoc modo acquisitae solam rationem quantitatis retinent. Quia constituunt obiectum *Mathesis*, vocantur ideae *mathematicae*.

c) *abstractio metaphysica* adest, si abstrahitur ab *omni materia* ita, ut habeatur *immateriale* (« immateriale praecisive »). — Ideae igitur hac via haustae ita materiam omittunt, ut nihil, quod sit proprium rei corporalis, qua talis, includatur in *formali* earum ratione. Tales sunt idea entis, qua talis, et ideae eorum, quae ens consequuntur (idea veri, boni, substantiae, causae etc.). Dicuntur *metaphysicae*, quia constituunt obiectum *Metaphysicae*.

2. *Necessitas principiorum*. — Sensualistae hanc necessitatem a *subiectivis* nostris *dispositionibus* repetunt adeo, ut haec necessitas principiorum non sit nisi mera impossibilitas *concipiendi* oppositum — hinc impossibilitas mere *subiectiva*, non vero impossibilitas obiecti (impossibilitas *obiectiva*). Haec necessitas subiectiva fundatur in *experientia* et *legibus associationis* idearum: quia videl. semper et ubique experientia me docuit effectui antecedere causam, ideo fit, ut non possimus concipere existere aliquid sine ulla causa. Simili modo explicatur necessitas aliorum principiorum v. g. contradictionis. — Scholastici e contra necessitatem principiorum a necessitate ipsarum *essentiarum* repetunt (necessitas *obiectiva*).

3. *Natura ratiocinii.* — Deductio, ut notum est, nititur cognitione essentiarum. Sit enim talis syllogismus: Homo est mortalis. A. Petrus est homo. Ergo Petrus est mortalis. Si Maior non nititur cognita hominis *essentia*, non poterit affirmari, nisi in antecessum iam constiterit etiam Petrum esse mortalem; aliis verbis, ut *Maior* possit poni, deberet *conclusio* deducenda iam actu esse cognita. Quod, ut patet reddit ratiocinium prorsus inutile, sterile et circulo vitioso obnoxium. (S. Mill, *Log.*, l. II, ch. 3, § 2, tomo I, pag. 205 sqq.). Non remanet igitur Sensualistis nisi sola *inductio*.

Sed etiam inductio proprie dicta, ut notum est, nititur cognitione *essentiarum.* A factis enim particularibus ad legem universalem non possumus procedere, nisi adhibendo *internam rerum determinationem* ad constanter operandum, valorem obiectivum causae et principii causalitatis, quae omnia in cognitione essentiarum, ut constat, fundantur.

Quare inductio pro Sensualistis non poterit consistere nisi in hoc, ut pro unoquoque phaenomeno inveniatur eventus, quem phaenomenon invariabiliter et irreversibiliter sequitur, et ut deinde ex cognito hoc antecedente inconditionato ad *legem universalem* concludatur propter persuasionem sola experientia haustam de uniformi cursu naturae.

4. Systema nostrum contrarium Sensualismo vocatur *Intellectualismus.* — Defendit conceptus proprie *universales,* qui detrudi non possunt ad *imagines communes;* ac proinde statuit *essentiale* discrimen inter intellectum et sensus; certitudinem principiorum non fundat in *experientia sensitiva* sed in *essentiis* rerum. — Ita Aristoteles, et deinde S. Augustinus, S. Thomas, Scotus, Suarez, Descartes, insuper multi Logici hodierni, immo et Psychologici non pauci: Binet, Külpe, Bühler etc.

In thesi vindicamus non tam realitatem intellectus, verum potius *essentialem eius diversitatem a sensibilitate* seu a complexu facultatum sensitivarum ita, ut actus intellectus nulla summatione nec combinatione nec intensione sensationum explicari possint.

Probatur Thesis.

Arg. I. — *Ex cognitione universalium.*

Intellectus, quo homo praeditus est, habet cognitiones universales.

A. Cognitiones universales essentialiter superant cognitiones sensitivas.

A. rursus. Cognitiones, quae essentialiter superant cognitiones sensitivas, postulant facultatem, quae essentialiter superat sensibilitatem seu complexum facultatum sensitivarum.

E. Intellectus quo homo praeditus est, essentialiter superat sensibilitatem.

Ad Mai. Cognitiones universales sunt illae, quae exhibent obiecta « universalia ».

A. Intellectus humanus habet cognitiones, quae exhibent obiecta universalia.

E. Intellectus humanus habet cognitiones universales.

Ad min. ult. — Definitiones sive physicae sive mathematicae sive metaphysicae exhibent obiecta ita praecisa ab omnibus proprietatibus individuantibus rerum *singularium*, ut de ipsis omnibus *per identitatem* praedicari possint: v. g. rosa per identitatem praedicatur et de hac, quam ego in manu teneo, et de illa, quam tu tenes. Similiter lex: « summa angulorum in triangulo plano = 2R » valet et de triangulo rectangulo et de triangulo scaleno et de caeteris quibuslibet triangulis.

Ad Min. I: Cognitiones universales essentialiter superant cognitiones sensitivas.

Cognitiones *sensitivae* exhibent — ut ex alibi dictis notum est nec ab adversariis negatur — *obiecta sensibilia.* Porro repugnat obiectum sensibile, quod abstrahat ab omni individualisatione, v. g. *sensibilis* imago *trianguli*, *ut sic,* seu trianguli, quod praescindat ab omni prorsus determinata figura (rectangulo, scaleno etc.) et solam exhibeat *legem*, qua figura geometrica vocata « triangulum » construitur, atque adeo *omni prorsus triangulo sine ulla prorsus exceptione conveniat;* triangulo enim a sensibus (etiam a phantasia) apprehenso competit semper quolibet momento *determinata* figura et magnitudo, quae *non* inveniuntur in *omnibus* et *singulis* triangulis!

Min. II. — *Cognitiones, quae essentialiter superant cognitiones sensitivas, postulant facultatem, quae essentialiter superat sensibilitatem.* — Patet ex princ. causal.

Arg. II. — *Ex cognitione immaterialium.*

Intellectu cognoscuntur obiecta immaterialia.

A. — Obiecta immaterialia non possunt cognosci facultate sensitiva.

E. — Intellectus non est facultas sensitiva.

Ad Mai. — Intellectus cognoscit talia, quae in suo conceptu formali sive *materialitatem* positive *excludunt* (Deus, spiritus etc.) sive ab ea praescindunt (ens, verum, bonum etc.). — Cognoscit insuper *relationes, qua tales*, v. g. identitatem inter subiectum et praedicatum, ordinem effectus ad causam,

habitudinem medii ad finem, consequentiam inter praemissas et consequens. — Cognoscit tandem « entia rationis » : privationes et negationes, qua tales.

Ad min. — Facultas sensitiva, ut alibi vidimus, cognoscit ope speciei *sensibilis*, quam sibi producit ex obiectis *praesentibus* et quidem actu in sensum influentibus.

Porro hoc modo non posse cognosci obiecta *positive immaterialia*, manifeste patet terminos intelligenti. — Nec obiecta *praecisive immaterialia* hoc modo posse cognosci ex eo apparet, quod nulla combinatio specierum sensibilium dare potest *formalem notionem* entis. Idem dic de notione relationis, privationis, negationis, qua talis, etc.

Arg. III. — *Ex cognitione necessitatis absolutae principiorum rationis.*

Principia rationis cognoscuntur a nobis tamquam necessitate *absoluta* praedita.

A. Non possunt ita cognosci a sensibus.

E. Cognoscuntur ab alia facultate, a sensibus prorsus distincta.

Mai. — Patet ex testimonio conscientiae, sensu communi — nec ab adversariis ipsis negatur.

Ad Min. — 1) Ratio « necessitatis absolutae », qua talis, nec organa immutare nec forma sensibili *repraesentari* potest.

2) Si dicis: Nec opus est, ut « necessitas absoluta », de qua est sermo, per sensum nobis *repraesentetur*; reapse enim haec necessitas non est in obiecto (necessitas obiectiva), sed unice in subiecto (necessitas subiectiva), in mera videl. *repetitione* sensationum seu in *experientia.*

Rs. N. simpliciter. Nam *a*) nemo ad certitudinem principiorum rationis demonstrandam ad *experientiam* appellat, sed ad ipsam evidentiam intrinsecam rei in *analysi* notionum fundatam.

b) mera *repetitio* sensationis non dat nobis ius tribuendi rei, quae sensationem influxu suo produxit, necessitatem *absolutam*; nam generatim facta experientiae sunt relative *pauca*; et quando sunt multa, homines etiam tunc optime dignoscunt « necessitatem ex experientia » a « necessitate absoluta »: qui se quotidie in speculo inspicit, non putat esse *absolute* necessarium, ut se in speculo inspiciat.

c) secundum adversariorum doctrinam *firmitas adhaesionis* in veritatem principiorum rationis *cresceret* continuo pro numero experientiarum factarum. In homine sine maiori experientia esset debilis et *fere nulla*. Quod concedi nequit. Nam conare homini rudi persuadere fore, ut post aliquod tempus 2 + 2 non sint 4 sed 5; non credet; et si instabis, ut ipsi persuadeas, te vel iocare vel insanire putabit.

d) ipsa *experientia supponit* principia rationis; de experientia enim homo praecise secundum principia rationis iudicat.

Arg. IV. — *Ex usu nominum communium.*

Adversarii multi optime sentiunt insufficientiam « imaginum » ad explicandas ideas universales ideoque ad usum « nominum communium» recurrunt. Contra illos hoc ponimus argumentum:

Nomen a loquente — teste conscientia et communi omnium sensu — ideo profertur, ut res aliqua audienti *significetur*. *Nomen* igitur habet rationem *signi*. Porro ut loquens constituat aliquid signum alterius, debet *iam prius* (natura saltem) habere notionem huius « alterius » rei. In nostro igitur casu: loquens debet iam ante actualem usum nominis communis habere notionem *characterum communium* seu « universalium ».

Nec conclusionem hanc eludes recurrendo ad « tendentiam » nomen commune imponendi, de qua in St. Qu. (2, 3, a).

Etenim 1) ipsa haec tendentia, si quem sensum habet, accipienda est pro *effectu* repraesentationis mentalis. Non possumus enim habere tendentiam, imponendi nomen commune nisi illi *rei*, quam ut *communem* concepimus.

2) ortus *talis* tendentiae in sententia adversariorum *inintelligibilis* est. Res enim, quotquot existunt, sunt singulares et individuales, proindeque in facultate cognoscitiva non possunt excitare tendentiam nisi ad nomen singulare, individuale et non ad nomen stricte *commune* adhibendum.

3) Nec iuvat hic ad *attentionem* recurrere. Attentio enim nihil ponit in obiecto, sed mere considerat, quod *est*. Atqui: Quod est, est concretum, singulare, individuale–non universale. E.

4) Observationes *psychologiae* modernae prorsus comprobant veritatem de natura intellectus, quam modo *philoso-*

phice statuimus. — Aversio ab associationismo psychologico in dies inter Psychologos modernos crescit (Claparède, Binet, Külpe etc.).

Coroll. — Obiectum intellectus est « quidditas (essentia) rei ».

1. Modo ostendimus obiectum intellectus nostri seu « intelligibile » non esse confundendum cum obiecto, quale nobis sensus sive externi sive etiam interni (phantasia) exhibent. Dum enim obiectum repraesentatum imagine sensitiva est intrinsece affectum notis individuantibus, obiectum intellectus est prorsus ab ipsis ***absolutum***, proindeque ***abstractum*** et ***universale.***

2. *Scholastici* vocant obiecta abstracta « quidditates » vel etiam « rationes rerum », quia constituuntur « characteribus » (notis), qui interroganti : « quid est res » (τί ἔστι) traduntur tamquam explicationes seu « *ratio* » rei.

Cum autem characteres vere « explicantes » rem, efferant praecise id, quo unaquaeque res (substantialis vel accidentalis) est id *quod est*, seu — aliis verbis — efferant id, quo unumquodque in se *constituitur* et per consequens etiam *distinguitur* ab omni alio, unde intelligitur locutio Scholasticorum : obiectum intellectus est « essentia rei ».

OBIECTIONES.

1) *Quandoque cogitatio nostra consistit in mero usu nominis materialiter sumpti.*

Probo : *Dum quis profert iudicium : « Blitri est terminus nihil significans », non potest habere de Blitri ullam repraesentationem mentalem obiecti significati, ut patet.*

Rs. N. Antc.

Ad Probationem : Dst. . . . . ullam repraesentationem propriam entium *realium* . . . C. ; ullam repraesentationem propriam entium *rationis* N.

2) *Photographia « typica » Fr. Galton'i (confecta ex successiva superpositione photographiarum personarum plurium eiusdem familiae vel eodem morbo laborantium v. g. phtysi) est simul et imago* materialis *et repraesentatio* universalis, *ut patet (« typus familiae », « typus phtysicorum »). Ergo a pari ex pluribus sensationibus apte secum combinatis potest oriri intentionalis repraesentatio universalis.*

Rs. Dst. Antc. . . . repraesentatio *sensu lato* universalis, quatenus videl. *similis* est singulis individuis C. repraesentatio *sensu stricto* universalis, seu talis, quae per *identitatem* de quocumque ex suis inferioribus praedicari potest N.

Pariter dst. cons.

Expl. — Imago « typica » est imago *personae individualis*. Possidet quidem *haec* persona notas characteristas plurium personarum, attamen hae notae sunt — aeque ac imago ipsa — *individuales*.

3) *Phantasma eo, quod substitui potest pro pluribus obiectis similibus, possibilem reddit praedicationem unius de pluribus, et ita exercere functionem conceptus universalis. Ergo superflua est abstractio totalis.*

Rs. Dst. Antc. . . . . possibilem reddit praedicationem unius de pluribus . . . . in sensu *formali* N. in sensu *causali* et quidem *instrumentali* C. vel Trans.

Expl. — Cum haec imago sit individualis, ut supra diximus, non potest *formaliter praedicari de pluribus*. At cum concurrat tamquam causa instrumentalis ad productionem speciei intellectivae universalis, quae ipsa formaliter praedicatur per identitatem de pluribus, non est phantasmati denegandus *omnis influxus* (indirectus) in praedicationem unius de pluribus.

4) *Abstractio totalis, qualem Scholastici tenent, involvit contradictionem.*

Probo : *Abstrahere more Scholasticorum est concipere v. g. colorem, qui nec est ruber, nec albus, nec violaceus, etc.* (Ita Rabier, *Psychologie*, pag. 308).

Rs. N. Antc. — Si enim involveret contradictionem, fere omnia iudicia nostra vel simplicissima essent contradictoria, etiam tale : Socrates habuit oculos. Terminus enim « oculi » in hac propositione abstrahit a *determinata* quantitate, colore etc. Si dicis : dum pronuntio propositionem : Socrates habuit « oculos », semper habeo praesentem *aliquam* determinatam quantitatem, colorem oculorum Socratis - Rs. Utique, imago semper *comitatur* conceptum (rationem huius facti postea videbimus !) ; attamen pro pronuntiante iudicium superius haec imago est ac si non esset ; remanet *extra conceptum praedicati* — secus redderet iudicium falsum ; nam dum iudicium dictum pronuntiatur, *variae* imagines in *variis* hominibus adsunt, immo *in uno eodemque* homine imagines hae continuo variantur.

Ad Probat. Dst. — Abstrahere more Scholasticorum est concipere *per modum affirmationis* colorem etc. . . . N. . . . per modum merae *praecisionis* C.

Expl. — Si abstractio consisteret in *affirmatione* separationis unius ab altero, obiectio esset plene iustificata, ut patet. At abstractio *praescindit* a determinationibus (i. e. in suo conceptu nec includit, nec excludit eas, sed considerat rationem *communem* hisce determinationibus, ut dictum est in thesi).

THESIS XX.

SKIP

Obiectum proprium intellectus nostri in statu coniunctionis cum corpore est quidditas rerum sensibilium.

1. St. Quaest. — Thesi praesenti naturam facultatis intellectivae ulterius determinandam aggredimur. Et quia ad naturam omnis facultatis penitus cognoscendam maxime, ut notum est, confert consideratio eius obiecti formalis, de intellectus obiecto formali inquisitionem praesentem instituimus.

2. Notio generalis obiecti materialis et formalis. — Obiectum facultatis cognoscitivae duplex distinguitur : 1. materiale, 2. formale.

Res

1. Obiectum *materiale* intelligitur *res, circa quam* facultas cognoscitiva versatur, cum omnibus proprietatibus et determinationibus, quas a parte rei habet.

Ratio

2. Obiectum *formale* intelligitur *ratio, sub qua* (seu nota, secundum quam) obiectum materiale a facultate cognoscitiva attingitur.

3. Obiectum formale commune. — Intellectus humanus duplici modo considerari potest: 1) *absolute* i. e. secundum se seu secundum ea, quae ei *essentialiter* — hinc necessario, semper et ubique — conveniunt; 2) *relative* i. e. secundum ea, quae ei competunt, *prout* invenitur in aliquo *determinato statu* (sive unionis cum corpore, sive separationis a corpore, sive elevationis supernaturalis in caelo per lumen gloriae) — hinc secundum ea, quae ei competunt aliquo modo *accidentaliter*.

Duplici considerationi intellectus humani — absolutae et relativae — duplex etiam correspondet obiectum formale scil. *commune* et *proprium.*

Obiectum formale commune intellectus humani est ratio, quam intellectus per se attingit, non in quantum ipse est *in hoc vel in alio statu*, sed in quantum est *simpliciter in-*

tellectus; est igitur ratio generalissima, sub qua intellectus attingit obiectum materiale, in quocumque tandem statu et ipse intellectus et ipsum obiectum inveniantur. Ratio haec vocatur etiam obiectum « adaequatum » vel « extensivum ». « Adaequatum », quia adaequat potentiam; « extensivum », quia extenditur ad omnia.

Obiectum tale intellectus est *ens*, in quantum ens. — At dum haec dicimus, minime intentionis nostrae est asserere intellectum non cognoscere nisi *abstractam* rationem *entis in communi*; sed volumus tantum dicere: id, *ratione cuius* res omnes sunt *formaliter* intelligibiles, esse *rationem entis*. Porro cum ens serpat per omnia genera rerum et per omnes earum differentias, ideo patet omnes res — dummodo rite intellectui proponantur — aliquo modo cognosci posse.

Obiectum formale *commune* intellectus esse ens, patet ex tractatu « de veritate entis » in Metaphysica generali enucleato. (Cf. S. Th. *C. Gent.*, II, 98; *De Verit.*, q. I, a. 4).

4. Obiectum formale proprium intellectus humani. — Si omnia obiecta materialia haberent eandem prorsus naturam, tunc haberent omnia eandem *proportionem* cum intellectu cognoscente, proindeque etiam omnia essent cognoscibilia *eodem titulo* atque adeo ab intellectu nostro attingerentur eodem modo i. e. aeque immediate et directe: *obiectum formale* intellectus nostri esset *unum*.

At de facto ita non est. Cognoscibilia (obiecta materialia) habent reapse diversas *naturas* et per consequens diversum etiam *modum essendi*; quaedam cognoscibilia habent modum essendi adeo diversum a modo essendi intellectus humani in praesenti statu unionis animae cum corpore, ut — deficiente debita proportione inter cognoscibile et cognoscens — non possint per *se seu ratione sui* movere facultatem intelligendi ad actum intellectionis eliciendum, proindeque non possint cognosci ab intellectu humano per speciem *propriam* seu directe, sed tantum per speciem *aliorum* cognoscibilium, illorum videl., quae cognoscenti sunt proportionata. *Haec* ultima *sola* attinguntur ab intellectu *sub ratione sua propria*, (caetera obiecta non attinguntur nisi sub ratione *aliena*, ope videl. praecedentium obiectorum — via negationis et analogiae). Ratio haec vocatur obiectum formale *proprium* seu *pro-*

portionatum. Vocatur etiam obiectum « specificativum » : dum enim propria specie informat intellectum, determinat gradum perfectionis intellectus humani in *hierarchia* specierum entium intellectualium; vocatur etiam obiectum « intensivum », quia est id, in quod intellectus suis propriis viribus — obiecto huic proportionatis — « intendit ».

Ut ex dictis apparet, inter obiectum proprium et commune intellectus humani non adest realis oppositio, proindeque nullius est valoris obiectio: Si duplex obiectum formale, ergo duplex etiam facultas. Nam obiectum *proprium* continetur in ambitu obiecti *communis*; quidquid enim est, *ens* est. Solummodo pro diverso statu intellectus, nunc talis ratio primo et per se attingitur (obiectum proprium), reliquae vero rationes secundario, nunc (in alio statu) haec alia ratio primo et per se....

5. *Scopus thesis praesentis.* — In thesi XIX ostendimus ex una parte intellectum attingere in rebus « intelligibilia » seu *quidditates* rerum; ex altera autem parte monstravimus intelligibilia seu quidditates a nulla alia facultate praeter intellectum attingi posse. Ex quo sequitur « intelligibilia » seu *quidditates* rerum constituere obiectum proprium intellectus. — In thesi praesenti intendimus probare ab intellectu nostro in statu huius vitae non aeque immediate *ac ratione* sui attingi quidditatem quamlibet; solam quidditatem rerum sensibilium attingi *ratione* sui, caeteras quidditates attingi tantum ratione quidditatis rerum sensibilium.

Probatur thesis.

Arg. —

Quidditas, quae ab intellectu humano *per se primo* attingitur et, per quam caeterae quidditates omnes attinguntur, dicenda est obiectum *proprium seu proportionatum intellectus* humani.

A. Quidditas (« intelligibile ») rerum sensibilium ab intellectu humano *perse primo* attingitur et, per eam demum caeterae omnes quidditates attinguntur.

E. Quidditas rerum sensibilium (seu « intelligibile », quod in *rebus sensibilibus* elucet) est proprium seu proportionatum obiectum intellectus humani.

Min. — Patet ex experientia:

1. *Prima iudicia*, quae homo sibi format — dum ad usum rationis pervenit — sunt de rebus sensibilibus.

2. *Vocabula* ad significandas ideas rerum etiam maxime *immaterialium* (quales sunt e. g. Deus, anima, spiritus et ita porro) formata sunt a vocabulis, quae primo significabant res sensibiles, ut testatur philologia comparativa; quare sunt omnia aut *negativa* aut *analoga*.

3. Qui numquam in vita sensationem alicuius determinati sensus exercuit, *caret* inevitabiliter etiam propria *notitia* obiecti huiusce *sensus*.

4. Si volumus rem aliquam *intimius* intelligere aut *aptius* aliis *explicare*, recurrimus continuo ad exempla desumpta e rebus *sensibilibus* (ad comparationes, fabulas, parabolas, analogias etc. — methodus *intuitiva* in arte *paedagogica*).

5. Omnem operationem intellectualem (ideam, iudicium) *comitatur imago phantasmatica*, quod iam Aristoteles animadvertit (*De An.*, III, 7-431 a 16-17) et experientia interna (introspectio) unicuique testatur. Imago haec tam intime connectitur cum intellectione, ut saepe difficile sit utramque hanc operationem a se invicem distinguere. Est autem adeo necessaria pro intellectione, ut laeso organo phantasiae — sive mechanice sive chemice (variis materiis venenosis) — intellectio ipsa suspendatur vel saltem perturbetur.

Confirm. — Cum doctrina propugnata in thesi praesenti apprime cohaeret, quod alibi de natura animae humanae docetur, eam videl. esse *formam substantialem* corporis et non (purum) spiritum (Cfr. S. Th. I., quaest. 85, art. 1).

Per cognitionem videl. obiectum cognitum sortitur *modum essendi* cognoscentis secundum adagium: quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. Quare si in esse cognoscentis non continetur tota perfectio obiecti cogniti, non potest obiectum cognitum secundum *propriam* suam formam seu conceptu proprio in cognoscente repraesentari. En cur in anima — *non puro spiritu* — non possit repraesentari in propria sua forma obiectum *pure spirituale*.

Insuper si anima humana est forma corporis humani, unio eius cum corpore est *naturalis* (i. e. non violenta nec artificialis). Porro si unio animae cum corpore est naturalis,

non solum non potest cedere in detrimentum animae, sed e contra debet positive cedere in bonum animae — quod alio modo fieri non potest nisi, quatenus corpus concurrit reapse in operationibus *animae propriis* seu intellectionibus exercendis. Porro hic concursus in tantum possibilis est, in quantum *obiectum* eius *proprium* seu immediatum non sunt res *immateriales* sed materiales; ad attingendum enim res stricte immateriales corpus humanum nihil omnino iuvare potest animam, ut patet.

Coroll. — Ex dictis clare elucet nullum esse obiectum, quod non possit ab intellectu humano saltem aliquo modo apprehendi; atque adeo nullam esse rem, cuius cognoscendae intellectus esset radicaliter et absolute incapax. — Quo fit, ut omnis res, dummodo intellectui humano rite proponatur et simul debitum adiutorium ei praestetur, possit ab intellectu humano attingi. E contra facultates sensitivae absolute et radicaliter a cognitione immaterialium excluduntur; nam essentialiter (et non per accidens) dependent a materia.

THESIS XXI.

Inter omnia animalia solus homo facultate intelligendi est praeditus. Et in hac facultate intelligendi reponenda est primaria hominis a beluis differentia.

1. St. Quaest. — Inter regnum organicum et anorganicum, inter animalia et plantas adest *discrimen essentiale*, immo discrimen ordinis, ut alibi ostenditur. In thesi praesenti quaerimus, utrum simile discrimen intercedat etiam inter *hominem* et animal *brutum*. Cui quaestioni affirmative respondendum erit, si adest in homine aliquid, quod *ne initialiter quidem* in brutis invenitur.

2. Sententiae. — I. *Etiam bruta gaudent intellectu.* — Ita olim *Pythagorei* — propter doctrinam suam de metempsychosi — et temporibus recentioribus fautores *evolutionismi absoluti* (Brehm, Büchner, Romanes etc.), qui communiter in operibus animalium distinguunt opera instinctus et opera *intelligentiae*. Ab instinctu repetunt ea opera, quae ab individuis

eiusdem speciei semper eodem modo peraguntur; caetera opera attribuunt intelligentiae.

II. *Bruta carent intellectu.* — Animalibus brutis non deest quidem quaedam intelligentia; nam in operationibus suis dant indubia signa sagacitatis et « prudentiae » (Cf. Scotus, *Quaest. super Metaph. Arist.*, Qu. III). At haec « intelligentia » non est *intellectus* proprie dictus i. e. *facultas, qua universalia apprehenduntur,* sed simpliciter effectus *sensibilitatis*, praecipue autem instinctus, memoriae, associatiationis imaginum.

Ad hanc sententiam, quae communis est Scholae, multi etiam moderni scientiarum naturalium cultores perducti sunt vi factorum experientiae exactius a se consideratorum (v. g. Wundt, Fabre, W. Wagner, Claparède, Lubbock et alii).

3. — Methodus procedendi. — Ad veritatem thesis nostrae probandam duplex methodus adhiberi potest:

I. Monstrare in animalibus brutis *nullum unquam signum* vitae psychicae inventum esse, quod facultates sensitivas superet atque adeo vim cognoscendi essentialiter altiorem postulet. — Methodus tamen haec *prolixa* est, cum investigationem copiosam factorum positivorum supponat, et *per se* nonnisi probabilitatem gignit, cum semper possit timeri factum novum adhuc nobis ignotum prolatum iri.

II. Monstrare ex quibusdam indubiis signis animalibus deesse intellectum, cum desint quidam *effectus formales intellectus.* Hanc praecise methodum sequitur thesis nostra.

4. — Soluta in I parte thesis quaestione, utrum animalia habeant intellectum necne, solvendum nobis erit in parte II problema: in quonam reponenda sit differentia essentialis et quidem primaria inter hominem et bruta — i. e. ea, in qua tamquam in *ratione ontologica* omnes ceterae differentiae fundantur. —

Nos reponimus eam in *facultate intelligendi* — hinc quia discrimen essentiale inter sensibilitatem et intellectum agnoscimus (th. XIX), illinc quia intellectum brutis prorsus denegamus. Sed quicumque aut discrimen inter sensibilitatem et intellectum non agnoscit aut intellectum proprie dictum brutis animalibus attribuit, differentiam inter hominem et bruta in alia re reponere cogitur: aut in *cerebro* — videl. in eius pon-

dere *relativo*, quod scil. resultat ex comparatione ponderis cerebri cum pondere totius corporis, vel in eius *volumine relativo*, in eius *structura* (in homine est magis complicata quam in bruto), aut in *tactu*, (in homine summum perfectionis gradum attingit), aut in « facultate loquendi », aut in « habitu moralitatis et religionis », aut in amplitudine *ad progressum* in infinitum, aut tandem in organisatione corporis (in homine positio verticalis — in animali positio horizontalis; columna vertebralis humana habet 3 curvitates: dorsalem, cervicalem, lombarem — valde notabiles, dum in bruto curvitates hae vix ac ne vix quidem perceptibiles sunt; homo est « capiens » [preneur] brutum vero reptans [grimpeur]).

Probatur thesis.

PARS I. — ANIMALIA BRUTA INTELLECTU CARENT.

ARG. I. — Ens intellectuale non potest in sua operatione coarctatum esse ad *certum* operabilium *genus*.

A. Animalia bruta sunt in sua operatione coarctata ad *certum* operabilium *genus*.

E. Bruta animalia non sunt entia intellectualia, — aliis verbis, carent facultate intelligendi.

Ad Mai. — Operatio entis intellectualis regitur principiis *universalibus*.

A. Principia universalia extenduntur necessario ad quodlibet operabile. *E*.

Min. Patet ex experientia: singulae species animalium exercent certum solummodo operabilium genus, quod omnia eiusdem speciei individua simili prorsus modo peragunt. (Cf. S. Th., *Contra Gent.*, II, c. 66).

Nec iuvat dicere: ideo animalia bruta tantummodo certum operabilium genus peragunt, quia ad illud solum habent potentiam *executricem*.

Rs. *a*) animalia possent multa peragere ea potentia executrice, quam possident, si reapse intellectum haberent.

b) Praecise ipsa haec imperfectio potentiae executricis arguit defectum etiam intellectus (vi principii finalitatis).

Arg. II. — Inter dotes naturales (proprietates necessarias) intellectus numerantur:

1° usus sermonis seu loquela;

2° notitia Dei et legis moralis;

3° appetitus bonorum suprasensibilium;

4° progressus proprie dictus (progressus personalis seu in propria inquisitione fundatus, qui opponitur progressui mere « passivo »).

A. Nullam harum dotum habent animalia bruta.

E. Animalia bruta non habent intellectum.

Ad Mai. — Ex una parte entia, quae intellectu sunt certo praedita — homines — possident *inseparabiliter* semper et ubique hasce 4 proprietates. Ex altera parte *solis* entibus intellectu praeditis convenire posse has proprietas patet ex eo, quod 1) *loquela* supponit usum *signorum*, qua talium; hinc cognitionem relationum, proindeque etiam conceptus abstractos; 2) *notitia Dei* et *legis moralis* supponit notionem *causae* et *relationis*: 3) appetitus rerum *suprasensibilium* supponit cognitionem obiectorum *immaterialium*, transcendentium; 4) *progressus*, qui fit ex propria inquisitione, supponit perceptionem *finis* obtinendi per *media* apta seu perceptionem formalem relationis medii ad finem et conscientiam reflexam activitatis, quae dirigi potest ad finem praestitutum.

Ad min. — 1) « Etsi bruta aliquid manifestent, non tamen manifestationem intendunt; sed naturali instinctu aliquid agunt, ad quod manifestatio sequitur » (*S. Th.* II^a^ II^ae^, q. 110, a. 1). Lingua animalium dici potest lingua *interiectionalis* (naturalis, instinctiva, affectiva), quae in momento affectus psychici oritur sponte in ipsis simili modo ac alii motus s. d. spontanei. — Linguam proprie dictam i. e. *conceptualem*, quam etiam homines barbari, caeci et surdomuti habent, ne quidem animalia perfectissima perpetuo inter homines degentia ediscere potuerunt. — Animal nihil dicit, quia nihil habet ad dicendum!

2) Si animalia bruta notitiam quandam Dei et legis moralis haberent, certe ederent *aliqua* tandem *religionis signa*, nec omnibus cupiditatibus sine remorsu *indulgerent*, individua familiae aegrota non desererent nec occiderent, sicut plerumque evenit in quibusdam speciebus animalium — et

ita porro. « Signa religionis », quae nobis afferuntur ab evolutionistis sunt vel gratuitae assertiones aut anthropomorphismi rudes.

3) *Appetitus suprasensibilium* animalia nullis signis manifestant. Tota activitas eorum solum spectare videtur, ut sedentur stimuli a natura dati ad procurandam conservationem individui et speciei.

4) Animalia bruta, experientia teste, capacia sunt tantummodo talis progressus, quem permittit sensitiva *associatio* imaginum et *memoria.* Non enim modificant suum modum agendi nisi vi harum praecise facultatum, ut ostendunt Thorndike, Kinnamann et alii.

Dices: bruta animalia produnt in sua operatione *sagacitatem* et *industriam.* Ergo cognoscunt *regulas artis*, proindeque etiam gaudent intellectu.

Rs. Sagacitas et industria animalium tantotiens laudata non procedit ex cognitis regulis artis.

Patet hoc *a*) *ex experientia:*

Agentia, quae operantur ex cognitis regulis artis, non operantur *eodem* semper ac *uniformi* modo et praeprimis non operantur, quando operatio est evidenter *inutilis* — nisi sint mentecapta.

A. Animalia bruta operantur eodem ac uniformi modo etiam tunc, quando operatio est ipsis evidenter inutilis.

E. Non operantur ex cognitis regulis artis.

Ad min. — Experimenta a Plateau et Fabre facta ostendunt bruta non removere impedimenta manifesta et consequenter non attingere operabilia sub ratione formali causae et effectus.

b) *ex ratione:* Quia artes, generatim loquendo, acquiruntur disciplina et studio, ideoque quo magis disciplina et studium crescit, eo magis etiam crescere debent artes; proindeque repugnat, ut agens ex cognitione artis eadem peritia in prima iuventute atque in aetate provectiore artefactum suum exequatur.

Verum quidem est, quod et ipse S. Thomas (I p., q. 101, a. 2 ad 2) notavit: « etiam animalia non habent ita perfectum usum industriae naturalis statim a principio, sicut postea; quod ex hoc patet, quod aves docent volare pullos suos ». Attamen evolutione plena suae speciei propria acqui-

sita operantur *eodem* prorsus modo. — Licet animalia testes fuerint per tot saecula inventionum multiformium et progressuum, immo licet homo ipse totiens conatus sit ea instruere, nihil profecerunt. Eorum progressus non est activus, sed mere passivus (tressura) proindeque *unilateralis* (i. e. in determinato aliquo genere actionum). Cf. Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même*, ch. V, n. 7).

Aliunde si supponeremus animalia agere reapse ex cognitis regulis artis et industriae, *sapientiora* prorsus essent dicenda hominibus, quia *statim* ab initio *perfecte* exequuntur varia opera sat complicata (cogita opera formicarum, castorum, apum,..).

PARS II. — IN FACULTATE INTELLIGENDI REPONENDA EST PRIMARIA HOMINIS A BELUIS DIFFERENTIA.

Concedimus quidem differentias nonnullas ab adversariis propositas constituere revera differentias *essentiales inter hominem et brutum*. Sed negamus illis rationem differentiae *primariae* convenire, nam:

1) exclusa evolutione intellectus ex sensibilitate, concedendum est intellectum in homine esse *facultatem principem*. — Quo concesso ulterius admitti debet ipsum praecise intellectum esse rationem, cur homo et organismum talem et non alium, et facultatem sentiendi ad exercitium vitae intellectualis accommodata habeat; proindeque ex *intellectu* ipso peti debere rationem *primariam*, qua homo differt a beluis — secus differentia specifica in minus perfecto poneretur.

2) a virtute intellectuali tamquam a ratione ontologica et radice ultima procedunt tum facultas loquendi, tum notitia Dei et legis moralis, tum progressus in indefinitum. Intellectu enim posito haec omnia necessario dantur; intellectu negato, haec omnia ruunt. Ergo intellectus constituit differentiam primariam, qua homo ab *animalibus brutis* differt. N.B.

SCHOL. I. — REGULAE TENENDAE IN SOLVENDIS OBIECTIONIBUS.

Quod attinet facta mirabilia ab animalibus brutis patrata et, quae videntur supponere intellectum, haec notanda sunt:

1. crisis facienda *factorum*, ut separetur *veritas nuda* a fabulis et interpretationibus anthropomorphicis (« critica historiae »).

2. cavendum generatim, ne conclusio fundetur in *unico* aliquo facto, sed ulteriores investigationes faciendae sunt, ut recte monent Morgan, Thorndike et alii. Potuit enim res illa casu evenire.

3. tentanda, quousque fieri potest, explicatio ope facultatum sensitivarum (instinctus, memoriae, associationis imaginum), ut iubet regula oeconomiae: non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

4. in specie: ludi exerciti in infantia animalium sunt motus instinctivi, qui fiunt ideo, ut facilitas in motibus necessariis ad vitam acquiratur, vegetatio melior fiat etc. — Similiter ope instinctus explicari possunt: possessio seu dominium alimenti (sive pro momento, quo animalia ipso utuntur, sive pro hieme collecti), «autonomia» (qua corporis proprii partes in periculo abscinduntur, ut vita conservetur), «adoptio» (sympatia socialis), etc.

Facultas *numerandi*, quae animalibus brutis quandoque adscribitur, non arguit facultatem intellectualem — qua reapse «numerarentur» *singula* membra alicuius seriei — sed sensitivas *perceptiones totales*, quibus videl. *alio modo* exhibentur animali vg. 5 membra alicuius seriei quam 2 membra.

OBIECTIONES.

1) *Qui aptat media ad finem, gaudet intellectu.*

A. Animalia bruta aptant media ad finem (v. g. simiae utuntur instrumentis et construunt ipsa). E.

R. Ds. Mai. — Qui aptat *formaliter* media ad finem . . . C. Qui aptat *materialiter* media ad finem . . . N.

Ctdst. min. — N. *cons.*

Expl. — Aptare «formaliter» media ad finem est eligere media ideo praecise, *quia* cognoscuntur *utiliora* ad finem, *qua talem*. Cognitio talis igitur supponit cognitionem formalem *relationis*. Porro talis cognitio certo deest brutis, ut patet ex argumentis nostris. Simiae utuntur spontanee instrumento tunc tantum, quando hoc instrumentum invenitur in eodem campo perceptionis sensitivae (praesertim visus) ac ipse finis obtinendus seu quando instrumentum apprehenditur simul cum fine in *una imagine totali*, proindeque quando instrumentum apprehenditur a sensibus tamquam continuatio *physica* finis.

2) *Elephas (« Hanno ») ab Emmanuele rege Lusitaniae destinatus Leoni Papae nullo modo voluit navem conscendere ita persuasus a suo Magistro iter aversante. Cum tamen fraude a rege detecta, Magister minatus a Rege exposuisset elephanti delicias itineris, honores Romae obtinendos, elephas statim mutato consilio navem conscendit.*

Rs. — Si sedulo distinxerimus *factum* nudum ad *interpretatione* huiusce facti, implicite introducta in narrationem (ipso delectu verborum, quae sonant intentionem, convictionem, reflexionem, aliaque id genus), habebimus substantiam facti valde simplicem: elephas prius non vult conscendere navim et postea conscendit. Fecit quidem hoc sub influxu imperii sui Magistri. At nihil nos cogit ad admittendum ab elephante ipsa signa *formaliter* sumpta esse intellecta. Sufficit influxus signorum mere *materialis* ope sensuum perceptus (vox materialiter sumpta, gestus oculorum, manuum etc.) simul cum associatione imaginum et memoria. — Si, dum ad canem humi prostratum dico: « Surge et docebo te mathesim », monstro ipsi simul farcimen, ipse utique surget et me sequetur — at ni fallor, non matheseos addiscendae gratia, sed farciminis comedendi!

3) *Elephanti cuidam simul cum fracto vase (ex quo comedere solebat) traditur mandatum, ut, si vult edere, afferat illud ad fabrum aerarium, qui illud reparet. Elephas exequitur imperium atque ad fabrum portat proboscide vas. Faber simulans se iam resarciisse vas reddit illud elephanti. Hic defert vas ad aquam vicinam illudque replet, ut videat, utrum vas probe sit refectum. At cum vidisset ex vase aquam perfluere, cum ira refert illud ad fabrum* (Ita narrat Iustus Lipsius).

Rs. — In facto a Lipsio (fautore Sensualismi Stoici) narrato multa reticentur: 1) ubi habitabat faber? Forte non longinque — quare sufficiebat monstrare elephanti directionem vel ipsa manu vel capite; 2) utrum prima vice portaverit elephas vas, an habitum iam habuerit portandi res (ut canis, qui constanter portat baculum domini sui); 3) utrum forte iam saepius viderit vasa fracta non tenere aquam, e contra resarcita tenere eam. Cum haec omnia prorsus reticeantur, ipsa *methodus* scientifica vetat nos *supponere* hypotheses *difficiliores*. Suppositis autem facilioribus, omnia plane explicantur ope facultatum sensitivarum.

4) *Bruta appetunt obiecta, prout sunt utilia, nam « avis colligit paleam non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum »* (*S. Th.*, I p., q. 78, a. 4 c).

Rs. — Alliud est appetere obiectum, *quod* est utile, et aliud appetere obiectum, *prout* est utile. In I casu attingitur utilitas —

hinc relatio medii ad finem — modo *concreto*, quod etiam sensibus convenit; in II casu autem attingitur utilitas — hinc relatio medii ad finem — modo *abstracto*, quod solius et intellectus. Avis colligit paleam non II sed I modo. (Cf. *th. de instinctu*).

5) *Siricius, dum aquam profundiorem transit, cortice arboris pro navi et cauda pro velo utitur. Ergo bruta cognoscunt proportionem medii ad finem.*

Rs. N. cons. — Siricius exequitur tantummodo opus *instinctus*. Aeque ac avis, dum volat in aëre, recte corpus et alas disponit, licet nunquam didicerit Physicam mechanicam, ita etiam instinctive perficiunt alia bruta opus natandi.

6) *Bruta (canes), dum quaerunt sibi nutrimentum, non quaerunt determinatum aliquod* individuum, *sed generatim* quodcumque *aptum sit ad comedendum. Ergo ducuntur non imagine* concreta — *quae est semper individualis — sed idea proprie* universali *nutrimenti sibi convenientis.*

Rs. Dst. Antc. — . . . . quodcumque habet qualitates sensibiles similes illis, quae in eorum *imagine* repraesentantur C. quodcumque respondet ideae *universali* seu definitioni « nutrimenti apti ad comedendum » N. — N. B. Obiectum formale visus non est: hic color ruber . . . sed *color* . . . Obiectum formale sensus communis est « sensibile ».

7) *Canis, si persequendo praedam pervenit ad trivium, et si duabus viis olfactu lustratis nihil deprehendit, statim viam tertiam ingreditur, quin eam olfaciat. Hic modus agendi optime explicatur ope ratiocinii: Praeda necessario fugit prima vel secunda vel tertia via. Atqui nec prima nec secunda. Ergo tertia.*

Rs. Dts. Antc. — . . . . viam tertiam statim ingreditur vel 1. quia statim *olfactu apprehendit* vestigia praedae in hac via *reapse* relicta, vel 2. quia lustratis in vanum duabus primis viis, *instinctu* iudicat neutram ex iis sibi sumendam esse et statim arripit tertiam C. Secus N.

Expl. — Factum ipsum de quo obiectio, non est absolute *certum*. At dato — non concesso ipso — adhuc res sufficienter explicari potest ope solius sensibilitatis, non tantum in hypothesi 1, (ut per se patet) sed etiam in hyphothesi 2.

Si animal fugiens persecutorem pervenit in trivium et in duabus viis invenit obstaculum v. g. homines stantes, tunc — ductus instinctu — derelicta utraque hac via tertiam statim arripit. Porro, quod in hoc casu *obstacula* sensibus observata praestant, id in casu, de quo obiectio agit, praestat *defectus vestigiorum* in utraque via observatus, quae *sola* eum ad persequendum praedam ducunt.

8) *Error invenitur formaliter in iudicio* intellectus *(non in idea simplici nec in imagine).*

A. Animalia bruta obnoxia sunt errori. E.

Rs. Dts. Mai. — Error *proprie dictus* . . . . C. error *improprie dictus* . . . . N.

Ctdst. min. — N. *cons.*

Expl. — Error opponitur veritati; hinc ibi *proprie* formaliter inveniri potest, ubi invenitur formaliter veritas. Porro veritas formaliter invenitur in iudicio intellectuali.

At etiam in sensibus internis adest analogon *erroris formalis*: propter defectuosa adiuncta externa etiam defectuosa oritur imago in sensu (v. g. homo in longinquo stans producit in cane imaginem *similem* ei, qualem dominus canis reapse consuevit producere in cane); consequitur falsa associatio imaginum et iudicium sensuum internorum falsum.

9) *Bruta possident virtutes morales (amorem, gratitudinem, obedientiam, fidelitatem).*

A. Virtutes morales supponunt intellectum. E.

Rs. Dst. Mai. — . . . . virtutes morales *proprie dictas* N. analogon virtutum moralium C.

Ctdst. min. — *N. cons.*

Expl. — Virtutes morales proprie dictae sunt illae, quae fundantur in *regula morum* cognita; hinc supponunt cognitionem *relationis* formalis, proindeque etiam cognitionem *abstractam.* Sed « virtutes » v. g. canis sufficienter explicari possunt per *passiones* sensitivas, habitus, memoriam et associationem imaginum.

Etiam « sacrificium vitae » in animalibus explicatur facilius per hoc, quod animalia aggrediuntur inimicum simpliciter, ut satisfaciant suae passioni, quin praevideant se in hac pugna mortem obitura.

10) *Dantur quaedam nationes barbarae sine ullo progressu reali. Ergo inter homines et bruta non adest differentia tam profunda, qualem thesis instituit.*

Rs. N. Antec. — Omnes nationes utuntur *quibusdam* instrumentis: igne, cultello etc. Ergo habent cognitionem formalem relationis medii ad finem.

E contra animalia etiam illa, quae totiens viderunt hominem in actu producendi ignem, non faciunt ignem.

Verum quidem est multas inventiones humanas deberi *casui*, at 1) multae inventiones factae sunt non ita, sed inquisitione et industria; 2) inventiones, quae casui debentur, requirebant etiam

usum intellectus apprehendentis in facto observato casu utilitatem, inquirentis causas eius, ut possit hoc factum ad libitum produci; quo fit, ut quod casu observatum est, expressum sit postea in formula quadam rationali et *lege* atque etiam paulatim perfectionatum.

11) *Forte animalia intellectum habent, sed vel in statu latenti sicut in infantibus vel in automatismum degeneratum.*

Rs. — Finalitati repugnat, ut per totam vitam in omnibus individuis alicuius speciei facultas *suprema* sit semper in statu latenti. — Unde plane apparet disparitas inter bruta et infantes. Haec enim acquirunt cum aetate etiam expeditum usum rationis.

Item finalitati contradicit, ut usus facultatis, quae necessario debuit esse animalibus *utilissima*, perierit.

Tandem secundum expressam evolutionismi ipsius doctrinam ratio degenerationis facultatum est earum *inadaptatio* ad conditiones novas vitae, in quibus animal fortuito ponitur. Sed intellectus, utpote facultas *universalis*, inadaptatione hac, ut ex terminis patet, laborare non potest.

THESIS XXII.

Admitti non potest systema Ontologismi, quod cognitionem intellectivam ex intuitu essentiae Divinae derivat.

1. St. Qu. — Multae ideae nostrae oriuntur — ut communiter est notum — ex ideis anterioribus ope variarum operationum mentalium, de quibus ex professo tractat Criteriologia, dum in « fontes » cognitionis humanae inquirit. — At, ut evidenter patet, impossibile est, ut *omnes* ideae ex anterioribus sint derivatae; adesse necessario debet certus numerus idearum, quas mens sibi acquirit non mera « derivatione », sed alia via, et quae non immerito « primitivae » seu etiam « primigeniae » dicuntur. — Pars Philosophiae, quae origine harum idearum occupatur, vocari solet « Ideologia ».
Ut omnis via confusioni praecludatur, sedulo statim monemus, nos in thesi praesenti minime agere de « valore » idearum primitivarum, sed unice de « via », qua intellectus noster eas sibi acquirit; quam etiamsi quis plane ignoraverit, non ideo incertus iam evaderet cognitionis nostrae valor a Criteriologia vindicatus.

2. Idea. — Idea apud Scholasticos veteres significabat consuete « ideam exemplarem » rei in mente *artificis* (Cf. S. Th. *Quaest. Disp.*, *De ideis* a. 1); raro tantum nomen ideae adhibebatur ad designandam notionem ordinis mere speculativi seu *theoretici.* — Scholastici tamen recentiores utuntur voce « idea » indiscriminatim ad significandam *quamcumque* repraesentationem mentalem (aeque practicam ac theoreticam) quidditatis rei.

3. Divisiones ideae. — Intellectus humanus dicitur habere ideas « in actu secundo » vel « in actu primo » dependenter ab hoc, utrum intellectus consideratur in ipso *actuali* exercitio intelligendi quidditatem repraesentatam per speciem eum informantem an non (quando intellectus *nondum* est specie intelligibili informatus, nondum utique est locus *ideae*).

Intellectus dicitur habere ideas physicas, mathematicas, metaphysicas, prout eas acquisivit abstractione physica, mathematica, metaphysica. (Cf. thesim XIX).

4. Ontologismus. — Nomen « Ontologismi » (a Gioberti primo inventum), quod opponitur nomini « Psychologismi », significat theoriam, secundum quam idea non est modificatio *animae* (« psyche »), sed realitas quaedam obiectiva ab anima distincta (« τὸ ὄν »); cognitio igitur fit sine intermedio formarum repraesentativarum, per directam videl. intuitionem obiecti praesentis.

Si quaeris: quidnam sit haec realitas intelligibilis (obiectum), respondent: Deus ipse; non quidem in *essentia* sua, sed in suis attributis. Deus — ita rem explicant — qui est lumen omnis intellectus, est ita nobis praesens, ut in ipsum immediate seu nulla interposita specie (forma) creata, perpetuo intuitus mentis nostrae feratur. Hac immediata praesentia attributorum Dei manifestantur nobis immutabilia rerum archetypa, quae in Deo adsunt, et in quae semper fertur mens nostra, quotienscumque essentias universales cogitamus.

5. Rationes Ontologistarum. — 1) Si cognitio asseritur fieri per imagines (species) *subiectivas*, tunc cognitione non res ipsae, sed tantum *modificationes subiectivae* attinguntur, ac proinde in *subiectivismum labimur.*

2) Quidditates rerum, quae sunt obiectum intellectus nostri, insignitae sunt charactere *immutabilitatis* et *necessita-*

tis. — Porro character immutabilitatis et necessitatis non invenitur nisi in ente immutabili et necessario. Sed ens immutabile et necessarium non est nisi Deus. Ergo in ipso Deo menti nostrae praesenti quidditates rerum contemplamur. Aliis verbis, universalia a Deo realiter non distinguuntur (hoc plurimi Ontologi explicitis verbis affirmant).

Quod si obiicies ipsis: « Huius intuitus Divinitatis nemo nostrum conscius est », respondebunt tibi distinguendo duplicem intuitum: a) *directum,* b) *reflexum.* — Directus numquam quidem interrumpitur, at est maxime confusus atque adeo non subiacet *conscientiae.* Quando autem intuitus hic fit reflexus (ad quem mens excitatur sive cognitione sensibilium sive — ut volunt Ontologistae, qui principiis Traditionalismi favent — magisterio sociali), tota attentio animae adeo figitur in determinata aliqua *parte* intuitus directi (quae sola percipitur clare) atque eo adeo absorbetur, ut iterum conscientia intuitus Divinitatis fiat impossibilis.

Intuitum directum et reflexum

6. Conspectus historicus. — *Malebranche,* dum cum ardore Sensualismum Lockii expugnat, ipse in extremum oppositum incidit: tollit e medio omnes prorsus *species* cognoscitivas.

Infinitum — ita incipit suum ratiocinium — non potest exhiberi ope « speciei »; species enim finita, limitata, imperfecta non potest comprehendere in se Ens Infinitum, in suis perfectionibus prorsus illimitatum. Sed si illud non comprehendit, neque illud repraesentare potest. Deum igitur non ope speciei sed *immediate in se ipso* cognoscimus.

Malebranche

Porro quia Deus continet in se archetypos omnium rerum creatarum, ideo dum Deum immediate intuemur, intuemur eo ipso etiam hosce archetypos et in iis *essentiam rerum* finitarum. Ita Deus ipse — et non species qualiscumque — est pro nobis *medium* ad cognoscendas essentias rerum (*De la Recherche de la vérité*, livre III, 2e partie, chap. VII, n. 2).

Gioberti. Ordo psychologicus — ait — debet respondere ordini ontologico. Sed « primum » in ordine ontologico est Deus. Ergo etiam in ordine psychologico « primum » est Deus. Unde celebris formula: *Primum psychologicum est primum ontologicum.* Hoc ipsum constituit *primum philosophicum.*

Gioberti

Quia autem Deus attingitur per intuitionem (perennem), uti est, est autem *creans* mundum, intellectus intuetur simul etiam immediate — at confuse tantum — ipsum mundum.

Praeter hanc immediatam sed confusam intuitionem, datur alia: mediata, reflexa, clara, quae fit ope *vocabulorum*.

Rosmini in opere suo postumo « Theosophia » docet: causa et fons omnium cognitionum nostrarum est *idea entis* abstractissimi. Eam ulterius ita explicat, ut eam tandem cum ipso Deo confundat.

Henricus *C. Maret*, prof. Sorbon. et deinde episcopus, Ontologismum cum Traditionalismo coniungere conatur. — Nullus syllogismus — ait — nos ad ideam Entis Infiniti ducere potest: idea igitur haec non est a nobis alia via acquisita nisi immediata Dei perceptione. Attamen fit nobis *conscia* demum per actionem *socialem*, instructionem et loquelam.

Similem Ontologismum etiam *Alphonsus Gratry* tenuit. Quo facilius pantheismum Hegelianum ex theoria « identitatis » fluentem expugnaret, omnem deductionem syllogisticam e medio sustulit eiusque loco aliam methodum: *inductivo-dialecticam* posuit, qua ex rebus finitis, nullo interveniente *termino medio*, statim ad Ideam Infiniti ascendimus. Ut tamen methodus haec adhiberi possit, adesse debet in homine « prima conditio moralis » scil. « sensus Divinus » i. e. influxus Boni infiniti ad Se attrahentis animam.

Ontologismum — iunctum cum Traditionalismo — docent in Gallia *Fabre*, *Rothehflue*, *Brancheron*, *F. Hugonin*; in Belgio *Moehler*, *Laforet*, *Claesens* et praesertim *Ubaghs*.

Probatur thesis.

Arg. I. — Si Deum intuitione immediata cognosceremus, conceptus noster de Deo esset *proprius*.

A. Conceptus noster de Deo non est proprius.

E. Deum intuitione immediata non cognoscimus.

Prob. Mai. — Si conceptus noster v. g. Sapientiae Divinae haustus esset reapse non ex rebus creatis sed *directe* ex Deo, deberet necessario exprimere in formali sua ratione *totam* Dei essentiam sicuti est. In Deo enim perfectio omnis unita est in summa identitate reali cum omnibus aliis perfectio-

nibus Divinis, quae eius essentiam (physicam) constituunt ita, ut qui vel unam Dei perfectionem directe, seu prout est in se, attingit, eo ipso Deum, ut est in se, cognoscat.

Min. patet ex eo, quod 1) nomen v. g. « Sapiens » significat Deum ac si esset *qualitative* (et non per *subsistentiam*) sapiens.

2) multa attributa divina — etiam illa, quae designant realitatem maxime positivam — v. g. *Infinitas*, *Immensitas* etc. concipiuntur a nobis essentialiter ope *nagationum* (« attributa negativa »); quod clare ostendit nos *primo* formare conceptum rei finitae, quantitative mensurabilis, et demum postea via *negationis* et *excellentiae* conceptum attributi Divini formare (« conceptus analogus »).

Si dicis: Argumentum hoc valet de cognitione Dei *reflexa* et *distincta*, non autem de visione Dei *directa*, quae solas ideas universales continet. *Rs.* Ergo sola cognitio *reflexa* et *distincta* dat mihi ideam *Dei*, quia sola haec cognitio permittit nobis distinguere Deum ab omni alia re. « Cognitio directa » nonnisi cognitionem universalium mihi praebet.

ARG. II. — Si Deum intuitione immediata cognosceremus, tunc 1. cognitio nostra de Deo esset perfecta, 2. redderet nos beatos, 3. praeservaret nos ab erroribus circa existentiam Dei.

A. Falsum consequens.

E. Et antecedens.

Prob. Mai. — Ad 1) *a*) Si Deus esset reapse primum obiectum intellectus nostri, immo fundamentum omnis scientiae, esset, ut patet, obiectum omnium obiectorum clarissime cognitum.

b) Quia in Deo nulla adest compositio, eo ipso, quod quis Dei vel *unam* perfectionem directe (seu in se) attingit, necessario totum Deum, ut est in se, attingit.

Ad 2) Si omnis cognitio veritatis (utpote satisfactio facultatis operativae) affert semper aliquod tandem gaudium, cognitio essentiae Dei — plenitudinis omnis veritatis — necessario summam felicitatem afferret. Insuper homo dum cognosceret intuitive Deum, necessario apprehenderet infinitam eius *amabilitatem*; unde in cognoscente oriretur raptus amoris intensissimi, summe beantis.

Ad 3) cognitio *intuitiva* excludit possibilitatem erroris, circa existentiam rei, quae ita cognoscitur — ut patet intelligenti terminos.

Min. — Patet ex experientia nec ab adversariis negari potest.

ARG. III. — Ontologismus falsis fundamentis nititur. Fundamenta Ontologismi sunt:

1) Universalia non distinguuntur realiter a Deo.

2) Idea Dei — entis Infiniti — non potest haberi ex rebus finitis; praecedere debet notionem entis finiti.

3) Ideae psychologicae ducunt ad subiectivismum.

A. Haec fundamenta sunt falsa — *E.*

Prob. min. Ad 1) Universalia nec quoad *formam* (rationem *universalitatis*), nec quoad *materiam* realiter identificari possunt cum Deo. Non quoad *formam* — haec enim non existit, *qua talis*, nisi in intellectu humano, ut probatum est alibi. — Non quoad *materiam* — secus Deus esset formaliter homo, canis etc. —

Nec iuvat ad *necessitatem*, quam ideae universales praeseferunt, appellare. Haec enim necessitas non est necessitas in ordine *existentiae* realis sed in ordine *intellectionis* (Cf. *Tract. de Universal.*).

Ad 2.) Verum quidem est ex rebus finitis non posse hauriri ideam *propriam* entis Infiniti; at prorsus negandum est nec ideam *analogicam* entis Infiniti ex rebus finitis haberi posse. Reaspe — teste experientia — primo cognoscitur a nobis res finita, at non sub formali conceptu rei *finitae*, sed *positivae* alicuius realitatis; deinde sive comparando eam cum aliis rebus sive concipiendo possibilitatem maioris perfectionis in ea, intellectus apprehendit eam sub formali ratione rei *finitae*. Tandem *negando limites* rei pervenit ad notionem analogicam *infiniti*.

Ad 3) Assertio Ontologorum vera esset, si ideae nostrae assererentur *medium quod* in intelletione, vel si ideae nostrae affirmarentur *innatae* (cf. thesim X, XXII).

ARG. IV. — Praeter haec argumenta specialia afferri potest ad thesim praesentem probandam argumentum gene-

rale ex *obiecto* proprio intellectus desumptum (cf. thesim praec.).

Coroll. — Ergo ad cognitionem intellectualem necessaria est *species intelligibilis.*

OBIECTIONES.

1) *Ordo logicus debet respondere ordini ontologico.*
A. Deus est primum in ordine ontologico.
E. Etiam in ordine logico.

Rs. Dst. Mai. . . . . ordini ontologico hoc sensu, ut subiecto non *attribuantur* ab intellectu praedicata nisi illa tantum, quae ei *reapse* conveniunt C, ut subiecto attribuantur praedicata ab intellectu necessario *eodem ordine* temporali, quo subiecta haec in existentiam veniunt N.

Etiam cognitio « quia », in qua causa cognoscitur ex *effectu*, est vera cognitio, ut alibi ostenditur.

2) *Si cognitio nostra fit per species intelligibiles, cadimus in psychologismum et subiectivismum.*

Rs. Dst. Antc. — Si cognitio nostra fit per species intelligibiles tamquam *per medium quod* . . . . C. . . . . tamquam per medium *quo* vel in *quo.* Sbds. . . . cadimus in psychologismum *proprie dictum* seu psychologismum, qualem Idealistae absoluti tenent (qui omnem realitatem praeter actus subiectivos, cognoscitivos negant) N.; in psychologismum *improprie dictum*, qualem videl. philosophia Aristotelico-Scholastica defendit C.

3) *Ut ens contingens cognoscatur, cognosci debet prius ens absolutum.*

Rs. Dst. assert. — Ut ens contingens cognoscatur *simpliciter* (seu tamquam positiva quaedam realitas), cognosci . . . . N. — Ut cognoscatur *formaliter tamquam ens contingens*, cognosci debet ens absolutum Sbds. . . . cognosci debet ens absolutum *explicite* N.; explicite vel *implicite* (quod habetur per hoc, quod ens contingens cogitatur tamquam ens, quod ab *aliquo* alio *suum* esse accepit) C.

4) *Deus est intime praesens intellectui nostro. Ergo cognosci potest directe.*

Rs. Dst. Antc. — . . . nostro per modum *obiecti* intelligibilis N. per modum *causae* creantis et conservantis intellectum C.

Exlp. — Deus ratione Immensitatis suae est quidem praesens etiam in intellectu; at non est ibi praesens per modum obiecti intelligibilis. Hoc enim debet esse proportionatum facultati. Porro Deus — Intelligibile subsistens — *excedit* facultatem humanam.

5) *Deus dicitur veritas prima.*
A. Veritas prima, ut terminos intelligenti patet, cognoscitur prae omnibus aliis. E.

Rs. Dst. Mai. — . . . veritas prima in *ordine ontologico* C. in ordine logico Sbds. absolute et in se C, *pro nobis* Sbds. quatenus est *causa* nostrae cognitionis C, quatenus est *obiectum* cognitionis nostrae N.

Ctdst. min. — N. *cons.*

6) *Deus, utpote finis hominis ultimus, debet appeti ante omnia.*
A. Ut possit ante omnia appeti, debet ante omnia cognosci. E.

Rs. Dst. — . . . debet appeti ante omnia *appretiative* i. e. tamquam obiectum summi valoris C. . . . . debet appeti ante omnia *temporaliter* i. e. prius quam cetera omnia Sbds. appetitu *naturali* C. . . . appetitu *elicito* Sbds. *confuso* « et in quadam generalitate, prout mens appetit se bene esse et bene vivere » (S. T., *In Boeth.*, q. I, a. 3, ad 4) C *distincto* Sbds. si Deus infundit animae humanae modo praeternaturali cognitionem sui ante alias res C, secus N.

Ctdst. min. — N. *cons.*

7) *Unaquaeque res est intelligibilis per id, per quod est actu.*
Id, per quod unaquaeque res est actu, est Deus.
E. Unaquaeque res est intelligibiles per Deum.

Rs. Dst. Mai. — . . . . per quod est actu tamquam per causam *formalem* (constitutivam) C. per quod est actu tamquam per causam *efficientem* Sbds. *proximam* C etiam *remotam* Sbds. si agitur de *plena* (adaequata) intelligibilitate rei C, si agitur de intelligibilitate *simpliciter* rei N.

Ctdst. min. — N. *Cons.*

8) *Cognitio humana incipit ab eis, quae sunt simpliciora, ut paulatim ascendat ad ea, quae sunt magis complicata.*
E. Incipit a Deo, qui est ens simplicissimum (ut Theodicea docet).

Rs. Dst. Antc. — . . . . quae sunt *simpliciora relative* i. simpliciora quam caetera omnia, quae comprehenduntur *eodem obiecto formali* intellectus humani C, . . . quae sunt *simpliciora absolute* N.
N. *cons.*

9) *Non potest cognosci finitum, contingens, relativum, caducum, mutabile, etc., nisi cognoscatur infinitum, necessarium, absolutum, aeternum, immutabile, etc.*

Ergo non potest quidquam cognosci nisi cognoscatur Deus.

Rs. Dst. Mai. — Non potest cognosci id, *quod* est finitum etc. (seu finitum materialiter, finitum specificative) . . . . N; non potest cognosci *finitum, qua finitum* (seu finitum reduplicative) nisi cognoscatur infinitum, Sbds. nisi cognoscatur *tempore prius* N, *natura* prius Sbds. nisi cognoscatur natura prius *infinitum extensionis* (seu ens in communi, ens maxime indeterminatum) Tr. vel C. (cognitio nostra intellectualis, ut alibi probatur, reapse incipit ab universalissima notione entis, quae est simul maxime confusa et indeterminata) . . . . nisi prius cognoscatur *infinitum comprehensionis* (seu infinitum determinationis, quale est Deus) Sbds. non potest cognosci *adaequate* finitum, nisi cognoscatur infinitum comprehensionis C., non potest cognosci *simpliciter* N. (Ut simpliciter cognoscatur aliquid qua finitum, sufficit, ut apprehendatur in ea sive *defectus* perfectionis illius, quam habent res aliae, sive *possibilitas maioris* perfectionis).

10) *Quod primo a nobis cognoscitur,* est ens, *quod omnia participant.*

A. Ens, quod omnia participant, est Deus.

E. Quod primo a nobis cognoscitur, est Deus.

Rs. Dst. Mai. — . . . . quod omnia participant *formaliter* seu tamquam *formam communem*, quae in omnibus (licet diverso modo) intrinsece invenitur C . . . . quod omnia participant *efficienter* seu tamquam effectus suam causam productricem N.

Ctdst. min. — N. *cons.*

11) *Intellectus humanus non potest universalia cognoscere nisi videat ideas ipsius Dei.*

Probo. — *Omnia entia praeter Deum sunt mutabilia, contingentia, caduca. Ergo universalia — quae sunt immutabilia, necessaria, aeterna — non possunt cognosci in ipsis.*

Rs. — N. *antec.*

Dst. Prob. — . . . . sunt mutabilia, contingentia, caduca secundum *existentiam* C. secundum essentiam, quae abstrahitur a conditionibus existentiae (abstractione totali) N.

THESIS XXIII.

Systema idearum innatarum multis de causis reiciendum est.

1. Notio systematis idearum innatarum. — Sola vocis *etymologia* considerata, etiam Ontologismus vocari posset « systema idearum innatarum » ; nam intuitio Dei, quam Ontologismus intellectui humano adscribit, nullo modo est activitate illius, qui Deum intuetur, *acquisita*. Attamen *usus* praevaluit, ut vox « idea innata » restringeretur ad significandas illas tantum ideas « non-acquisitas » quae sunt proprie *affectiones ipsius subiecti cognoscentis*, et quae ideo vocari solent « ideae psychologicae ». Quare spectato *usu* communiter recepto systema idearum innatarum apprime ab Ontologismo distinguitur. Consequenter pro Innatistis illi soli censentur, qui ideis *psychologicis admissis*, affirmant eas non posse esse activitate nostra propria *acquisitas*, sed debere esse nobis cum natura datas seu nobis *innatas*.

Hoc caput doctrinae *commune* est *omnibus* Innatistis ; in ulteriori tamen explicatione sui systematis Innatistae in varias abeunt partes, ut patebit ex conspectu historico.

2. Conspectus historicus.

Plato: Omnia obiecta experientiae *sensibilis* sunt mutabilia et destructibilia, dum multae realitates, quas intellectu percipimus, sunt immutabiles et indestructibiles. Quare praeter mundum sensibilem admittendus est insuper mundus suprasensibilis, sic dictus τόπος νοητός (locus intelligibilis), continens in se intelligibilia seu ideas aeternas et universales, quae sunt archetypi et mensura rerum sensibilium. Dum de rebus sensibilibus iudicamus (v. g. eas esse aequales, bonas, iustas etc.), secundum hosce praecise typos superiores (aequalitatis, bonitatis, iustitiae etc.) iudicamus ; resque sensibiles eo perfectiores aestimamus, quo propius accedunt ad perfectionem horum typorum seu idearum absolutarum, aeternarum, necessariarum.

Quia multa talia iudicia cum omni certitudine formamus inde *ab infantia* ipsa et antecedenter ad quamcumque *instructionem* in schola receptam, admittendum est hasce ideas esse homini in nativitate ipsa datas : animae videl. nostrae

— ita rem ulterius explicat Plato — dum vitam separatam in astris agebant (« praeexistentia animarum »), contemplabantur hasce ideas; postea tamen, dum (in momento generationis corporum humanorum) in corpora haec quasi in ergastula detruduntur, cognitio harum idearum in eis consopitur et manet consopita, donec animae excitationem ad cogitandum recipiant a sensationibus, quae, utpote quaedam participationes deficientes idearum archetyparum, in memoriam revocant animae ipsa archetypa (« scientia–recordatio »)!

Systema Platonis vocari solet communiter « Idealismus ». Appellatio haec debetur nomini εἰδή, quo Plato archetypa designavit.

Ut ex dictis apparet, systema Platonicum est « systema idearum innatarum » genuinum, si spectatur origo idearum nostrarum in hac vita *terrestri*. At dici potest etiam Ontologismus, si considaratur *prima* origo idearum nostrarum, quae videlicet locum habuit in vita animarum *metempirica;* haec enim origo explicatur per immediatam visionem archetyporum (cf. *Phaedon*, 75 c, 100 d, 120; *Menon*, 86; *Sympos.*, 211 b; *Tim.*, 51 d, 52 a, 72 a; *Parmen*, 132 d; *Republic.*, 507 b; *Phaedr.* 247 c).

Chartesius. Ideae sunt « aliae *innatae* [v. g. idea rei, cogitationis, veritatis, Dei], aliae *adventitiae* (v. g. « quod nunc strepitum audiam, solem videam, ignem sentiam »), aliae a me ipso factae » [« Syrenes Hippogryphes »] Med., III, 40.

Quo sensu intelligendae sint *ideae innatae*, Cartesii multum controvertitur. Ipse quidem obiectionibus adversariorum pressus affirmat ideas innatas non esse quid diversum ab ipsa *facultate* cogitandi; easque eodem sensu a se vocatas esse « innatas, naturales », quo generositas vel podagra dicuntur innatae, naturales membris alicuius familiae (infantes non veniunt cum *actuali* generositate vel podagra, sed cum sola *dispositione* ad eas contrahendas!) (*Epist.* XXXVIII, ed. Garnier, vol. IV, pag. 85; cf. etiam *Med.* III, V, *Resp. ad I. Obiection., Notas in Progr. Belg.*)

At haec explicatio, nostra quidem opinione, non salvat Cartesium ab innatismo; nam:

Ideae, quae sunt in quaestione, intelliguntur formales *repraesentationes* rerum seu conceptus *obiectivi* (cf. *Resp. ad I. Ob.*)

Porro hi praecise conceptus obiectivi secundum Cartesium producuntur tamquam a causa adaequata a *sola virtute interna intellectus* (res externae sunt pro intellectu tantum mera *occasio*).

Dum dicit: ideae continentur virtualiter in intellectu, per hoc plus asserit, quam: « continentur potentia, quatenus ex datis sensibilibus intellectus format sibi ideas ». Hoc enim esset Aristotelismus, quem praecise Cartesius explicite expugnat (*Discours*, IV partie, Adam et Tannery, t. VI, pag. 37).

Cartesiani ita communiter mentem Magistri sui explicant: tantum *supremae* ideae ordinis *metaphysici* sunt innatae; reliquae omnes sunt vel *adventitiae* i. e. ex experientia haustae (ideae physicae et mathematicae) vel *factitiae* i. e. a nobismetipsis factae seu compositae ex pluribus ideis (sive innatis, sive adventitiis, sive ex utrisque).

Ideae innatae, etsi non hauriantur ex experientia, dependent tamen ab ea quoad *usum*, quatenus videl. anima non potest per eas *actu* intelligere nisi sensationibus stimuletur.

Argumentum, quo Cartesiani existentiam idearum innatarum probant, hoc fere est: Cogitatio constituit essentiam mentis humanae. *Ergo* cogitatio non potest numquam menti deesse. Sed cogitatio fit ope idearum. Ergo ideae semper in mente adsunt a primo momento existentiae mentis. Sed a primo momento existentiae mentis non possunt in ea adesse ideae acquisitae. Ergo sunt in ea ideae *innatae*.

Leibniz: nulla creatura potest in aliam influxum causalem exercere (« monas non habet fenestras »); quare et anima non a rebus externis, sed *a se ipsa* cognitiones suas omnes evolvit. Quod autem hae cognitiones — omni ex parte immanentes — reapse correspondent obiectivo statui rerum externarum, hoc provenit ex s. d. « harmonia praestabilita » (*Monadol.*, ed. Erdm. II. pag, 705 sqq.).

Rosmini: impossibile est, — ait — ut omnes ideae nostrae sint acquisitae. Acquisitio enim idearum fit iudicio aut abstractione. Sed iudicium ut tale praesupponit *ideas*; abstractio autem versatur circa obiectum *praecognitum*, hinc etiam supponit semper aliquas ideas.

Sed *quaenam* sunt ideae innatae? Respondet Rosmini: illae, quae *necessariae* sunt ad reddendam rationem existentiae cognitionum in nobis, nam natura non deficit in neces-

sariis. Porro talis est certo idea *entis*, nam ipsa, ut analysis cognitionum nostrarum nos docet, in omnibus ideis continetur, nec sine ea possibilis est ulla idea. Quare omnis cognitio humana duplici constat elemento: 1) uno a *priori* et formali, quod est idea *entis*; 2) altero a *posteriori* et materiali, quod sunt determinationes sensibus oblatae. (Cf. Nuovo saggio sull'origine delle idee, vol. III, 1850, pag. 7 sqq).

Probatur thesis.

Arg. I. — Ex sequelis innatismi: ex innatismo sequitur logice Idealismus. —

Si obiecta externa non producunt ullo modo formas intelligibiles, quas iudicando hisce rebus applicamus, haec applicatio regitur autonomia intellectus fundata in subiectiva eius organisatione.

Nec consequens hoc evitare possunt adversarii asserendo *res externas stimulare* ad intelligendum (per ideas innatas). « Stimulatio » enim talis tunc locum habere potest, si ideae a Deo immediate animae datae carent ultima quadam determinatione eamque a corporibus externis accipiunt. Porro hoc ultimum admittere adversarii non possunt, quin eo ipso destruant totum suum systema, nam eandem difficultatem involvit derivatio *ultimae determinationis* (actualitatis) ideae ex experientia, ac derivatio ipsius ideae ex experientia.

Arg. II. — Dato systemate idearum innatarum non bene intelligitur:

1) cur deficiente aliquo sensu privemur prorsus invitabiliter idea propria *sensibilis*, huic sensui correspondentis v. g. caecus a nativitate non habet ideam propriam coloris. Nec valet ad solvendam hanc difficultatem dicere: sensatio est necessaria, ut intellectus determinetur ad *utendum* suis formis innatis. Nam sensatio, utpote actus potentiae sensibilis, nequit ad actum determinare *intellectum* (argumentatio analogica illi, quae in th. X, parte II. invenitur).

2) cur obiecta immaterialia, quotquot cognoscimus, involvant semper intrinsece elementa, quae ope experientiae sensitivae hausta sunt. (Conceptus negativi et analogici).

Arg. III. — Qui intellectui nostro *quasdam* ideas innatas attribuit, debet asserere — saltem si secum cohaerere vult — innatas esse *omnes* nostras ideas rerum sensibilium.

A. Consequens est falsum.

Ergo et antecedens.

Min. patet ex experientia interna nec ab adversariis in dubium vocatur.

Ad Mai.: Rationes, propter quas adversarii intellectui nostro quasdam ideas innatas attribuunt, petuntur:

1. ex ipsa *natura* intellectus, qui cognitione, hinc *idea* aliqua constitui dicitur.

2. ex ipsa *exigentia naturali*, ne intellectus existat privatus suo *intelligibili proprio.*

3. ex *impossibilitate derivandi* ab obiectis experientiae quidditatem universalem et necessariam.

Atqui hae rationes, si *quidquam* probant, probant *etiam* innatas esse *omnes* ideas rerum sensibilium. Ergo. —

Prob. min. per partes:

Ad 1. Idea, quae *constituere* dicitur intellectum, absque dubio illa erit, quae *primo et per se* attingit obiectum *proprium* intellectus.

Atqui idea, quae *primo et per se* attingit obiectum proprium intellectus, est *sola et omnis* idea quidditatis rei *sensibilis.* Ergo. —

Ad 2. Res evidens est. *Intelligibile* enim proprium intellectus humani est *quidditas* rerum sensibilium.

Ad 3. Res etiam patet. Eadem enim impossibilitas *aequo modo* ad omnes conceptus *universales* rerum sensibilium se extendit.

Arg. IV. — Systema idearum innatarum *falsis suppositis* nititur, scil.:

1. animam esse purum *spiritum* eiusque cum corpore coniunctionem non esse naturalem ac proinde in bonum animae, sed poenalem et in detrimentum. (Plato).

2. *Cartesius*, dum dicit ideas esse eo sensu innatas, quo v. g. generositas vel podagra in quibusdam familiis (art. 12, *Progr. Belg.*, a. 1647), intelligit aut solam *facilitatem* subiectivam comparandi nobis ideas aut *habitum* animi, ex quo nascuntur ideae.

Atqui si I, ideae iam vere sunt *adventitiae*, non innatae! Si II, statim ab ipso hominis ortu *ideae* actuales in mente adessent (habitus enim hic non potest esse mera *potentia*!)

3. *Leibniz* superstruit suum systema idearum innatarum in hoc: nulla monas potest in aliam influxum exercere in eaque impressionem producere; monas « non habet fenestras »; accidentia non possunt ex uno subiecto in alium transire (cfr. *Monadologie*, n. 7; *Syst. nouv.*, n. 13, 14 etc.). Porro has rationes nullius esse momenti alibi ex professo ostenditur.

4. Fundamentum totius systematis *Rosmini* est: ideam entis — universalis, necessari, aeterni, infiniti — non possumus ope abstractionis ex rebus contingentibus abstrahere; abstractio non potest exerceri nisi circa obiectum *praecognitum*. Porro hoc fundamentum esse falsum patet ex notione abstractionis s. d. *totalis*.

Insuper nec verum est ideam entis, ut sic, posse explicare originem aliarum idearum. — *Probo*: Ut ex idea entis, ut sic, producantur notiones inferiores, idea entis — quae est indeterminata — debet determinari aut *a*) *evolutione* sui ipsius aut *b*) *sensatione*.

Atqui neutrum fieri potest. Ergo: —

Prob. min. Ad *a*) Ex idea *minimae comprehensionis* non possunt per simplicem evolutionem ideae *maioris* comprehensionis haberi (ut patet ex princ. caus.).

Ad *b*) Cum idea entis sit in *intellectu*, sensatio autem in *organo* materiali, non potest, ut patet, idea entis determinari formaliter *sensatione* ita, ut inde *unus conceptus totalis* oriatur.

Si dicis: In intellectu oritur species intelligibilis *obiecti sensibilis* determinati. Rs. Eadem ratione potest oriri etiam ratio *entis*.

OBIECTIONES.

1) *Homo rudis interrogatus dat recta responsa ad quaestiones, quas ipse sincere putabat ignorare.*

A. Hoc factum non potest explicari nisi admittantur ideae innatae (quae interrogatione nonnisi excitantur) Ergo. (Ita Plato).

Rs. Mai. — . . . . dat *semper* recta responsa . . . . N *saepe* Sbds. ad illas quaestiones, quae *nullum* nexum evidentem habent cum ideis *iam* ei notis N. ad illas quaestiones, quae *obvium* nexum habent cum ideis ei notis Sbds. dat recta responsa formaliter

quia ipso modo interrogandi *adiuvatur* ad efficiendum ratiocinium, quod eum ducit ad novas conclusiones (vel quia inepto modo interrogandi ei responsum datur: hineinfragen !) C. Secus N. (Cf. *S. Th.*, p. I, q. 84, a. 3 ad 3).

CTDS. MIN. — N. *cons.*

2) *Cogitatio est proprietas essentialis intellectus humani.*

A. Proprietas essentialis intellectus humani ne per momentum quidem deesse ei potest.

E. Cogitatio ne per momentum quidem deesse potest intellectui — proinde statim a primo instanti existentiae eius adest.

DST. MAI. — *Facultas cogitandi* est proprietas essentialis intellectus humani C. Cogitatio *actualis* est . . . . N. vel SBDS. . . . . si praesto sunt omnes conditiones necessariae ad cogitandum C, secus N.

CTDS. MIN. — N. *cons.*

3) *Homo naturaliter — hinc semper a primo instanti suae existentiae — appetit beatitudinem.*

A. Qui appetit beatitudinem, eam necessario etiam actu cognoscit.

E. Homo naturaliter — hinc semper a primo instanti suae existentiae — actu cognoscit.

RS. DST. MAI. — Homo . . . appetit beatitudinem *appetitu naturali* C. appetitu elicito, SBDS.: *sensitivo* TR., intellectivo SBDS., quando facultas intellectiva sufficienter evoluta actu *bonum, qua tale,* apprehendit C. Secus N.

CTDS. MIN. — N. *cons.*

4) *Homo dicitur « imago Dei » ratione intellectus.*

A. Non posset ita dici, si intellectus eius non esset actus sed mera potentia. E.

RS. DST. MAI. — Homo dicitur imago Dei imperfecta, analogica C., perfecta, propria N.

CTDS. MIN. — N. *cons.*

5) *Ideae sunt immateriales (universales, aeternae).*

A. Ideae immateriales non possunt haberi ex rebus sensibilibus. E.

RS. DST. MAI. — . . . . immateriales *subiective* seu in sua entitate physica C., immateriales *obiective*, SBDS. immateriales hoc sensu,

quod exhibent per se obiecta positive immaterialia N. . . . immateriales hoc sensu, quod exhibent obiecta *praecisive* immaterialia C. (cf. th. XIX, 3).

6) *Omnibus fatentibus, insunt hominibus a natura ipsa inscripta principia prima sive ordinis speculativi sive practici (moralis). E.*

Rs. Dst. Antc. — . . . . inscripta hoc sensu, quod a facultate intellectiva a natura homini data *obviis ratiociniis acquiruntur* C., inscripta hoc sensu, quod a natura *infunduntur* ipsae *species* intellectivae N.

7) *Experientia teste sensus potius obsunt quam prosunt in notionibus immaterialibus acquirendis.*

Rs. Dst. Antc. — . . . . potius obsunt quam prosunt . . . *per se* N., per *accidens* C.

Sensus, ut alibi iam rem explicavimus, sunt ratione sui utiles, immo *necessarii* ad conceptus comparandos; at si quis *male eis utitur* (puta, si quis vult construere ideas abstractas exacte *secundum modum* sensibilem), possunt nocere (per accidens!).

8) *Si non dantur ullae ideae innatae in intellectu, intellectus existit per aliquod tempus tamquam potentia.*

Rs. Mai. — . . . . tamquam *pura potentia* in ordine entis (qualis est materia I, prout est distincta a forma) N. . . . tamquam *pura potentia* in ordine cognitionis C.

THESIS XXIV.

Admitti non potest systema Traditionalismi.

1. Traditionalismus. — 1. Traditionalismus ortus est in acerrima controversia, quam suscitavit Rationalismus circa Revelationem divinam. Si Rationalistae peccaverunt hic per defectum — tollendo e medio ipsam *possibilitatem* revelationis divinae — Traditionalistae peccaverunt per excessum — asserendo *absolutam* eius *necessitatem* etiam pro ordine mere naturali.

2. Mens humana sibimet ipsi relicta — ita Traditionalistae — non potest notiones abstractas et universales — praesertim illas, quae ad ordinem religiosum, moralem et socialem pertinent — propria virtute sibi cudere, sed eget auxilio *rationis alterius*, quae hasce notiones ei communicet seu *tradat*. — Unde etiam nomen Traditionalismi.

N. B

Traditio haec dicitur fieri in praesenti statu generis humani per « rationem socialem » mediante loquela (sive stricte tali sive late dicta i. e. signis scriptis et gestibus), quam (loquelam) societas nobis communicat, et quae, utpote idearum expressio corporalis, praesentes nobis sistit ipsas ideas.

3. Traditionalismus non est systema, quod problema originis idearum *complete* solvendum suscipiat. Nam etiam dato — non concesso — hominem non posse sibi ideas efformare, nisi traditione iuvetur, aperta adhuc manet quaestio: « quomodo » traditio producat ideas. Quare non miraberis Traditionalistas — si historiam consulis — fuisse semper fautores sive Systematis idearum innatarum sive Ontologismi sive theoriae Aristotelico-Scholasticae.

2. Divisio Traditionalismi.

I. *Traditionalismus rigidus* in propositionibus sequentibus continetur: 1) Intellectus humanus est prorsus *incapax* acquirendi sibi *propria* sua virtute *quamcumque* notionem.

2) Intellectui humano — potentiae mere passivae seu receptivae — omnes veritates *communicantur* per verba; proindeque verbum (loquela) est medium necessarium ad omnem actionem intellectualem adeo, ut non verbum sit effectus cogitationis, verum potius cogitatio sit effectus verbi secundum adagium: « homo cogitat verbum, antequam dicat suam cogitationem » (l'homme pense sa parole avant de parler sa pensée).

Sicut materia fuit, teste Scriptura, initio inanis et vacua, ita etiam spiritus est inanis et vacuus, antequam audierit vocabulum, quod evigilat semina idearum in spiritu praesentia a Deo cum natura data.

3) Hinc *revelatio primitiva* erat naturaliter et absolute *necessaria*. Deus dedit homini mentem sub conditione loquelae, sicut dedit visionem sub conditione visus et auditionem sub conditione auditus.

4) Veritates revelatione a Deo semel acceptae traduntur a societate singulis via « auctoritatis » et per actum *fidei* suscipiuntur.

Fides igitur est scientiae principium et fundamentum.

Talem fere Traditionalismum primo statuit *L. de Bonald* (1754-1840).

Similem quoad substantiam doctrinam tenuit *F. R. de la Mennais* (1782-1854) et alii.

Nonnulli e Traditionalistis, reiectis ideis innatis, explicite asseruerunt veritates imprimi ope vocabulorum « facultati nudae ».

II. *Traditionalismus mitigatus*: 1) Traditio et Revelatio primitiva necessariae sunt in ordine naturali pro *solis* veritatibus *altioribus.*

2) Hac Revelatione semel recepta ratio humana capax est virtute sua *propria* hasce veritates demonstrandi.

Fautores Traditionalismi mitigati sunt: *Aug. Bonnetty*: solae veritates *ordinis religiosi et moralis* Revelatione et Traditione in nobis oriuntur. — *J. Ventura de Raulica*: Revelatio et Traditio sunt necessariae non quidem ad simplicem, sed ad *claram et distinctam* praeambulorum fidei et moralitatis (existentiae Dei, spiritualitatis, immortalitatis animae, etc.) cognitionem. — *Ubaghs*: Traditio (auctoritas) necessaria est *saltem ad excitandam* actionem cognoscitivam intellectus humani.

3. *Thesis habet duas partes*:

I. *Vocabula non sunt absolute necessaria, ut ideae in nobis oriantur.*

II. *Homini non deest facultas assurgendi sponte sua ad veritates ordinis suprasensibilis.*

Minime intentionis nostrae est negare vel in dubium vocare necessitatem *moralem* tum usus *vocabulorum* (sive oralium sive scriptorum) tum *magisterii externi* (vitae socialis), ut mens humana *plenam* sui perfectionem acquirat; negamus tantum necessitatem *absolutam* horum adiumentorum ad cogitandum.

(Cf. S. Th., I, q. 84, a. 7 ad 3; q. 76, a. 2; *C. Gent.*, I., c. 4; II, c. 60, n. 11. — Suarez, *De An.*, lib. IV, c. 7, n. 5; — Mastrius, *De An.,* Disp. 6, n. 6).

Probatur thesis.

Pars I. — Vocabula non sunt absolute necessaria, ut ideae in nobis oriantur.

Arg. I. — Si vocabula essent *absolute* necessaria, ut ideae in nobis oriantur, *etiam primae* nostrae ideae deberent esse productae vocabulo.

A. Primae ideae nostrae non possunt esse productae vocabulo.

E. Vocabula non sunt absolute necessaria, ut ideae in nobis oriantur.

Prob. min.

Vocabula sunt signa ad arbitrium.

A. Primae ideae non possunt produci signis ad arbitrium.

E. Primae ideae non possunt produci vocabulis.

Mai. ult. patet ex eo, quod *a)* idem omnino vocabulum significat saepe *res diversas*; *b)* eadem res designatur saepe *nominibus* prorsus *diversis* — quod apparet ex vocabulis synonimis, ex existentia diversarum linguarum et ita porro; *c)* unus intelligit aliquod vocabulum, alius non intelligit. Porro factum hoc esset prorsus inintelligibile, si vocabulum non esset *signum ad arbitrium* sed signum naturale. Signum enim naturale est, quod propter formam naturalem hinc intrinsece sibi inhaerentem — et non propter titulum aliquem extrinsecum v. g. conventionem hominum — manifestat aliud. Quare ubicumque signum naturale adest, producit semper necessario suum effectum proprium.

Ad min. Primae ideae non possunt produci signis ad arbitrium.

1) Signum ad arbitrium est illud, quod significat rem aliam a se non vi nexus naturalis, quem haberet cum illa re, sed *unice vi nexus inducti ex arbitrio* hominum. Porro signum tale, ut patet, illum tantummodo hominem in rei significatae cognitionem ducere potest, qui *iam* in antecessum ideam *rei* significatae habet.

2) Theoriae inventae ad explicandam originem idearum ope signorum ad arbitrium — qualia sunt vocabula — reducuntur ad has 3:

I.) ipsum signum materialiter sumptum (— *sensatio auditiva pronuntiatione* nominis causata —) producit *vi propria* in intellectu audientis ideam correspondentem.

II) signum materialiter sumptum evocat ideam correspondentem non vi propria sed vi *associationis* a parentibus nostris olim acquisitae et nobis hereditate transmissae. Hac associatione fit, ut determinatum nomen determinatam etiam ideam inevitabiliter evocet.

III. signum materialiter sumptum est tantum *occasio*, qua posita *Deus* ipse immediate producit ideam.

A. Nulla ex hisce 3 theoriis admitti potest. *E.*

Non theoria I. Nam: *a*) sensatio (qualis est auditio nominis materialiter sumpti), utpote operatio organica seu *materialis*, non potest vi propria in facultatem *intellectualem* agere.

b) data — non concessa — possibilitate talis actionis, in intellectu produceretur tantum *repraesentatio* intellectualis *nominis* auditi, non autem *rei* per nomen significatae, ut ex superius dictis (de signo ad arbitrium) clare apparet.

Non theoria II. Infans enim potest addiscere cum *eadem facilitate* linguam *alienam* lingua suorum parentum. Quare dicendum est potius ipsum ad prima vocabula pervenire ex eo, quod, observatis pluribus factis, in suspicionem cadat vocabulum materialiter sumptum a loquente proferri, ut audiens intelligat *rem* determinatam. Hoc modo infans ad notionem signi formalis pervenit. Deinde tum necessitatibus individualibus tum instinctu sociali impellitur, ut *alia* nomina sibi similiter acquirat eisque utatur.

Non theoria III. Nam non est recurrendum ad causam primam nisi quando causae secundae reapse non sufficiunt.

A. Causae secundae de facto sufficiunt, ut apparebit ex theoria nostra (th. XXV). *E.*

Arg. II. — *Ex experientia.*

1. Nemo unquam *ex sola auditione* vocabulorum (vel lectione eorum) adducitur ad cogitandas res, quas vocabula significant.

2. Saepe accidit, ut scriptor nullum vocabulum aptum ad exprimendam suam *ideam* inveniat, eamque ex industria quaerere debeat (« angoisse littéraire »).

3. Ipsa instructio, quam discipulus a magistro recipit, non imprimit (applicat) veritates intellectui discipuli mere passive sed tantummodo eum dirigit in perficiendis debito ordine quibusdam operationibus intellectualibus, quo facilius veritates *ipse inveniat.* Ipse *discipulus* sicut prima principia suo proprio intellectu vera esse intelligere debet, ita etiam connexionem verborum magistri cum hisce principiis suo proprio intellectu percipiat necesse est. Sicut me-

dicus dicitur causare sanitatem, quatenus adiuvat naturam operantem, ita magister causat scientiam adiuvando operationem intellectualem discipuli. (Cf. S. Th., *De Verit.*, qu. XI, a. 1.).

Haec ratio est, cur dari possit in scientiis *proprie dictus progressus*, qui involvit aliquid vere *novi* inveniri.

Idem comprobat historia scientiae et inventionum.

4. Apud surdomutos, etiam antequam instructionem opportunam ab aliis acceperint, inveniri possunt quaedam ideae primitivae, notiones fundamentales ordinis moralis. — Insuper si simul plures surdomuti vitam degunt, inveniunt quaedam signa artificialia, quae ipsis serviunt pro loquela.

PARS II. — NON DEEST HOMINI FACULTAS ASSURGENDI SPONTE SUA AD VERITATES SUPRASENSIBILES.

Arg. Homo gaudet facultate naturali cognoscendi virtute propria veritates ordinis sensibilis.

A. Qui gaudet facultate naturali cognoscendi virtute propria veritates ordinis *sensibilis*, gaudet etiam facultate assurgendi sponte sua ad veritates *suprasensibiles.*

E. Homo gaudet facultate assurgendi sponte sua ad veritates suprasensibiles.

Mai. patet ex parte I., in qua probavimus hominem gaudere facultate assentiendi quibusdam propositionibus propter *internam* earum *evidentiam* a se *perspectam.* (Traditionalistae mitigati hoc explicite concedunt, dum asserunt hominem posse veritates ordinis sensibilis — veritates physicas et mathematicas — absque revelatione addiscere).

Ad min. Qui gaudet facultate naturali cognoscendi virtute propria *veritates* ordinis sensibilis, gaudet facultate cognoscendi *universalia.* N.B.

A. Qui gaudet facultate cognoscendi *universalia*, gaudet facultate assurgendi sponte sua ad veritates suprasensibiles.

E. Qui gaudet facultate naturali cognoscendi virtute propria veritates ordinis sensibilis, gaudet facultate assurgendi sponte sua ad veritates suprasensibiles.

Ad min. ult. Qui cognoscit universalia, cognoscit essentias rerum a limitibus sensibilitatis (temporis et spatii) absolutas et per consequens *aeternas et necessarias.* Comparando hasce essentias, format sibi iudicia item absoluta, limitibus temporis

et spatii non conclusas, proindeque valore absoluto praedita (iudicia analytica). — Ope horum iudiciorum potest iam transcendere mundum sensibilem ad cognoscendum Deum eiusque relationem ad hominem — ex quo connaturaliter fluet religio (naturalis) et ordo moralis.

Dices: deficiente magisterio externo deficit homini *excitatio* necessaria pro intellectu ad quaerendas veritates suprasensibiles.

Rs. 1) Homini non deest unquam *naturale desiderium* sciendi. Hoc desiderium impellit eum necessario ad quaerendas rerum causas earumque relationes. Dummodo igitur homo *suam naturam sequatur*, necessario ad Deum et religionem perveniet.

2) Si homo nullo modo sua virtute Deum cognoscere posset sed Eum teneret *sola traditione* ab aliis recepta, religio eius careret, ut patet, fundamento *rationali* superstruereturque in actu fidei *caecae.*

3) Si instructio necessitate absoluta requireretur ad veritates supersensibiles cognoscendas, homo posset in *errorem invincibilem* induci circa res necessarias (ab institutoribus *malis*).

Schol. — De origine loquelae.

1. In problemate praesenti duplex quaestio apprime distinguenda est: *a*) quaestio *possibilitatis*; *b*) quaestio *facti.*

2. Quod attinet quaestionem « possibilitatis », homines omnino potuerunt sibi ipsis loquelam invenire: ex signis involuntariis, quibus varii affectus interni ad extra manifefestantur (« loquela affectiva ») facile potuerunt addiscere rationem signi (aeque facile ac infantes. Cf. arg. Part I); deinde signa aptiora (seu illa, quae clarius exprimunt et facilius in memoriam revocant varias actiones) minus aptis substituere, eorum numerum multiplicare, eis ordinem imponere — et ita loquelam formare.

3. Quod alteram quaestionem spectat, ipsum videl. *factum* originis loquelae, Evolutionistae eam sive ex interiectionibus affectivis et ex imitatione sonorum, sive ex instinctu repetunt.

Sententia haec admitti non potest. Homo, ut alibi ostenditur, non ortus est simplici evolutione spontanea ex animali bruto, sed proprie a Deo creatus est. Porro creatus est non infans — secus periisset — sed plene adultus (tum corpore, tum mente). Sed quia opera Dei sunt perfecta, homo adultus debuit etiam statim linguam habere ad usum expeditam proindeque debuit eam accipere a Deo.

OBIECTIONES.

1) *Homo est ens sociale.*

A. Ens (natura sua) sociale pendet a societate in acquisitione idearum.

E. Homo pendet a societate in acquisitione idearum.

Rs. Dst. Mai. — . . . . sociale, *quatenus plene* suam perfectionem naturaliter nonnisi in societate acquirere potest C., quatenus nihil ex industria propria acquirere potest N.

Ctds. min. — . . . in acquisitione *qualiumcumque* idearum N. idearum magis expolitarum, magis distinctarum Sbds. . . . ita pendet a societate, ut ipse nonnisi *passive* eas ab ipsa recipiat N. . . . ita pendet ab ea, ut ipse ab ea tantum *directionem* in quaerendis ideis (modo exposito in thesi) recipiat C.

2) *Homo cogitat verbis adeo, ut cogitare sit simpliciter secum loqui. Ergo cogitatio est impossibilis sine loquela.*

Rs. Dst. Antc. — Homo cogitat verbis *mentalibus* seu conceptibus C. vel Tr. cogitat verbis, prouti haec intelliguntur *signa verborum mentalium*, Sbds. *semper* N. (cf. arg. 2, partis I) ut *plurimum* Sbds. . . . et hoc fit propter assuetudinem et facilitatem maiorem C. ex necessitate naturali N.

3) *Ideae sine verbo sunt, experientia teste, vagae et indeterminatae.*

Rs. Dst. Antc. — . . . . sunt vagae et indeterminatae, quia *repraesentationes mentales* sunt in se tales (et ideo nec nomina eis imponuntur) C.; sunt vagae et indeterminatae, *quia non habent nomina propria* Sbds. i. e. generatim loquendo, nomina multum iuvant ad conceptus distinctiores reddendos C., sine nomine ideae non possunt simpliciter esse sufficienter clarae, ut distinguantur a se invicem N.

4) *Sicut homo constat spiritu et corpore, ita etiam intellectio — proprietas hominis — constare debet elemento spirituali et elemento materiali seu* verbo.

Rs. Dst. Antc. — . . . . ita etiam intellectio *formaliter spectata* constare debet . . . . N. intellectio *totaliter* sumpta i. e. cum eis, quae eam naturaliter (necessario) comitantur in homine Sbds. . . . et hoc elementum est phantasma C. est verbum orale N.

Expl. — Uti *hoc potius quam alio* verbo ad designandam certam aliquam rem est prorsus accidentale homini (« ad arbitrium »). Uti *simpliciter* verbis seu loquela non est quidem homini mere accidentale sed necessarium et proprie naturale. At haec necessitas naturalis non fluit *formaliter* ex ipsa intellectione, qua tali, ac si videl. sine loquela ipsa intellectio esset impossibilis sed aliunde (ex bono hominis adaequate sumpto: plena facultatum hominis evolutio).

5) *Intellectus humanus, qui est potentia ad suum actum, non potest educi in actum nisi per ens actu.*

A. Ens actu sunt alii homines intelligentes. E.

Rs. Dst. Mai. — . . . . per ens actu i. e. per suum *intelligibile* (quod videl. elaboratur speciali facultate spirituali s. d. intellectu agente et insuper influxu phantasmatis — species impressa) C. per alios homines actu intelligentes Sbds. ut intelligat *facilius, distinctius* . . . C., ut *simpliciter* intelligat N.

Ctds. min. — N. *cons.*

THESIS XXV.

Intellectus humanus accipit a rebus sensibilibus ideas suas primitivas ope specierum intelligibilium impressarum, quae influxu activo tum intellectus agentis — spiritualis facultatis animae — tum phantasmatis producuntur.

1. St. Qu. — 1. — Ut iam alibi diximus, Scholastici reponunt obiectum proprium (proportionatum) intellectus nostri in quidditate rerum sensibilium. Consequenter ad haec docent hominem pervenire ad ideas suas primitivas beneficio activitatis, quam in eum exercent *res sensibiles.*

2. — At res sensibiles, undequaque materiales, non possunt in intellectu, facultate immateriali, producere similitudines suas intentionales immediate, sed mediate tantum: mediantibus videl. similitudinibus intentionalibus sensitivis in phantasia productis seu mediantibus phantasmatibus. (Non suf-

ficere formas sensibiles sensuum externorum patet vel ex eo, quod experientia teste potest intellectus exercere opus intellectionis etiam *absente actuali sensatione* externa).

3. — At neque phantasma, utpote ens intrinsece materiale (actus facultatis organicae), potest *propria sua virtute* in intellectum agere.

Hac praecise ducti ratione Scholastici, Aristotelem secuti, ponunt inter phantasiam et intellectum quandam specialem facultatem ordinis spiritualis, cuius est phantasma elevare illudque par reddere determinandi intellectum ad intelligendum. Facultas haec spiritualis vocata est ab Aristotele (*De An.* 430 a 14-15) νοῦς ὁ τῷ πάντα ποιεῖν: intellectus, qui omnia potest facere, seu νοῦς ποιητικός: intellectus agens.

N. B.

2. Notio generalis intellectus agentis et intellectus possibilis.

1. — Intellectus agens, ut ex dictis facile apparet, non est facultas formaliter *cognoscitiva*, sed tantum facultas destinata ad *producendam* cognitionem in intellectu proprie cognoscente, qui ab Aristotele (*De An.* l. c.) appellatur νοῦς ὁ τῷ πάντα γίνεσθαι «intellectus, qui omnia potest fieri» et a Scholasticis: *intellectus patiens* seu *possibilis*.

2. — Licet intellectus agens reapse *nihil intelligat*, designatur nihilominus nomine «intellectus» propter *analogiam* (attributionis), quam habet cum intellectu proprie intelligente: sicuti medicina — *quia producit* sanitatem in animali — vocatur communiter sana, ita etiam intellectus agens — quia influxu suo positivo concurrit ad *productionem intellectionis* — iuremerito dici potest *intellectus*.

3. — Intellectus cognoscitivus vocatur *patiens*, quia non potest actum suum (intellectionis) exercere nisi ab alio (intellectu agente et phantasmate) moveatur seu eius influxum *patiatur*. Vocatur etiam *possibilis*, quia — cum ex se *possit* omnia cognoscere (dummodo debitam motionem recipiat) — *potest* eo ipso omnia fieri (utique: intentionaliter).

4. — E contra alter intellectus, quia nullum influxum *in se recipit* seu nihil ipse patitur, sed tantum *agit* (videl: producendo determinationem pro intellectu patiente necessariam ad eliciendum actum intellectionis), recte vocatur « intellectus agens ».

3. NOTIO ACCURATIOR INTELLECTUS AGENTIS.

1. — Plures commentatores *Graeci* (Eudemos, Plotinus, Alexander Aphrodis., Themistios) et multi philosophi *Arabes* medii aevi docent: intellectum agentem esse substantiam quandam *separatam*, numerice unam et omnibus hominibus communem. — Scholastici vero (post nonnullos commentatores Graecos) tenent communiter intellectum agentem esse facultatem *ipsius animae* proindeque unicuique homini propriam. Sententia haec prorsus praeferenda est propter rationes inferius explicandas.

2. — *Motio* seu *determinatio ad agendum* (ad intelligendum), quam intellectus patiens a phantasmate recipit mediante intellectu agente, vocatur communiter « species intelligibilis ». — Vocatur « species », quia intellectui patienti praebet formam, secundum quam intellectus patiens operabitur seu actu intelliget. Vocatur « intelligibilis », ut distinguatur a specie « sensibili », quam res sensibilis producit in sensu; sicut species sensibilis est similitudo intentionalis obiecti, prouti a parte rei *individualiter* existit, ita species intelligibilis est similitudo eiusdem obiecti, sed prouti a conditionibus materialibus (individuationis et singularitatis) est solutum.

3. — Species intelligibilis igitur acquiritur « abstractione totali », quam perficit intellectus agens circa phantasma.

4. THESIS HABET 4 PARTES.

PARS I. — INTELLECTUS HUMANUS IDEAS SUAS PRIMITIVAS E REBUS SENSIBILIBUS ACCIPIT.

Adversantur huic parti thesis, quotquot originem idearum primitivarum repetunt sive ex *ideis innatis* sive ex *intuitione immediata* Dei propria *Ontologistarum*. — In considerationem hic non veniunt *Sensualistae*, quia hi directe non tam thesim praesentem, verum potius *suppositum* eius: existentiam videl. idearum intellectui propriarum seu universalium negant.

PARS II. — PHANTASMA NON CONSTITUIT INTELLECTUM HUMANUM PROXIME IDONEUM AD INTELLECTIONEM ACTUALEM ELICIENDAM, SED REQUIRITUR INSUPER NECESSARIO SPECIES INTELLIGIBILIS SEU IMPRESSA.

Huic parti, quam tenent *S. Albertus Magnus*, *S. Thomas*, *Scotus*, *Suarez* et *Scholastici communius*, *adversantur:* Doctor

Resolutissimus (Durandus), Doctor Facundus (Aureolus), « Venerabilis Inceptor » (Gulielmus Occam), « Gulielmus Parisiensis » (Gulielmus de Alvernia), Gabriel Biel, Henricus Gandavensis, Johannes Bacon, Lessius, Oviedo, Balmes, Palmieri, Mendive, Tongiorgi.

PARS III. — UT SPECIES INTELLIGIBILIS (IMPRESSA) PRODUCATUR, REQUIRITUR CONCURSUS INTELLECTUS AGENTIS.

Adversarii generatim iidem ac in parte I.

N. B. Cum quaestione praesenti non est confundenda quaestio : utrum intellectus agens realiter an virtualiter tantum differat ab intellectu possibili. Haec quaestio infra in Schol. tractabitur.

PARS IV. — IN PRODUCTIONE SPECIERUM INTELLIGIBILIUM ATTRIBUENDA EST PHANTASMATI CAUSALITAS EFFICIENS.

1. — *Adversantur* huic parti thesis *Doctor Eximius* (*De Anima* lib. IV, c. 2. n. 12 et n. 7), quidam ex *Thomistis, Silvester Maurus, Scotista Cavellus*; ex recentioribus *Lahousse*, *Boedder*, *Van der Aa, Gutberlet.*

Doctrina eorum huc redit: species intelligibilis efficitur a solo intellectu agente. Concursus phantasmatis in productione speciei intelligibilis reducitur ad hoc, ut *quasi materiam et quasi exemplar* praebeat intellectui agenti seu eum *quasi excitet* ad depingendum in intellectu possibili, spiritualibus utique characteribus, rem, quam phantasma repraesentat.

2. — Bene tamen attendenda est restrictio, quam assertioni suae fautores huius sententiae addunt per vocem « quasi ». Reapse enim phantasma non asseritur ab eis simpliciter « materia, *ex qua* » educatur species — nam fatentur speciem spiritualem non posse educi nisi e subiecto spirituali. — Immo nec asseritur « materia, *circa quam* » intellectus agens operatur — nam expresse notant intellectum agentem agere circa id, *in quo* actio recipitur, hinc circa patiens. — Nec dicitur ab eis phantasma « exemplar proprie dictum » pro intellectu agente — nam optime sciunt exemplar dari posse tantum pro causa, quae media *cognitione* operatur (sed intellectus agens, *qua talis*, non agit media cognitione). Nec tandem phantasma affirmatur sensu presso « excitare » intellectum agentem ad efficiendam speciem intelligibilem — causa enim « excitans », ut bene ipsi notant, tri-

buit causae efficienti ultimam actualitatem, qua haec indiget, ut actu operetur; sed materiale non potest virtute propria agere in spirituale. — Quare si *sensu stricto* loqui velimus, phantasma determinat intellectum agentem per solam *praesentiam.* Hoc autem possibile est solum propter « sympathiam » seu « radicationem » in *una eademque anima* (Cf. Suarez, *De An.* lib. IV. c. 2. n. 10).

3. — Huic sententiae opponimus in thesi praesenti doctrinam S. Thomae, secundum quam phantasma concurrit in producenda specie intelligibili tamquam vera causa *efficiens.*

4. — Ulteriorem determinationem huius causae efficientis ad Schol. remittimus.

Probatur thesis.

Pars I. — Intellectus humanus ideas suas primitivas a rebus sensibilibus accipit.

Arg. (Corol. thesium praecedentium).

Cum doctrina in thesi enuntiata, et quidem cum ea *sola* cohaerent facta, quotquot ad quaestionem praesentem pertinent. Ex una enim parte facta haec postulant, ut intelligibile proprium animae humanae, in praesenti statu eius unionis cum corpore, reponatur in *quidditate rerum sensibilium* — ut thesi XX ostendimus. Ex altera autem parte eadem facta exigunt, ne formae harum quidditatum asserantur intellectui nostro *innatae*, — ut thesi XXIII probavimus — aut ex intuitione immediata Dei comparatae — ut contra Ontologistas demonstravimus (th. XXII). Quare nihil remanet nisi ut ideae nostrae primitivae e rebus sensibilibus ab intellectu humano accipiantur.

Confir. — Confirmatur consideratione desumpta ex conditione naturali animae humanae:

Anima humana unitur corpori humano tamquam eius forma substantialis.

A. (1) Quod unitur alteri tamquam eius forma substantialis, unitur ei non violenter sed plene « naturaliter ».

N.B.

A. rursus (2). Quod unitur alteri non violenter, sed plene « naturaliter », haurit ex hac unione sua veram utilitatem.

A. rursus (3). Anima humana tunc haurit ex unione sua cum corpore veram utilitatem, si in suprema et nobilissima sua operatione, qualis est intellectio, corpus efficaciter adiuvat eam.

A. rursus (4). Corpus humanum eatenus efficaciter adiuvat animam in intellectione, quatenus ei formas intelligibiles subministrat.

A. rursus (5). Corpus non aliunde sed *ex rebus sensibilibus* formas intelligibiles administrare potest animae.

E. Animae humanae ex rebus sensibilibus (non aliunde) formae intelligibiles administrantur.

Mai. alibi ex professo ostenditur.

Min. (1) patet ex eo, quod forma substantialis facit non aggregatum sed ens per se unum seu *naturale.*

Min. (2). Quodcumque fit ab aliquo ente *naturaliter*, fit ex eius inclinatione profunda in hoc, quod fit, tamquam in suum proprium bonum (patet ex notione naturae, finalitatis).

Min. (3). Principium finalitatis postulat, ut in operationibus, quae hierarchice sibi subordinantur, inferior sit propter superiorem. Porro operatio suprema animae humanae est intellectio. In *eius* igitur bonum cedere debet praeprimis unio eius cum corpore.

Min. (4). Corpus non potest concurrere in ipso *actu* intellectionis animae, qua tali (intrinsece). — Intellectio enim est operatio non organica, sed proprie spiritualis (ut alibi ostenditur). — Concurrere potest ad intellectionem tantum *extrinsece*, subministrando ei videl. formas intelligibiles.

Min. (5). Corpus humanum non aliunde sed ex rebus sensibilibus seu corporalibus formas intelligibiles administrare posse animae — patet ex notione *actionis* alibi tradita.

PARS II. — PHANTASMA NON CONSTITUIT INTELLECTUM HUMANUM PROXIME IDONEUM AD INTELLECTIONEM ACTUALEM ELICIENDAM, SED REQUIRITUR INSUPER NECESSARIO SPECIES INTELLIGIBILIS SEU IMPRESSA.

ARG. —1) Anima, ut docuimus, non operatur per essentiam suam, sed per *potentias*. Porro potentiae hae sunt inter se realiter distinctae. Quare non eo ipso, quod actuatur una (phantasia), etiam altera (intellectus) de potentia in actum reducitur.

2) Forma, quae invenitur in phantasmate, est intrinsece materialis, intellectus vero est facultas spiritualis.

A. Forma intrinsece materialis non potest actuare facultatem spiritualem.

E. Forma, quae invenitur in phantasmate, non potest actuare intellectum.

Prob. min. Inter actuans et actuatum debet adesse proportio (Cf. *S. Th.* I, q. 84. a. 6; Suarez, *De An.* l. III. c. I. n. 8, 9). Quo fit, ut v. g. actus vitae *vegetativae* — etsi *radicentur* in eadem anima ac sensus — non ideo noti sunt sensibus, sed prius facultates sensitivas determinare debent.

3) Species sensibilis, quale est phantasma, habet characteres essentialiter *materiales*, individuales. Quo fit, ut si intellectus praeter eam non haberet aliam speciem — intelligibilem — non posset cognoscere nisi *materialia*, individualia, minime vero universalia.

Confirmatur *solutione argumenti adversariorum.*

Ut voluntas, ait Durandus, constituitur in actu primo proximo ad volendum per hoc solum, quod intellectus bonum actu apprehendit, ita a pari intellectus potest constitui in actu primo proximo ad intelligendum per hoc solum, quod facultas sensitiva obiectum sensibile actu apprehendit.

Resp. N parit. — 1) Intellectus et voluntas sunt facultates *spirituales;* quare bonum ab intellectu apprehensum est *appetibile in actu* (in sensu causali, non formali!); sed obiectum in imaginatione repraesentatum est *intelligibile potentia* tantum.

2) Appetitio non consistit in intentionali *reproductione* rei appetitae; sed cognitio consistit praecise in intentionali reproductione rei cognitae. Quare non est necesse, ut haec res sit voluntati *intranea* iam *ante* actualem appetitionem; aliter autem res se habet in cognitione intellectuali (Cf. S. Th. I. p. q. 27 a 4).

Pars III. — Ut species intelligibilis (impressa) producatur, requiritur concursus intellectus agentis, spiritualis facultatis animae.

Arg. — Phantasia est facultas organica, materialis.

A. Facultas organica, materialis non potest — saltem propria virtute — producere speciem intelligibilem.

E. Phantasia non potest — saltem propria virtute — producere speciem intelligibilem — consequenter requiritur concursus alterius vis.

A. rursus: Haec altera vis est *a*) vis spiritualis, *b*) vis ipsius animae seu facultas animae humanae.

E. Ut producatur species intelligibilis, requiritur concursus vis specialis, quae est spiritualis, et quae est facultas ipsius animae humanae, — seu requiritur concursus intellectus agentis.

Min. I. Patet ex notione *activitatis* alibi tradita.

Min. II. quoad a) patet ex *principio causalitatis.* — Nec ad vim argumento praesenti auferendam licet appellare ad hoc, quod e. gr. corpus *extensum* potest motum imprimere animae humanae, hinc enti *spirituali.* Hic enim motus non imprimitur *directe* ipsi animae humanae, qua tali, nec ab anima humana, qua tali, recipitur; sed imprimitur directe (per se) composito (ex anima et corpore) et ab eodem composito (per se) recipitur (anima tantum *per accidens* movetur). — In casu vero praesenti accidens materiale (actus phantasiae) directe seu per se producere deberet in anima spirituali, qua tali, accidens, utique accidens spirituale.

Min. II. quoad b) patet ex sequentibus:

1. Anima ex natura sua ad intelligendum ordinata, debet *naturaliter* esse instructa principiis ad intellectionem eliciendam necessariis; secus non haberet in se, unde ad *specificam* — hinc maxime sibi *propriam* operationem — propria vi (seu tamquam causa *principalis*) pertingat et ita *deficeret in necessariis.* — Si bruta habent in se, quidquid ad actiones eorum specificas eliciendas requiritur, idem etiam a fortiori de hominibus dicendum. —

2. Theoria adversariorum parum est *scientifica*, nam explicationem cognitionis intellectualis animae ope virium *naturalium animae* derelinquit.

3. Intellectus agens supponitur ab adversariis aut *creatus* aut *increatus* proindeque Deo identicus. Si I., non intelligitur, quomodo *simul omnibus* hominibus posset inesse ac in *omnibus* species intelligibiles *diversas* producere. Si II., reicienda est haec sententia propter suppositum pantheisticum ab adversariis plus minusve conscie factum. (Varia alia

incommoda, quae doctrinam adversariorum premunt, in: *La Psychophysique humaine d'après Aristote*, pag. 164–165).

Pars. IV. — In productione specierum intelligibilium attribuenda est phantasmati causalitas efficiens.

Arg. — Non est causa efficiens adaequata speciei intelligibilis, quod non est plene determinatum ad eam (speciem intelligibilem) ponendam.

A. (I) Intellectus agens solus non est plene determinatus ad speciem intelligibilem ponendam.

E. Intellectus agens solus non est causa efficiens adaequata speciei intelligibilis. — Consequenter in productione speciei intelligibilis attribuenda est causalitas efficiens adhuc alii principio.

A. rursus (II). Hoc aliud principium non est nisi phantasma.

E. In productione speciei intelligibilis attribuenda est causalitas efficiens phantasmati.

Mai. — Patet ex notione causalitatis efficientis: non potest sequi effectus *determinatus* ex causa *indeterminata.*

Min. I — Item patet ex notione causalitatis effic.: causa plene determinata ad effectum aliquem ponendum in se plene perfectionem huiusce effectus (saltem virtualiter continet).

A. Intellectus agens non continet in se plene perfectionem speciei intelligibilis. E.

Ad min. ult.: Species intelligibilis est semper *haec* vel *alia* i. e. obiecti talis vel talis. Quod, ut patet, non continetur in intellectu agente *in se* considerato.

Ad min. II: Hoc aliud principium non est nisi phantasma. Hoc aliud principium *complet* intellectum agentem, ut producat *determinatum* effectum i. e. speciem *talem* et non aliam. Porro species est *talis* et non alia ratione *obiecti.* Ipsum igitur objectum praesens cognoscenti debet influxum exercere. Sed objectum hoc est praesens cognoscenti praecise per *phantasma.* Ergo phantasma *debet exercere influxum* efficientem in productione speciei intelligibilis.

Schol. I. — De distinctione inter intellectum agentem et possibilem.

1. — Distinctionem *realem* tenent *Aristoteles*, *S. Albertus Magnus*, *S. Thomas*, *Conimbricenses*, *Toletus*, *Silvester Maurus*, *Valentia* et *Thomistae communiter*.

Distinctionem *rationis* profitentur *Scotus*, *Scotistae*, *S. Bonaventura*, *Nominales* (praesertim *Occam*, *Gabriel Biel*,) *Oviedo*, *Ariaga* et sat multi alii. *Suarez* hanc sententiam « valde probabilem » habet (*De An.* lib. IV. c. 8, n. 13).

2. — Sententia prima praeferenda est.

Ratio: Potentiae, quae per respectum *ad unum idemque* se habent, altera tamquam *pure activa* (productiva) altera tamquam *pure passiva* (receptiva), realiter a se differunt.

A. Intellectus agens et intellectus patiens per respectum *ad unum idemque scil. ad speciem intelligibilem* habent se, alter tamquam *pure activus* (productivus), alter tamquam *pure passivus*.

E. Intellectus agens et patiens realiter a se differunt.

Ad Mai. Quae ita se habent, habent se sicut *actio et passio formaliter sumptae*.

Nec iuvat dicere: Potest aliqua potentia per respectum ad unum idemque dici activa et passiva, quatenus videl. natura prius aliquid producit, quod natura posterius recipit, ut fit in intellectu patiente, qui intellectionem suam (actualem) primo ipse producit et deinde ipse recipit. *Rs*. Intellectus patiens per respectum ad suam propriam intellectionem non est « pure passivus »; sed per respectum ad speciem intelligibilem (impressam) est *pure passivus* (sicut, e contra, intellectus agens est *pure activus*). Haec iam nos inducunt ad pauca dicenda de « passivitate » propria intellectus patientis.

Schol. II. — De passivitate intellectus patientis.

1. — Intellectus patiens, utpote facultas spiritualis, non potest pati 1) passione « propriissime » dicta, quae consistit in eo, quod « aliquid removetur ab eo, quod convenit sibi secundum naturam aut secundum propriam inclinationem » (S. Th. I. p. q. 79; a. 2); nec 2) passione « proprie » dicta, quae consistit in hoc « quod aliquid ab ipso abicitur sive sit ei conveniens sive non conveniens » (S. Th. *ibib.*); sed

tantum 3) passione « late » dicta, consistente in hoc, quod aliqua res, quae « est in potentia ad aliquid, recipit illud, ad quod erat in potentia, absque hoc quod aliquid abiciatur... » (S. Th. *ibid.*)

2. — Quod *hoc ultimo modo* potest *recipere* intellectus patiens, est *a*) *species intelligibilis* (impressa) ab intellectu agente et phantasmate producta in ipso (educta de potentia intellectus possibilis). In receptione huius speciei intellectus possibilis habet se mere passive i. e. nihil agit; *b*) *actus intellectus possibilis*, quem intellectus possibilis fecundatus specie impressa *producit* et deinde *recipit* (actus enim intellectionis est vitalis seu *immanens*).

3. — Denominationem igitur « patientis » debet intellectus, de quo loquimur, *praeprimis* huic duplici « receptioni ».

At non unice. Ut enim iam alibi notavimus, omnis generatim *facultas* « cognoscitiva » (etiam sensitiva) dici potest iuremerito *passiva*, videl. per respectum ad suum proprium *cognoscibile* (obiectum); secus enim ac potentia nutritiva, quae activitate sua *transformat* suum obiectum, potentia cognoscitiva non immutat obiectum proprium (cognoscibile). Solum per respectum ad *suum actum* (cognitionem) potentia cognoscitiva est activa.

Schol. III. — De illuminatione pròpria intellectus agentis.

1. — Munera intellectus agentis numerari solent 4:

1) illuminare phantasma

2) reddere phantasma « actu intelligibile » seu abstrahere a phantasmate speciem intelligibilem

3) confortare intellectum patientem

4) efficere evidentia prima principia.

2. — Explico: Intellectus agens — spiritualis virtus animae — agit *per modum naturae* (non per modum cognitionis!), hinc necessario et semper. Attingendo influxu suo phantasma, imprimit ei aliquam « virtutem » seu « motum »; vi huiusce virtutis intellectus agens subordinat sibi phantasma in ratione causae instrumentalis, seu eo utitur ad *producendam* in intellectu cognoscente seu patiente — vel strictius loquendo — ad *educendam* in intellectu patiente for-

mam (actum), quae vocatur « species intelligibilis ». Intellectus patiens hac « specie » informatus *elicit* tandem *actum* vitalem.

3. — Ut igitur ex dictis patet, partes phantasmatis spectant directe non *intellectionem formalem*, sed tantum *principium* dynamicum seu causam intellectionis (formam intelligibilem). Quod Veteres exprimebant ope formulae: intellectus agens facit (mediante phantasmate) *intelligibile actu* in sensu causali (non formali).

Significatio huius formulae, quae satis apparet ex modo dictis, illustrari potest adhuc comparatione « intelligibilis » cum « sensibili ». Sensibile externum (v. g. obiectum coloratum) non est quidem sensibile *actu* in sensu *formali* (i. e. actu formaliter non sentitur), attamen est *actu* sensibile in sensu *causali* (i. e. propria sua virtute potest producere in sensu formam sensibilem seu speciem impressam, et mediante ea causare, ut actu formaliter sentiatur). — Phantasma vero, qua tale, nec in sensu formali nec etiam in sensu causali est *actu* intelligibile; sed est intelligibile (in sensu causali) tantum *potentia*. Demum ope inteltectus agentis fit phantasma intelligibile *actu* in sensu *causali*.

Intellectus agens, dum producit in intellectu patiente speciem intelligibilem — principium dynamicum intellectionis — « confortat », ut patet, eo ipso intellectum patientem.

Quia iterum intellectus patiens informatus formis intelligibilibus apprehendit illico et sine *discursu* quasdam relationes necessarias et obvias inter res et ita format sibi prima principia, intellectus agens — *causa* formarum intelligibilium — est per consequens etiam causa « evidentiae primorum principiorum ».

4. — Secundum doctrinam S. Thomae virtus ab intellectu agente phantasmati impressa non est « forma completa », ideoque « neque potest dici corporea neque incorporea, proprie loquendo; corporeum enim et incorporeum sunt differentiae entis completi; sed proprie dicitur *virtus ad incorporeum* sicut motus magis dicitur *ad ens* quam *ens* » (*De Verit.*, q. 27, a. 4. ad 5um).

Haec theoria explicans rationem instrumenti ope receptionis elementi dynamici seu qualitatis « vialis », « fluentis »

(a causa principali) vocari solet theoria « illuminationis formalis ». Opponitur haec theoria:

1) theoriae « illuminationis obiectivae » *Caietani* (et multorum *non–Thomistarum*), secundum quam propter ipsam *assistentiam extrinsecam* intellectus agentis in phantasmate apparet quidditas actu intelligibilis.

2) theoriae « illuminationis radicalis » *Capreoli*, secundum quam eo ipso, quod phantasma *radicatur* in eadem anima ac intellectus agens, producitur phantasma *perfectius* et in *agendo virtuosius.*

3) theoriae « illuminationis effectivae » *Scotistarum*, *Bannezii, Johannis a S. Thoma*, secundum quam eo ipso, quod phantasma ab intellectu agente *assumitur* eiusque activitati suam propriam activitatem admiscet, phantasma aptum fit producendi effectum superiorem se (speciem intelligibilem).

5. Non caret quidem et theoria S. Thomae difficultatibus suis; attamen maiorem gradum probabilitatis sibi vindicat, quam reliquae. Clare apparebit hoc infra ex solutione obiectionum.

Schol. IV. — In productione speciei intelligibilis phantasma concurrit tamquam causa subordinata. — Ratio asserti:

Causa efficiens coordinata est vera causa *principalis* (licet partialis).

A. Res materialis non potest esse causa *principalis* — sive totalis sive etiam partialis — in producendo effectu spirituali, qualis est species intelligibilis. *E.*

Ad min. Causa principalis debet *virtute propria* seu *per se* attingere effectum suum.

Schol. V. — De « abstractione » intellectus agentis.

Quemadmodum ex hucusque dictis patet, intellectus agens non abstrahit per modum « apprehensionis », — nam ipse non est potentia apprehensiva (cognoscitiva) — sed per modum « efficientiae ». Solus intellectus patiens abstrahit per modum « apprehensionis ».

Nec verum est, quod saepe obiicitur, ad abstractionem requiri necessario *comparationem* eorum, quibus aliquid est commune. Comparatio requiritur quidem ad abstractionem, quae fit « per modum compositionis et divisionis », sed non

ad abstractionem simpliciter (sive illius, quae «fit per modum simplicis apprehensionis» ab intellectu patiente, sive illius, quae fit «per modum efficientiae» ab intellectu agente).

OBIECTIONES.

I. Contra intellectum agentem.

1) *Eo prorsus modo se habet intellectus ad intelligibile, quo se habet sensus ad sensibile.*

A. Sensus determinatur a sensibili ad sentiendum sine concursu sensus agentis.

E. Etiam intellectus determinatur ab intelligibili ad intellectionem sine concursu intellectus agentis.

Rs. N. Mai. — *Sensibile*, quod invenitur in obiecto externo, est iam *sensibile actu* in sensu *causali* (cf. supra Schol. 3, n. 3 et thes. IX, *Cor.* 3, pag. 86-87). Intelligibile vero, quod praesens est in phantasmate, est tantum intelligibile *potentia* in sensu causali!

2) *Intellectus agens determinatur ad agendum sola praesentia phantasmatis.*

Ergo a pari etiam intellectus cognoscens (patiens) determinari potest ad intelligendum sola praesentia phantasmatis.

Rs. N. Antc. — Intellectus agens *non* determinatur a phantasmate ad agendum. Agit enim non «per intentionem» sed «per modum naturae»; proindeque *semper* aequaliter agit ac semper illuminat phantasma, si quod est actu praesens in phantasia; fere sicut qualitas praesens in aliquo corpore semper agit, licet haec actio tunc tantum sensibiliter *sentiatur*, quando *sensus proprius* in proximitate invenitur.

3) *Intellectus agens non habet speciem intelligibilem.*

Ergo eam non potest dare.

Rs. Dst. Antc. — . . . non habet speciem intelligibilem *actu* (formaliter) C.; non habet eam *virtute*, Sbds. non habet eam virtute *totaliter* (requiritur enim necessario virtus phantasmatis) C., non habet virtute *speciem totam*, Sbds. . . . in omni genere causae efficientis C, in genere causae efficientis *principalis* N.

Intellectui agenti, utpote causae principali, *subordinatur* causalitas phantasmatis. Quare intellectus agens attingit *totum* effectum (in suo genere causalitatis), sed non *totaliter* (quia requiritur causalitas subordinata phantasmatis).

4) *Si in homine adsunt duo intellectus — agens et patiens — eadem essentia animae est relate ad idem intelligibile actu et potentia, quod repugnat. E.*

Rs. Dst. Antc. — . . . . ad idem intelligibile consideratum sub *alio* et *alio* respectu C. . . . sub *eodem* respectu N.

5) *Si adessent in homine duo intellectus, homo posset semper intelligere — haberet enim principium activum et passivum intellectionis. E.*

Rs. 1) Retorquendo idem argumentum «a fortiori» contra sententiam, quae intellectum agentem identificat cum intellectu patiente.
2) Si intellectus agens haberet se ad intellectum patientem tamquam «obiectum» actu intelligibile ad *potentiam* (cognoscitivam) C . . . Si . . . tamquam *principium faciens* intelligibile actu ad *potentiam* N. vel Trans.

II. Contra causalitatem efficientem phantasmatis.

1) *Asserta in thesi actio phantasmatis in producenda specie intelligibili est eiusdem naturae ac actio ignis infernalis in daemones.*
A. Haec ultima non est naturalis sed praeternaturalis.
E. Asserta in thesi actio phantasmatis in producenda specie intelligibili non est naturalis sed praeternaturalis.

Rs. N. Mai. — Nam *a*) actio ignis infernalis exercetur in *spiritus puros*; actio vero phantasmatis exercetur in spiritum, qui est *forma substantialis* hominis et radix potentiarum *sensitivarum* (phantasiae).
b) actio phantasmatis in producenda specie intelligibili est actio mere *instrumentalis* et insuper dirigitur a causa principali, quae — aeque ac ipsa phantasia — est *facultas* (seu pars) *eiusdem* animae.

2) *Ut phantasma concurrat efficienter in producenda specie intelligibili, sufficit, ut phantasmati assistat intellectus agens*
E. Non est opus, ut intellectus agens tribuat phantasmati specialem virtutem.

Rs. N. Antc. — Quia assistentia extrinseca nihil tribuit phantasmati, eadem remanet ulterius improportio essentialis inter phantasma et effectum producendum (speciem intelligibilem).

Instas. — Sicuti *vires* substantiae eo ipso, quod in *substantia* sunt, pares redduntur producendi *substantias* (et ita fiendi instrumenta substantiae), ita prorsus phantasma eo ipso, quod *assistit* ei intellectus agens, par redditur producendi species intelligibiles.

Rs. N. parit. — Vires enim substantiae sunt vere *aliquid substantiae*, in eaque radicantur. Sed phantasma nec est aliquid spirituale, nec radicatur in spiritu.

3) *Ut phantasma concurrat efficienter in producenda specie intelligibili, debet roborari seu perfici.*

A. Roboratur seu perficitur iam per hoc solum, quod radicatur in eadem anima ac intellectus agens. E.

Rs. C. Mai., N. min. — Radicatio non tollit e phantasmate conditiones eius *intrinsece materiales*, proindeque phantasma manet essentialiter ineptum producendi effectum immaterialem.

4) *Ut phantasma concurrat in producenda specie intelligibili, sufficit ut eius activitati commisceatur activitas intellectus agentis seu ut adhibeatur* tamquam instrumentum *intellectus agentis, quin sit necesse ei virtutem ab intellectu agente imprimere.*

Rs. N. Antc. — Non intelligitur enim, quomodo per meram *coniunctionem* activitatis phantasmatis cum activitate intellectus agentis activitas phantasmatis apta fiat producendi effectum spiritualem. Insuper ratio *instrumenti* videtur postulare communicationem virtutis agentis principalis.

5) *Secundum sententiam S. Thomae intellectus agens agit in phantasma immutando illud. Atqui phantasma reapse non potest immutari. Ergo.*

Rs. Dst. Mai. — . . . immutando illud entitative *seu in natura sua* N. immutando illud *in ordine ad aliud*, assumendo illud *tamquam instrumentum* C.

Expl. — Quando aliquid assumitur ab alio tamquam *instrumentum* eius, debet utique *aliquo* tandem modo immutari; hoc modo tantum potest fieri par effectui superiori producendo (debet elevari!). — Attamen haec mutatio a causa principali (assumente) in instrumento effecta non fit per formam *permanentem* — secus instrumentum desineret esse instrumentum et fieret causa principalis — sed per formam essentialiter *transeuntem seu vialem.*

6) *Spirituale non potest recipi in materiali.*

A. Virtus exiens ab intellectu agente est spiritualis, phantasma vero est materiale.

Ergo virtus exiens ab intellectu agente non potest recipi in phantasmate.

Rs. Dst. Mai. — Si hoc « spirituale » est quid *completum* et *permanens* C. vel Trans. . . . Si est quid *incompletum* et communicatum per modum *transeuntem* (« vialem ») N.

Expl. — Cum accidens completum (perfectum) sit perfectio subiecti seu detur propter *subiectum*, quod actuat, ideo inter utrumque (accidens et subiectum) debet adesse proportio — nam quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur; quo fit, ut accidens spirituale (completum) non possit recipi a corporali.

Sed virtus ab intellectu agente communicatur phantasmati non propter ipsum sed propter terminum producendum, ideoque *huic* et non *illi* proportionari debet.

7) *Materiale non potest concurrere active ad effectum spiritualem producendum.*

Ergo phantasma non potest concurrere active ad efficiendam speciem intelligibilem.

Rs. Dst. Mai. — . . . . producendum tamquam causa *principalis* C. tamquam causa *instrumentalis* N. donec probetur.

Sicut corpus potest influxum exercere in animam spiritualem, quia coniungitur cum ea in una essentia humana, ita simili quodam modo phantasma potest elevari ad producendum aliquid spirituale, quia coniungitur cum intellectu agente in una substantia animae.

8) *Cum materiale non possit fieri spirituale, phantasma non potest fieri species spiritualis.*

Rs. Dst. Antc. — Materiale non potest fieri spirituale *positive* C., *praecisive* N. — Evidenter idem numerice *phantasma* non potest migrare in intellectum et ibi fieri spirituale! Attamen nulla impossibilitas est in hoc, ut *idem obiectum*, quod in parte sensitiva repraesentatur modo materiali, repraesentetur postea modo immateriali. — Caeterum in materiali continetur iam immateriale scil. forma (natura). (Cfr. *La psychoph. humaine d'après Aristote*, pag. 166 sqq.).

9) *Instrumentum debet habere quandam operationem propriam sibi.*

A. Phantasma non habet talem operationem. Ergo.

Rs. C. Mai., N. Min. — Quod species intelligibilis sit *spiritualis*, hoc habetur ab intellectu. Quod autem repraesentet *tale obiectum*, hoc habetur a phantasmate.

Intellectus agens est semper *actu*. Hinc dummodo adsit in phantasia aliquod phantasma, statim producitur effectus i. e. species intelligibilis.

THESIS XXVI.

Intellectus intelligendo format in se naturaliter speciem expressam, cui ratio verbi proprie convenit, et quae est « medium in quo » ipsa res ab intellectu attingitur.

1. — St. Qu. Thesi praecedenti egimus de principiis, quibus homo instructus esse debet, ut actum intelligendi elicere valeat. Thesi praesenti iam de ipso *hoc actu* intelligendi sermo nobis erit.

2. — Conceptus. Species expressa. Intellectio.

1. Quia *unio* facultatis intellectivae cum specie intelligibili seu impressa — de qua in thesi praecedenti — eo spectat, ut in subiecto exprimatur intentionaliter obiectum, iuremerito haec *unio* aequiparatur *fecundationi*, ex qua proles nascitur; ipse vero actus, qui hoc modo oritur, nomine *conceptus* (*conceptionis*) insignitur.

2. Quia autem actus hic (conceptus) est similitudo obiecti, quam *exprimit* in se intelligens, cum facultatem inintelligendi ad exercitium applicat, ideoque actus hic dici etiam iuremerito potest « *species expressa* ». Dici potest « species », quia similiter ac species impressa vices gerit ipsius obiecti eiusque similitudinem seu « speciem » exhibet. Dicitur « expressa », quia — secus ac species impressa, quae intellectui (patienti) mere *imprimitur* (ab intellectu agente) — activitate propria ipsius intellectus (patientis) formatur et quidem eo fine, ut similitudo obiecti intentionaliter in subiecto *exprimatur*. Unde etiam definitio classica speciei expressae: « similitudo expressa obiecti actu intellecti ab intellectu genita ».

Quia species expressa involvit essentialiter relationem ad *activitatem propriam intellectus* — secus ac species impressa, respectu cuius intellectus tantum mere passive se habet — non potest umquam mere infundi intellectui.

3. *Operatio* intellectus, quae formaliter producit speciem expressam, designari solet a Scholasticis nomine technico « intellectionis »: dum enim producit in subiecto speciem (expressam), *unit* eo ipso subiectum cum obiecto actu intelligi-

bili; sed dum unit ita subiectum cum obiecto, formaliter *assimilat* — utique intentionaliter — subiectum obiecto. Porro intentionalis assimilatio subiecti intelligentis cum obiecto — est praecise formalis intellectio.

3. — Dictio, Verbum. — 1. Dum subiectum intelligens format in se speciem *expressam*, efficit, ut *similitudo obiecti*, quae praesens iam in ipso aderat ratione speciei impressae [1], at ab ipso minime cognoscebatur (species impressa pertinet ad actum I.), nunc *actu innotescat* subiecto. Porro dum hoc modo intellectus manifestat sibi id, quod ei hucusque occultum erat, praestat erga se ipsum fere id, quod unus homo praestat erga alterum, dum ei *loquitur* seu dum ei profert *verba*. Propter hanc praecise analogiam *actio* intelligentis (intellectio), quae format speciem expressam, vocari solet *dictio* mentalis, ipsa autem species expressa appellari consuevit *verbum mentale* seu verbum internum.

2. *De relatione dictonis ad intellectionem* disputatur inter doctores. Ferrariensis et quidam alii dicunt dictionem *realiter* distingui ab intellectione; nam dictio *producit* verbum, intellectio vero illud *cognoscit*. — Reliqui tamen Scholastici unanimiter asserunt omnem dictionem esse necessario etiam intellectio nem; nam dum intellectus dicit seu producit verbum, unitur cum obiecto ut *in actu cognito*. Sed dum unitur cum obiecto ut in actu cognito, *intelligit*. (S. Th. I. p. q. 27. a. 1. *De Verit.* qu. 4. a. 2. ad 5.; *C. Gent.* l. 4. c. 11). Intellectus non aliter *dicit* quam *intelligendo* — « dictio » est necessario « intellectio ». —

Posito quod omnis dictio est eo ipso intellectio, quaeri ulterius potest, utrum vice versa *omnis intellectio sit necessario etiam dictio*. — Solutio huius quaestionis dependet a solutione alterius quaestionis *logice* (non ontologice!) prioris: utrum videl. omni intellectione *producatur verbum mentale*,

[1] Haec similitudo est secundum multos Scholasticos *virtualis* tantum. Ita ex Thomistis v. g. Melchior Cano, uterque Soto, ex non — Thomistis plurimi, qui sequuntur hac in re doctrinam S. Augustini, pro quo, ut notat Suarez (*De An.*, l. III., c. 2., n. 22) « species sunt quaedam veluti obiectorum semina potentiae cognoscitivae tamquam utero mandata ad formandos conceptus ». Hanc sententiam etiam Doctor Eximius « probabiliorem » putat (*ibid.*, n. 20). Secundum vero plurimos Thomistas similitudo haec est « formalis ». (Cf. thesim IX, **1**; pag. 78).

necne (nam « dicere » est praecise « producere verbum »). De hac controversia infra in Schol. troctabitur.

4. — Medium in quo. Quid sit « medium in quo » et quomodo differat a « medio quod » (ex quo, per quod) et a « medio quo », abunde iam explicavimus th. X, Sch. 2, pagina 27 sqq.

5. — *Delimitatio accuratior problematis in thesi tractandi.*

Bene perpendendae sunt *restrictiones*, quae assertioni nostrae imponuntur:

a) in thesi non tractamus de cognitione intellectuali, quam *Deus* habet de rebus, nec de cognitione *angelorum* propria, immo nec de cognitione *animarum separatarum*, sed de *sola* cognitione intellectuali propria *hominis*. Ponitur enim in tenore thesis « Intellectus humanus.... »

b) non agimus directe in thesi praesenti de cognitione propria *beatorum* in caelo, dum Deum intuitive vident, sed tantum de cognitione humana *naturali*; quod vel ipso tenore thesis indicatur per verbum « naturaliter ».

6. — Thesis habet 3 partes:

Pars I: *Intellectus intelligendo format in se naturaliter speciem expressam.*

Pars haec, cum agat de sola cognitione intellectuali *naturali*, ab omnibus Scholasticis *communi* consensu tenetur. Controversia oritur, ubi primum de cognitione *supernaturali*, qualis est *visio beatifica*, quaeritur. De hac controversia infra in Schol. agemus.

Pars II: *Speciei expressae convenit ratio verbi.*

Pars haec, prouti iacet et iisdem restrictionibus munita ac Pars I., *communiter* a Scholasticis recipitur.

Pars III: *Species expressa est « medium in quo » obiectum ipsum ab intellectu attingitur.*

Adversarii huius partis thesis:

1) *Cartesius, Locke,* insuper *Subiectivistae* cuiuslibet speciei: idea (in actu II. seu species expressa) est medium « quod », medium « ex quo ». Falsitas huius sententiae ex professo in Criteriologia ostenditur, ubi obiectivitas cognitionum nostrarum vindicatur. Vide thes. X, pag. 90 sqq.

2) Plurimi Scholastici post *Durandum*, *G. Biel*, *Scotum*, *Suarezium*: species expressa est « medium quo » seu est id, *quo* cognoscens formaliter terminatur ad rem, ut in se cognitam ita tamen, ut ipsum minime cognoscatur, ne secundum quidem partem *suam obiectivam seu repraesentativam.* Pars enim obiectiva aeque ac pars subiectiva speciei expressae est nobis *teste conscientia* prorsus *ignota.* Insuper « quia qualitas [species expressa subiective spectata] essentialiter est similitudo — arguit Suarez — et e contra similitudo illa est essentialiter qualitas, impossibile ergo est intelligi verbum ut similitudinem et non ut qualitatem » (*De An.* l. III. c. 5. n. 17, 18).

3) Secundum sententiam *S. Thomae* species expressa, quae adest in intellectu, exhibet tamquam *imago* rem vel iudicium de re; haec imago nota est mihi non tamquam « qualitas » seu secundum suas proprietates subiectivas, entitativas v. g. quatenus est spiritualis, accidens etc., sed tamquam « imago » seu secundum suam partem *obiectivam* (repraesentativam). Verbum spectatum « entitative » seu « subiective » utique non potest vocari medium *in quo* sed medium *quo*; nec cognosci potest nisi cognitione *reflexa!* — Hanc sententiam in thesi defendimus.

Probatur thesis.

Pars I. — *Intellectus intelligendo format in se naturaliter speciem expressam.*

Arg. I. — De ratione intellectionis actualis est, ut obiectum sit intra ipsum intellectum, et quidem ut sit ibi in ratione obiecti intelligibilis in actu secundo.

A. Obiectum non potest esse hoc modo intra ipsum intellectum nisi mediante specie expressa formata in intellectu. *E.*

Ad Mai. — Obiectivismus intellectionis nostrae (alibi vindicatus) requirit, ut intellectio nostra sit « assimilatio » intelligentis ad rem intellectam, atque adeo, ut in actu intellectionis subiectum sit — utique intentionaliter — ipsa res intellecta. Sed dum subiectum ita factum est actu ipsa res « intellecta », haec res est, ut patet, *intra ipsum* intellectum in ratione *obiecti intelligibilis* in actu secundo.

Ad Min. — Obiectum intellectionis (naturalis) seu res, de qua cogitamus, est saepe simpliciter *absens*; quando autem est praesens, non est secundum se *intelligibile actu* (II) sed *potentia* tantum (est enim materiale, singulare, dum intelligibile actu est abstractum, universale). Ut fiat intelligibile actu (II), debet obiectum absolutum a conditionibus materialibus (intelligibile in actu I., quod fit per speciem impressam) transire in *actum vitalem* intelligentis. Sed transire in actum vitalem intelligentis idem est ac *reproduci in intelligente actione ipsius intelligentis.* Sed rursus reproduci in intelligente actione ipsius intelligentis idem est ac *exprimi ab* intelligente *in* intelligente tamquam imago obiecti. Sed haec praecise sunt ipsa definitio *speciei expressae.*

PARS II. — SPECIEI EXPRESSAE CONVENIT RATIO VERBI.

De ratione verbi est:

1. ut procedat ab intelligente, formaliter ut intelligens est;
2. ut dirigatur ad intelligentem eo fine, ut ei aliquid innotescat (manifestet);
3. ut manifestet rem ab ipso manifestante conceptam.

A. Haec tria conveniunt speciei expressae.

E. Speciei expressae convenit ratio verbi.

Mai. — Patet ex obvia analysi eorum, quae communiter requiruntur ad hoc, ut aliquis sonus habeatur proprie pro *verbo.* Non sufficit qualiscumque « sonus animalis ore prolatus » sed requiritur insuper, ut sonus habeat rationem « loquelae ». Porro alibi monstravimus loquelam esse dotem exclusivam entis *intelligentis* eiusque finem esse communicare seu manifestare enti intelligenti rem ab intelligente conceptam.

Min. quoad 1. patet ex parte 1. thesis praesentis.

Quoad 2 at 3: Omni intellectioni actuali, sive sit simplex apprehensio sive iudicium sive ratiocinium, praesupponitur semper aliqua in intellectu conceptio rei intelligendae; simplici apprehensioni praesupponitur species impressa (ut notum est ex thesi praecedenti); iudicio praesupponitur notitia terminorum; ratiocinio notio praemissarum. Porro in hisce praesuppositionibus continentur modo quodam virtuali et — per consequens etiam — modo quodam *occulto*, quod demum ope speciei expressae explicite *fit* intelligenti *mani-*

festum. « Intellectus — ait S. Thomas — sua actione format rei definitionem [notionem] vel etiam propositionem affirmativam seu negativam. Haec autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur: hoc enim est, quod verbo exteriori significatur: vox enim exterior neque significat ipsum intellectum neque speciem intelligibilem [impressam], neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem [speciem expressam], qua mediante refertur ad rem (*De Potentia*, qu. 8. a. 1.) ». « Quicumque... intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae ex vi intellectiva proveniens, et ex eius notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox significat, et dicitur verbum cordis [mentale] significatum verbo oris » (S. Th. I. p. qu. 27. a. 1.). « Semper, cum actu intelligitur, verbum formatur » (Opusc. XIV).

PARS III. — SPECIES EXPRESSA EST « MEDIUM IN QUO » IPSA RES AB INTELLECTU ATTINGITUR.

Medium « in quo » est id, quod *a*) est primo cognitum, *b*) est ratio cognoscendi aliud.

A. Verbum mentale *a*) est primum cognitum, *b*) est ratio cognoscendi aliud.

E. Verbum mentale est « medium in quo ».

Mai. Patet ex ipsa notione medii in quo.

Min. probatur:

1. — *Ratione suasiva.*

Ad a) Primum cognitum debet esse *intra ipsum intellectum.*

A. Intra ipsum intellectum est solum verbum.

E. Verbum est primum cognitum. — *Maior ult.* patet ex theoria cognitionis alibi exposita.

Ad b). Ratio cognoscendi obiectum aliquod est forma, qua obiectum actu ab intellectu cognoscitur.

A. Forma, qua obiectum actu ab intellectu cognoscitur, est verbum mentale. *E.*

2. — *Ratione convincente*: Saepe intellectione attinguntur res, quae simpliciter non existunt, immo quae neque existere possunt.

A. Res tales non possunt *in se* attingi intellectione.

E. Attinguntur *in alio* scil. in earum imagine, quae praesens est in intelligente, seu in verbo.

Ad Mai. — Simpliciter non existunt: futura, futuribilia, possibilia. Nequa existere possunt « entia rationis »: negationes, privationes, impossibilia, universalia reflexa et universalia directa (haec ultima quoad *modum* essendi!).

Min. patet ex terminis: Quod, qua tale, non existit in se, neque attingi potest in se. Sententia igitur, quae asserit nostram intellectionem per prius et directe terminari essentialiter ad rem, ut est *in se*, implicite asserit entia rationis, qua talia: privationes, impossibilia etc. esse in se aliquid positivum! — Porro tota difficultas evanescit, ut patet, in sententia, quae asserit obiecta cognosci in imagine, quae praesens est in intellectu.

Schol. I. — Utrum in visione beatifica producatur verbum.

1. *Negative* respondent: *Caietanus*, *Torres* et plurimi *Thomistae.*

Argum. huius sententiae:

Quotienscumque producitur verbum, intellectio terminatur immediate non nisi *ad ipsum* et *per ipsum* demum ad obiectum; quo fit, ut si in visione beatifica producitur verbum, beati vident Deum *in similitudine.* Porro si vident Deum in similitudine, non vident Eum, ut est in se ipso; nam repugnat similitudo creata, finita (imago expressa) increati Dei Infiniti.

2. *Affirmative* quaestionem solvunt: *Scotus*, (4. d. 49 q. 2. art. 3), *Molina*, *Vasquez*, *Suarez* (*De Deo Uno et Trino* lib. II. cap. 11. n. 4;), *Liberatore* etc. Pro hac sententia citatur *S. Thomas* (I. p., q. 27 a. 1; q. 9. *de Pot.* a. 4, 5, *C. Gent.* c. 11, 12; *De Verit.* q. 4. a. 2).

Arg. huius sententiae: Si auctores sententiae praecedentis non tantum verbis sed etiam re ipsa fugere volunt opinionem, secundum quam beati vident Deum formaliter « per visionem increatam per se formaliter unitam intellectui creato », debent necessario admittere visionem beatificam esse in beato aliquid *creatum.* Sed si hoc tenent, teneant ulterius necesse est, visionem beatificam esse aliquam *qualitatem*, qua intelligens formaliter constituitur intelligens, hinc *verbum* pro-

prie dictum. — Dices: Visio beatifica est in vidente « pura actio », quae qua talis, non est « similitudo », nec, per consequens, « verbum ». Respondetur: Actio, qua talis, — hinc semper et necessario — habet aliquem « terminim productum ». Quare repugnat « actio pura », per consequens nec dari potest actio intelligendi in beato sine termino producto seu *verbo*.

3. *Crisis.* — Controversia praesens non potest plene solvi nisi solvatur in antecessum alia quaestio logice prior: utrum omni actione producatur necessario terminus ita, ut « actio pura » simpliciter repugnet. Sit igitur Schol. II.

Schol. II. — Utrum omni actione producatur terminus.

1. Quia actio distinguitur duplex videl. « transiens » et « immanens », ideoque problema modo enuntiatum sponte *bifariam* dividitur: 1. Utrum omni actione *transeunte* producitur terminus? 2. Utrum omni actione *immanenti* producitur terminus?

Problemati I omnes Scholastici *affirmative* respondent. Tota enim ratio actionis *transeuntis* qua talis (propter quam etiam « transiens » vocatur) consistit praecise in hoc, ut ponat in *alia* re *novam realitatem* — *terminum* suum.

2. Quod attinet problema 2., dantur sententiae duae:

I. Actione immanenti non producitur — saltem per se — terminus. Actio enim immanens non est *actio proprie dicta* seu actio, quae ponitur in proprio praedicamento « actionis », sed est actio improprie tantum dicta et, quae ponitur in praedicamento « qualitatis ». — Ita communius Thomistae. — Sed haec iam uberiorem explicationem postulant.

Actio de praedicamento « actionis » illa intelligitur, quae est verum « fieri » termini; proindeque nec potest dari sine termino; repugnat enim « fieri » sine aliquo tandem « facto esse », nam « fieri » est essentialiter *alicuius rei.*

Actio autem de praedicamento « qualitatis » non est ratione sui « fieri » *alicuius* seu, aliis verbis, non tendit ad producendum aliquem terminum, sed *sistit in se ipsa*; est igitur « actio pura » i. e. actio, quae ad nihil aliud *diversum a se* tendit, proindeque ipsa est sibi suus terminus seu *finis.* — Actio talis est entitas completa ordinis accidentalis. Collocatur in praedicamento « qualitatis » et quidem in I.

eius specie scil. in « dispositione », quae definitur » qualitas determinans subiectum ad hoc, ut bene vel male se habeat secundum esse suae naturae » seu « qualitas, quae praedicatur de re, in quantum in *se ipsa* habet se bene vel male ». Si nihilominus appellatur « actio », appellatio haec est impropria seu aequivoca. Hoc praecise innuere intendunt voces restrictivae « grammaticalis » et « metaphysica », quae voci « actio » apponuntur. Dicitur « actio grammaticalis », quia significatur quidem per modum actionis tendentis in obiectum tamquam in terminum suum, licet reapse in eum non tendat. Dicitur « actio metaphysica », quia tantum ab intellectu, considerante in abstracto res, concipitur haec operatio ad modum actionis. — *Actiones immanentes* non esse actiones de praedicamento « actionis » probatur a Thomistis rationibus sequentibus:

1. *Auctoritate Aristotelis*, qui docet finem facultatum vitalium esse ipsum *usum* earum seu *operationem* (v. g. finem visus esse visionem), facultatum vero non vitalium esse ipsum *opus* (finem aedificationis esse domum). *Metaph.* VIII (Θ), 8, 1050, a 23-b.

2. Nulla actio praedicamentalis est perfectio agentis.
A. Actio immanes est perfectio agentis.
E. Actio immanes non est actio praedicamentalis.

Ad Mai. — V. g. « Ignis calefaciendo non perficit se ipsum ».

Ad min. In actione immanenti consistit interdum ipsa « beatitudo » operantis. Sed beatitudo non ordinatur ad *aliud* ulterius sed ipsa est quid ultimum. Aliis verbis, actiones hae non sunt a natura institutae ad aliquid *producendum*. Secus « intellectio ordinaretur ad acquirendam formam in subiecto; qua acquisita, cessaret actio; etenim inducta passione per receptionem formae productae, cessat actio et solum remanet passio. Atqui intellectio non cessat per acquisitionem alicuius formae: quia etiam verbo producto... remanet intellectio contemplans in illo; imo intellectio tunc est perfectior, quando iam verbum est perfecte formatum ».

3. Actio de praedicamento « actionis » est successiva; nam omnis actio est motus, ut ait Aristoteles.
A. Actio immanens non est successiva. *E.* —

4. Actio de praedicamento «actionis» infert passionem.

A. Actio immanes non infert passionem.

E. Actio immanens non est actio de praedicamento actionis.

5. Potentia activa definitur «principium trasmutandi aliud in quantum aliud». Consequenter ad haec ipsa actio est illud praecise, quo *aliud* transmutatur. Sed actione *immanenti* non transmutatur *aliud*, ut ex terminis patet.

N. B. Non desunt inter Scholasticos, qui ex una parte collocant quidem actiones immanentes in praedicamento «actionis», attamen ex altera parte affirmant eas carere prorsus omni termino (producto). Sunt igitur actiones immanentes ratione sui «purae actiones» in praedicamento «actionis»; attingunt *immediate* et *per se* sua obiecta.

Sent. II. — *Actione omni — hinc etiam immanenti — producitur terminus.* — Ita docent *Durandus*, *Gabriel*, *Scotus, S. Bonaventura*, *Suarez,* (*Met. Disp.* 48, sect. 2).

Argumenta eorum:

a) De ratione actionis, *qua talis*, est, ut habeat intrinsecum terminum, ad quem tendat ut a se producendum. — In ipsa igitur *essentia* actionis includitur *relatio transcendentalis ad terminum*; quo fit, ut impossibile sit vel mente concipere productionem (effectionem, causalitatem), quin per eam sit aliquid productum (effectum, causatum).

b) Actio, qua talis, non est forma, sed *modus formae* aliquis, est videl. *dependentia* huiusce formae ab agente. Sed modus, dependentia, qua tales, sunt semper *alicuius rei*, quae hoc *modo* (hac dependentia) afficitur, et quam rem praecise vocamus «terminum actionis».

c) *Solutio argumentorum sententiae praecedentis.*

Ad Arg. 1. resp.: Dum Aristoteles dicit finem facultatum vitalium esse ipsum «usum» earum non vero productionem operis, intendit hoc tantum: iis nihil producitur, quod *maneat transacta actione* (Cf. I. *Eth. Nic.*) — secus ac actioni transeunti accidit, in qua *ordinarie* terminus *permanens* producitur.

Ad Arg. 2. resp.: Principium argumenti: «Nulla actio praedicamentalis est perfectio agentis» verum est, si sermo

est de actione *transeunti*; *petitionem* vero *principii* involvit, ut patet, si de *omni* generatim actione intelligitur.

Insuper probandum esset beatitudinem consistere formaliter in actione, *prout actio opponitur termino*, et non in actione, prout haec actio includit etiam terminum productum. — Tandem nec melius rem defendes, dicendo: ubicumque actio terminatur ad producendum terminum (formam), ibi producto termino cessat iam actio et remanet passio, quod non verificatur in intellectione, quae producto termino non tantum non cessat sed e contra adhuc perfectior evadit (contemplatio). Nam quia terminus involvit relationem transcendentalem (essentialem) *dependentiae* ad operantem, ideo *tamdiu* solummodo durare potest terminus, quamdiu durat ipsa haec relatio dependentiae. Sed haec relatio dependentiae est realiter ipsa actio, ut dictum est. Quare cessante actione, et terminus ille necessario cessare debet.

Ad Arg. 3. resp.: Antecedens argumenti: « Actio de praedicamento est successiva » assumit tamquam certum id, quod est praecise nodus totius controversiae — hinc continet petitionem principii. Quaritur enim ab initio praecise de hoc, utrum sub praedicamento (genere) « actionis » collocandae sint solae actiones « successivae » an etiam « instantaneae ». Nec haec petitio principii evitabitur dicendo: « omnis actio est motus » — nam non omnis motus est « successivus ».

Ad Arg. 4. resp.: In asserto: « Actio de praedicamento actionis infert passionem » similis petitio principii ac in arg. praecedenti continetur.

Ad Arg. 5. resp.: Argumentum ex definitione potentiae activae desumptum (« principium transmutandi aliud in quantum aliud ») *nimis* probat, ergo *nihil* probat. Ad mentem enim eius dicendum esset nullas generatim potentias vitales (immanentes) esse *activas*. Potentiae enim vitales non transmutant « aliud ». — Haec iam nos graviter monent « aliud » non necessario debere esse *realiter* distinctum; sufficit, ut sit distinctum ratione cum fundamento.

3. Crisis *utriusque sententiae*.

1. Ut lis, prout decet, componatur, stricte determinandi sunt in antecessum ipsi termini, qui in controversiam afferuntur, et praecipue: *actio*, passio, motus. Sed determinandi sunt non a *priori* sed ex *experientia* et quidem ex rebus *sen-*

sibilibus; in hisce enim rebus hae notiones plene apparent. — Attamen antequam hae notiones ad rem spiritualem, qualis est anima, applicentur, debent prius purificari methodo nota: causalitatis, negationis, eminentiae.

2. « *Actio* » in rebus sensibilibus nihil aliud est nisi *motus* (passio) praesens in patiente spectatus formaliter secundum *relationem dependentiae*, quam involvit ad agentem tamquam ad suum principium dynamicum seu ad suam causam efficientem (Cf. Arist. *Phys.* III. 3. 202 a, b.). Consequenter ad haec actio intellectus est motus praesens in ipso intelligente consideratus formaliter secundum relationem dependentiae, quam dicit ad subiectum intelligens. Motus hic, utpote receptus in intellectu — facultate spirituali — non potest esse utique successivus sed necessario debet esse *instantaneus* nihilque aliud formaliter dicit nisi merum transitum facultatis intellectivae de potentia ad actum. Consequenter *actio intellectiva* nihil aliud erit nisi hic *transitus facultatis intellectivae de potentia in actum prout dependens a subiecto intelligente.*

3. Ut actio intellectiva sit *realis*, debet, ut patet, hic transitus de potentia in actum esse realis. Sed ut transitus de potentia in actum sit realis, debet non tantum ipsa potentia, sed etiam ipse *actus*, ut patet, esse realis. Non tantum ipsa « potentia » dico; si enim sola realitas potentiae sufficeret ad transitum (seu motum), de quo est sermo, efficiendum, non posset dari potentia sine actione, ut patet, et ita incideremus sive in theoriam statuentem: πάντα ῥεῖ Heracliti sive in theoriam negantem « les choses », « les états » Bergsoni. Debet igitur etiam ipse *actus* esse *realis.*

Hic actus, in rebus materialibus, ut constat, non potest esse « actus perfectus » — secus enim actum esset de ipso « transitu » (motu) et adesset iam quies; e contra debet esse per se intrinsece *imperfectus* seu « in via » ad actum (esse) perfectum (Arist. Θ, 6, 1048, b, 18-36).

At in motu *instantaneo* — (mero transitu de potentia in actum) — qualis est actio intellectiva, actus imperfectus non potest existere in sua propria forma *incompleta*, *partiali* seu qua « actus imperfectus »; secus actio « instantanea » (ex hypothesi!) esset « successiva! » — Debet igitur statim existere in sua forma completa seu *totali* i. e. *qua actus perfectus.*

4. Quomodo differunt a se invicem *hic* actus perfectus et *terminus* actionis seu effectus? Differunt eodem *analogice*

modo, quo in rebus materialibus motus differt a suo termino intrinseco. Porro in rebus materialibus motus differt a suo termino intrinseco tamquam actus *mixtus essentialiter potentiae* ab actu *puro* (utique relative puro).

Utrum per hoc ipsum differat iam realiter? *Affirmative* respondendum nobis videtur. Sicut via ad actum perfectum realiter differt ab ipso actu perfecto, ita etiam intellectio, quae est *via* ad producendum terminum, realiter ab ipso differre debet (utique quando reapse producitur).

5. Cum intellectio differat a verbo realiter, ideoque argumentum pro absoluta necessitate verbi in visione beatifica in Schol. I allatum perdit totam suam vim.

Schol. III. De habitudine verbi (speciei expressae) ad intellectionem actualem.

1. *Sent. I.* — Verbum (species expressa) et intellectio non differunt tamquam realitates seu *realiter*, sed tantum tamquam diversi *aspectus* unius eiusdemque realitatis, seu differunt *ratione* cum fundamento (virtualiter). Ita v. g. *Suarez* (*De An.* 1. III. c. 5. n. 13 sqq. I. Trin. lib. 2, c. 6, 11 sq.).

Sent. II. — In actuali exercitio (naturali) facultatis intellectivae complete sumpto distinguendae sunt duae realitates indivisibiliter secum quidem connexae attamen re non identicae: 1. verbum (species expressa), quod ad modum formae intellectui inhaeret... 2. intellectio seu intentio intellectus contemplantis obiectum in hac forma. Huic sententiae videtur favere *S. Thomas*, qui: « intelligens... — ait — in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem: scilicet ad rem, quae intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu, ad suum intelligere, et ad conceptionem intellectus. Quae quidem conceptio a tribus praedictis differt... differt autem ab actione intellectus: quia praedicta conceptio consideratur ut terminus actionis, et quasi quoddam per ipsam constitutum. Intellectus enim sua actione format rei definitionem vel etiam propositionem affirmativam seu negativam. Haec autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur: hoc enim est, quod verbo exteriori significatur ». (Quaest. disp. *De Pot.*, q. VIII. a. 1. c.). Verbum igitur differt ab intellectione secundum S. Thomam eodem modo, quo differt a re intellecta. Ergo realiter. Idem tenent sat communiter *Thomistae* exceptis paucis v. g. *Hyac. de Ferraris O. Pr., de Backer S. I., card. Mercier* etc.

2. Positis eis, quae modo in Schol. praecedenti disputavimus, praeferenda nobis videtur tamquam probabilior sententia, quae distinctionem *realem* inter verbum et intellectionem actualem tenet.

Etenim *a*) verbum se habet ad intellectionem ut terminus productus ad operationem, qua producitur.

A. Terminus productus distinguitur realiter ab operatione, qua producitur.

E. Verbum distinguitur realiter ab operatione, qua producitur.

b) Intellectio distinguitur realiter a suo obiecto.

A. Verbum (species expressa) est obiectum intellectionis. *E.*

Ad Min. — Verbum (species expressa) est « medium in quo » intellectionis.

A. « Medium in quo » est reapse obiectum intellectionis (modo alibi iam explicato). *E.*

Quicumque conclusionem argumenti non vult admittere, teneat oportet cum Durando, Scoto, Suarezio, verbum (speciem expressam) non esse medium « in quo », sed tantum medium « quo ».

Dices: haec sententia adscribit intellectioni attributa, quae secum pugnant. Nam quia intellectio est « via » seu productio verbi, est ipsa prior verbo sicut causa est prior suo effectu. Sed ex altera parte, quia verbum servit pro intellectione tamquam « medium in quo », est intellectio *posterior* verbo — sicuti actus est posterior suo obiecto (obiectum causat actum !).

Rs. Contradictio sponte solvitur, dummodo velis admittere « causalitatem reciprocam ». Ut ex schol. praecedenti patet, intellectio non est prior *tempore* quam verbum, sed prior *natura* — et quidem in ordine causalitatis *efficientis.* Ex altera parte, verbum est prius quam intellectio non tempore, sed natura et quidem in ordine causalitatis *finalis* (intellectio enim, utpote actio, totam intelligibilitatem haurit a suo fine, ad quem tendit, seu a suo termino).

Confirmatur solutione obiectionum:

1. Intellectio est facultatis cognoscitivae actuale exercitium.

A. Actuale facultatis cognoscitivae exercitium totum in eo est, ut cognoscens assimiletur intentionaliter obiecto.

A. rursus. Cognoscens assimilatur intentionaliter obiecto praecise per speciem expressam.

E. Intellectio est *realiter* species expressa.

Rs. Dst. *Mai.* Intellectio... actuale exercitium tamquam formalis *transitus* ex actu I. ad. II. (quae in casu est qualitas) C... tamquam *terminus* huius transitus. N.

Ctdst. min. I.... ut cognoscens intentionaliter assimiletur obiecto *efficienter* i. e. ut *producat* formalem similitudinem seu similitudinem expressam C..... ut cognoscens assimiletur obiecto *formaliter* seu in ratione ipsus imaginis expressae Sbds. et hoc competit actuali exercitio facultatis cognoscitivae seu intellectionis *formaliter ratione* sui N. ratione *termini*, quem producit speciei expressae). C. —

Expl. — Exercitium facultatis intellectivae *totaliter* consideratum comprehendit et « actionem » seu productionem verbi et verbum. At *formaliter* consideratum est sola « actio » (qualitas intellectus), quae ratione sui non est similitudo. Ratione eius coniungitur intellectus verbo, « *in quo* » demum cognoscit rem ipsam.

2. « Duae formae numero et eiusdem speciei non possunt esse in eodem subiecto immediate ». Ergo etiam intellectio et verbum non possunt esse in eodem subiecto, si reapse — ut thesis asserit — realiter distinguuntur.

Rs. Si hae duae formae se invicem natura sua *excludunt* — C, si se *appellant* tamquam *causa et effectus.* N. — Et *nego suppos.*

THESIS XXVII.

In homine cognitio intellectualis per prius circa universalia et non circa singularia versatur.

1. St. Quaest. — In thesi praesenti agitur:

1. *de cognitione humana.* — Non de cognitione *Divina* vel *Angelica*; immo nec agitur in hac thesi de cognitione, quam anima humana *post mortem* hominis habet. Animam enim solam (formam separatam) nemo in philosopha Scholastica « hominem » vocat, quae vox expresse in tenore thesis ponitur.

2. *de cognitione intellectuali.* — Minime igitur quaestio est de cognitione *in genere* seu de cognitione humana in sua *totalitate* sumpta. Haec enim, quemadmodum alibi est probatum, incipit a sensu; porro « sensus est singularium », ut fert adagium shcolasticum; hinc « cognitio singularium quoad nos prior est, quam universalium cognitio ». (S. Th. I. qu. 85, 3; *De Verit.* a X, a 5.). — In praesenti igitur agimus de sola cognitione *intellectuali* et quaerimus, utrum illa sit per prius *circa universalia an circa singularia.*

3. « universalia », de quibus in hac thesi sermo est, intelliguntur « directa », quae etiam universalia « primae intentionis » nuncupantur (natura communis pluribus), non vero « universalia reflexa » seu universalia « secundae intentionis ». Haec enim ultima sunt posteriora cognitione singularium; cuius rei ratio obvia est: universale reflexum fit per quandam reflexionem, qua universale directum comparatur cum entibus, quae illud participant (et quae possunt esse in casu etiam individua singularia) sicut « superius » cum suis « inferioribus ». Ergo cognitio universalis reflexi praesupponit cognitionem singularium.

4. « singularia » in hoc loco intelliguntur: « singularia materialia » seu corpora, cum haec praecise habeant in theoria cognitionis scholastica specialem difficultatem, ut videbimus statim. — Caeterum etiam ideo non agimus hic de singularibus « immaterialibus » v. g. angelis, quia immateralia non cognoscuntur nisi ope materialium, (ut ex alibi dictis patet); hinc cognitio immaterialium est posterior cognitioni materialium seu corporum; proindeque in quaestionem non venit nisi: « universalia an singularia materialia ».

5. Exinde apparet etiam clare in thesi praesenti non agi de hoc, utrum intellectus humanus in cognitione universalium incipiat a *minus universali*, ut paulatim ad magis universale ascendat, ut putat v. gr. Suarez (*De anim.* lib. 4, cap. 3, dub. 1 num. 12 sq.) an e contra incipiat ab universaliori ita, ut universalia eo sint priora cognitione, quo sint universaliora, ac proinde primum cognitum sit « aliquid » seu « ens », ut tenet post Aristotelem S. Thomas (Cfr. Aristoteles, *Physic.* lib. 1, cap. 1: *Summ. Theol.*, I. quaest. 83 art. 3). — (De hoc problemate fusius infra in Schol. II). — Oppositio enim in tenore thesis fit non inter: universale et universale, sed inter *universale* et *singulare.*

2. Circa quaestionem hoc modo positam dantur plures *sententiae*. Attamen antequam earum enumerationem aggrediamur, notandum est:

1. Nos omittere hic illos omnes, qui ideo affirmant singularia prius cognosci, quam universalia, quia putant universalia esse mera *aggregata imaginum singularium* seu imagines communes ex imaginibus singularibus compositas. Pro illis enim problema praesens prorsus non existit, ut patet, cum e medio pellant *universalia* proprie dicta.

2. Neque proprie venit in quaestionem sententia Capreoli et aliorum, qui docent singulare *non cognosci* simpliciter ab intellectu, sed tantum a facultate sensitiva, puta « cogitativa » (i. e. imaginatione, prout haec influxui intellectus subest); in tenore enim thesis dicitur « per prius », quare non revocatur in dubium ipsum *factum* — quod videl. singularia reapse ab intellectu cognoscuntur — sed tantum *ordo* prioritatis, qui adest in cognitione intellectuali circa universalia et singularia.

Nihilominus, cum haec sententia posset creare difficultates non paucas ac impedire, quominus argumenta, quae mox afferentur pro nostra thesi, plene intelligantur, paucissimis eam statim expedimus:

Intellectus iudicat et ratiocinatur de singularibus.

A. Intellectus non potest iudicare et ratiocinari nisi de eis, quae cognoscit.

E. Intellectus cognoscit singularia.

Idem argumentum paulo aliter et magis directe contra Capreolum:

Non potest ferri iudicium sive convenientiae sive discrepantiae circa duos terminos, nisi hi termini per eandem facultatem cognoscantur.

A. (1) Feruntur iudicia sive convenientiae sive discrepantiae circa duos terminos, quorum unus est *universalis*, alter *singularis*.

E. Per eandem facultatem cognoscuntur universale et singulare.

A rursus (2). Non per facultatem *sensitivam*. — Ergo per intellectum.

Ad Mai. — « Sicut... non possemus sentire differentiam dulcis et albi, nisi esset una potentia sensitiva communis,

quae cognosceret utrumque, ita etiam non possemus cognoscere comparationem universalis ad particulare, nisi esset una potentia, quae cognosceret utrumque » (S. Th. *In Arist. lib. de An. Comm. lib. III.* lect. 8. n. 712; — Cf. *ibid.* lect. III, 3, n. 601-604. — Cf. *th.* XII, pag. 110-116).

Min. (1). — Patet ex experientia; caeterum a nemine in dubium vocatur.

Min. (2). — Patet ex eo, quod sensus non cognoscit universalia, ut antea probatum est.

3. — Hoc modo expedita hac sententia et exclusa ex nostra thesi, non remanet, nisi ut consideremus sententias, quae sequuntur:

I. *Durandus* et *Doctor Eximius* (Cfr. *De anima*, lib. IV, cap. 3, n. 7) putant ab intellectu humano prius cognosci singulare, quam universale.

II. *S. Thomas* (*S. Th.* I. p. q. 86, a. 1. c.; *De Verit.* q. 2. a. 6; q. 10. a. 5) affirmat prius cognosci universale, quam singulare. Sententiam hanc tenent etiam Fonseca (*Metaphys.* lib. I, c. 2, q. 3, sect 5), Alammanus S. I. (*Summ. Philos.* IIIa IIae, q. 101, a. 1.) Conimbricenses (*De anima* lib. 3, cap. 4), Remer, de Maria, Tongiorgi, Palmieri, Mendive, Liberatore, Schiffini, Lahousse, Van der Aa, Monaco etc. — Sententia haec communis est Thomistarum.

3. Bene notandum est hanc quaestionem apprime connexam esse non solum *historice*, sed etiam *logice* cum alia, scil.: utrum *singularia directe* cognoscantur ab intellectu nostro an vero indirecte tantum. Qui enim docent intellectum nostrum *directe singularia* cognoscere, consequenter — et quidem omnino logice — dicent (cum Nominalistis et Conceptualistis) haec *primo* a nobis cognosci proindeque prius, quam universale. — Ratio est clara. Qui enim docent intellectum agentem formare ad praesentiam phantasmatis speciem (immaterialem quidem entitative sed) *materialem repraesentative*, sicut fautores huius sententiae faciunt — seu qui tenent intellectum agentem gaudere virtute rapraesentandi naturam simul cum notis singularitatis, quas habet phantasma — hi logice admittunt: « primum, quod intellectus cognoscit, est

singulare » ; nam intellectus id primo cognoscit, cuius specie primo informatur. — Natura autem communis seu universale rapraesentabitur ab intellectu nostro tunc demum, quando intellectus ex *hoc* cognito notas singularitatis (individuantes omiserit seu ab ipsis « praesciderit »); quod ut fiat, saltem prima vice requiritur cognitio diversorum singularium seu plurium individuorum: in eiusmodi individuis intellectus deprehendet profecto similitudinem (naturae) et simul diversitatem notarum individuantium; has diversitates intellectus deinde relinquet et hoc modo remanebit illi sola natura universalis.

Reapse ita procedit *Suarez*: primo probat singularia directe per propriam eorum speciem ab intellectu cognosci; et deinde tamquam corollarium hoc infert: « Intellectus potest directe cognoscere singulare ac prima species, quae in intellectu imprimitur, est rei singularis. Ergo id, quod prius concipitur, ipsum est singulare. Patet consequentia: quia potentia id prius concipit, cuius prius recipit speciem... tunc enim est potentia constituta sufficienter in actu primo ad cognoscendum id, quod per speciem repraesentatur. Ipsum ergo illico cognoscit.... Eo ipso, quod sensus cognoscit singulare, potest intellectus facillime illud cognoscere; universale vero non ita facile, siquidem prius requiritur cognitio singularium et convenientia illorum, ut ab his abstrahatur natura communis. Ergo prius concipitur singulare quam universale » (*De An.* lib. IV. c. 3, dub. II. n. 13). —

Simili ordine etiam *S. Thomas* procedit: primo probat singularia non cognosci ab intellectu directe, sed *indirecte* tantum i. e. per quandam reflexionem, aliis verbis: non cognosci per propriam speciem, sed *per speciem rei universalis*. Ex quo deinde infert: Ergo per prius cognoscitur universale.

4. Quod *methodum* nostram attinet, notandum venit nos supponere ad hanc thesim: *primo* quid sit obiectum proprium et proportionatum intellectus nostri, *secundo* immaterialitatem intellectus nostri (quia ex eo praecise oritur problema: quomodo facultas immaterialis cognoscit materialia?), *tertio* necessitatem specierum intelligibilium (quomodo enim facultas immaterialis posset informari speciebus materiali-

bus, sensitivis, quae essentialiter differunt ab intellectuali?), *quarto* notionem abstractionis scholasticae (contra Sensualismum), *quinto* principium individuationis.

Hisce igitur suppositis probamus sententiam S. Thomae. Quod perficiemus passibus sequentibus:

I. Non praerequiritur cognitio (intellectualis) singularium ad formandum universale (directum) proprie dictum.

II. Conceptus rei singularis non est nisi indirectus tantum seu obtentus ope conceptus universalis proindeque per prius cognoscitur universale.

Probatur thesis.

PASSUS I. NON PRAEREQUIRITUR COGNITIO SINGULARIUM AD FORMANDUM UNIVERSALE PROPRIE DICTUM.

ARG. — Si universale formaretur hoc modo, quod ex pluribus singularibus perceptis omitterentur hae notae, in quibus hae res singulares inter se differunt, et retinerentur illae, in quibus conveniunt, universale esset essentialiter fructus comparationis.

A. Falsum consequens.

E. Et antecedens.

Ad min. I. Universale non est essentialiter fructus comparationis, si ipsa comparatio supponit essentialiter (saltem natura prius) universale.

A. Ipsa comparatio reapse supponit essentialiter (saltem natura prius) universale. *E.* —

Ad min. ult. « Comparare » nihil est aliud, nisi inquirere, utrum duae (plures) res habeant necne inter se *conformitatem* seu utrum participent necne in una *communi forma* ideali. Ergo antequam duas res inter se comparem, debeo iam habere *unam communem formam* idealem.

Explicemus rem exemplo: Inspicio parietem unum (album) mei cubiculi. In hoc momento — si adversariis credis — nondum possum habere ideam « albedinis ». Inspicio deinde parietem secundum. Cum in hoc momento terminus comparationis (una communis forma idealis) mihi desit, ipsa formalis *similitudo* inter has duas res me inevitabiliter fugit. — Immo nec conabor *attingere* (apprehendere) eam; quia cona-

tus seu desiderium voluntatis erga aliquid supponit, omnibus fatentibus, *cognitionem* aliquam *rei desideratae* — sed hanc cognitionem secundum adversarios non habeo in momento hoc. Ignorantia invincibilis « tertii comparationis » tollit per anticipationem omne desiderium comparandi.

Comparatio est quidem necessaria ad dignoscendum, utrum aliqua proprietas rei singularis constituat eius notam *specificam*, necne; seu aliis verbis, utrum in notionem alicuius determinatae « speciei » intret talis vel alia nota. Ita si v. g. per totam vitam non viderem nisi solos canes coloris nigri, nescirem, utrum color niger sit simili modo proprietas speciei « canis » ac caeterae proprietates, quae a zoologis enumerantur. — At attende in hoc casu agi formaliter de formatione universalis *reflexi*, ut patet, quod — ut notum est — iam universale directum supponit — atque adeo totam controversiam praesentem minime tangi.

Insuper noli confundere « accidentale » cum individuali, (Cfr. Alibert, *La psychol. thomiste et les théories modernes*. Paris, *pag.* 201, 213).

PASSUS II. : CONCEPTUS REI SINGULARIS NON EST NISI INDIRECTUS TANTUM SEU OBTENTUS OPE CONCEPTUS UNIVERSALIS.

ARG. I. — Si omnis conceptus directus est universalis, conceptus rei singularis non est nisi indirectus tantum.

A. Reapse omnis conceptus directus est universalis.

E. Conceptus rei singularis non est nisi indirectus tantum.

Ad Min. Conceptus *directus* vocatur ille, qui repraesentat rem, quae *primo* (ratione sui) seu « directe » ab intelligente percipitur.

A. Res, quae *primo* (ratione sui) seu « directe » ab intelligente percipitur, est universalis.

E. Conceptus directus est universalis.

Ad min. ult. Illa res primo (ratione sui) seu « directe » ab intelligente percipitur, quae primo (ratione sui) et directe *per speciem intelligibilem* repraesentantur.

A. Primo (ratione sui) et « directe » per *speciem intelligibilem* repraesentatur res universalis.

E. Res, quae primo (ratione sui) et directe ab intelligente percipitur, est universalis.

Ad min. ult. Species intelligibilis est intentio quaedam abstracta a *conditionibus materialibus* individuantibus.

A. Intentio abstracta a conditionibus materialibus individuantibus est universalis. *E.*

Mai. ult. — Patet ex th. XXV et ex generali theoria de princ. indiv.

Quod argumentum totum ita S. Thomas exprimit « Principium singularitatis in rebus materialibus est materia individualis; intellectus autem noster.... intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab huiusmodi materia; quod autem a materia individuali abstrahitur, est universale. Unde intellectus noster directe non est cognoscitivus nisi universalium ». (I p. q. 86, a. 1.).

Idem argum. aliter. — Intellectus humanus est facultas immaterialis.

A. Omnes actus immanentes facultatis immaterialis sunt immateriales (patet ex princ. caus).

Ergo omnes actus intellectus humani sunt immateriales, — proindeque etiam *conceptus rei sensibilis est immaterialis.*

Atqui rursus: conceptus rei sensibilis est immaterialis, si repraesentat rem sensibilem sine conditione eius materiali, quae, ut notum est, est materia quantitate signata.

Atqui iterum: conceptus, qui repraesentat rem sensibilem sine materia quantitate signata, exhibet *solam* eius formam abstractam, quae, ut aliunde constat, non est actu multiplicata — hinc *una* actu.

Ergo conceptus rei sensibilis exhibet rem, quae est *una actu.*

Minor ult. patet ex hoc adagio a Scholasticis communiter recepto: « Nulla forma est ex se multiplicabilis » ita, ut « duae albedines, qua tales » vel « duae humanitates abstractae » non possint prorsus intelligi. « Quaecumque forma, quantumcumque materialis et infima, si ponatur abstracta vel secundum esse vel secundum intellectum, non remanet nisi una in specie una ». (*Quaest. de spir. creaturis* a. 8 c.).

Usquemodo probavimus conceptum rei singularis esse « *unum actu* ». Remanet nunc, ut probemus eum esse « multiplicem potentia » et habebimus intentum scil. conceptum

directum intellectus esse universalem (universale enim est, quod est « unum acta et multiplex potentia »).

Sit igitur: In tantum forma abstracta habet in intellectu aliquam significationem, in quantum respicit existentiam actualem.

A. In tantum respicit existentiam actualem, in quantum respicit individua existentia tamquam eorum forma multiplicata in ipsis singulis — hinc « in quantum est multiplex potentia ».

E. In tantum forma abstracta habet in intellectu aliquam significationem, in quantum est « multiplex potentia ».

Componamus nunc utrumque elementum, quod acquisivimus, et habebimus: *Conceptus directus, qua talis — hinc omnis* — est « unus actu, multiplex potentia » seu *universalis*. — Consequenter conceptus *singularis* non potest esse nisi « *indirectus* ».

Confirm. I. Nulla facultas potest habere duo *obiecta formalia* diversa. Sed obiectum formale intellectūs est universale. *E.*

2. Nemo umquam potuit tradere *definitionem propriam* huius determinati individui v. g. Petri, sed tantum descriptivam, quae consistit in enumeratione praedicatorum accidentalium, quae ita uni conveniunt, ut sumpta *simul* non conveniant alteri (forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen).

3. Individuum designatur ope *nominis communis* v. g. homo et *praefixo demonstrativo* v. g. hic. In hoc processu evidenter apparet quaedam reflexio.

Corol. Ergo conceptus rei singularis fit duplici elemento, scil. conceptu quidditatis universalis et actu mentis, qui determinat quidditatem ad singularitatem, cuius actus naturam mox in Schol. explicabimus.

Schol. I. — De modo, quo intellectus cognoscit singularia.

Ex argumento scimus singularia non cognosci directe, sed indirecte tantum; aliis verbis, ea non cognosci per speciem propriam sed per speciem alienam, scil. universalem. Jam agitur de explicando *modo*, quo ex universali (quod so-

lum homo directe cognoscit) fiat ab intellectu transitus ad cognitionem individuorum.

I. Sent.: Hoc fit simpliciter congerendo seu accumulando magis ac magis determinationes abstractas seu conceptus universales ita, ut tandem evanescat tota eius *extensio universalis* et reducatur ad unicitatem propriam individui.

Crisis: En quomodo haec sententia expugnari possit ex S. Thoma: « Quantumcumque adunentur aliqua universalia, nunquam ex eis perficitur singulare: sicut si dicam hominen album, musicum, et quaecumque huiusmodi addidero, numquam erit singulare; possibile est enim omnia haec adunata pluribus convenire. Unde qui cognoscit omnes causas in universali, numquam propter hoc proprie cognoscet aliquem *singularem* effectum: nec ille qui cognoscit totum ordinem caeli, cognoscit hanc eclypsim — ut est *hic* (*Quaest. disp. de An. a. XX c.*).

II. Sent. Caietani: Singulare cognoscitur ab intellectu *arguitive*, quatenus videl. ope ratiocinii *concludit* ex universali directe cognito ad singulare tamquam ad eius *fundamentum* reale. – Scit enim bene universale non posse, qua tale, existere.

Crisis: Singulare — stante hac sententia — non cognosceretur nisi « in communi », in confuso et *indeterminate*. Nam ratiocinium tale evincit *hoc* tantum: dari *aliquod* fundamentum, in quo existit natura universalis.

III. Sent.: Intellectus cognoscit singularia « per quandam reflexionem » (S. Th. I. p. q. 86 a. 1.).

a) P. Hugon O. P.: *per reflexionem ontologicam* i. e. reditionem in actum cognitionis, in quo intellectus considerat ipsum *obiectum* repraesentatum seu expressum.

« Species sensibilis procedit a phantasmate et a singulari tamquam a termino a quo. Quia igitur a phantasmate in fieri dependet, debet connotative et in obliquo ipsum phantasma et singulare repraesentare. Duo itaque in specie impressa referuntur: directe universale, connotative et in obliquo singulare. Intellectus attingit primario, quod directe in specie exibetur; deinde potest ad id, quod in obliquo repraesentatur, specialiter attendere tamquam ad aliquid ultimate intentum ». (*Metaph.* IV, pag. 125).

Ad explicationem hanc fere accedit P. Sladeček S. I. (in: Scholastik, Heft 2,1926): intellectus reflectendo in formam universalem, qua directe cognovit, attingit singulare corporeum in propria ipsius forma.

Crisis: Nonne quandam contradictionem involvit affirmatio: forma singularis directe in forma universali attingitur? Vel quomodo potest – licet tantum « in obliquo » – in specie universali repraesentari « singulare », qua tale?

Si dicis: Intellectus attingit directe speciem singularem non in ipsa specie intelligibili, sed in phantasmate, *Rs.* Phantasma, utpote materiale, est singulare. Et ita totum problema solvendum de novo instauratur: quomodo ab intellectu *singulare hoc* attingi potest?

b) per *reflexionem psychologicam*. Quam rem ita S. Thomas explicat: « Anima coniuncta corpori per intellectum cognoscit singulare, non quidem directe, sed per quamdam reflexionem; in quantum scilicet ex hoc, quod apprehendit suum intelligibile, revertitur ad considerandum suum actum, et speciem intelligibilem, quae est principium suae operationis; et eius speciei originem; et sic venit in considerationem phantasmatum et singularium, quorum sunt phantasmata. Sed haec reflexio compleri non potest nisi per adiunctionem virtutis cogitativae et imaginativae » (*Quaest. disp. de An.* a. XX ad 1 contra).

En quomodo res explicanda nobis videtur: Quidquid intellectus cognoscit, cognoscit in verbo. Hoc verbum est « medium in quo », — hinc ipsum directe et immediate cognitione attingitur. Dum autem ipsum attingitur, attingitur etiam *virtualiter* species intelligibilis impressa, quae est verbi (actus II) forma specificativa.

Sed species impressa est effectus phantasmatis (elevati per intellectum agentem, ut constat), a cuius *actuali influxu continuo dependet.* Quare intellectus attingendo speciem impressam, « venit ad considerationem phantasmatis » non quidem contemplando directe illud tamquam obiectum (ut putat theoria praecedens), sed tamquam terminum transcendentalis relationis (concretae) in causalitate fundatae, quam species impressa importat ad phantasma singulare tamquam ad terminum « a quo » — et quam relationem intellectus cognoscit non quidem « arguendo », sed *concrete experiendo conscientia concomitante.*

SCHOL. II. — UTRUM INTELLECTUS PRIUS COGNOSCAT MAGIS UNIVERSALE QUAM MINUS UNIVERSALE?

1. Quaestioni huic *affirmative* respondendum censemus. Ratio asserti:

Intellectus, qui evolvit se transeundo de potentia in actum (de imperfecto ad perfectum), prius cognoscit magis universale quam minus universale.

A. Intellectus evolvit se transeundo de potentia in actum.

E. Intellectus prius cognoscit magis universale quam minus universale.

Ad Mai. « Omne, quod procedit de potentia in actum — ait S. Thomas — prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam actum perfectum: actus autem perfectus ad quem pervenit intellectus, est scientia completa, per quam distincte et determinate res cognoscuntur; actus autem incompletus est scientia imperfecta, per quam sciuntur res indistincte sub quadam confusione; quod enim sic cognoscitur, secundum quid cognoscitur in actu et quodam-modo in potentia. Manifestum est autem, quod cognoscere aliquid, in quo plura continentur, sine hoc, quod habeatur propria notitia uniuscuiusque eorum, quae continentur sub illo, est cognoscere sub confusione quadam » (I p. q. 85, a. 3. c). Aliis verbis, magis universale habet se ad minus universale tamquam minus perfectum ad magis perfectum. Quod enim in minus universali exhibetur clare et distincte (actu), *hoc idem* invenitur in magis universali *confuse et indistincte* (potentia). — Ut magis universale fiat clarius et distinctius, opus est eius universalitatem restringere, ut constat. — Cognitio, quam habeo de homine ex hoc, quod dicitur substantia vel « aliquid », est minus plena, minus perfecta, quam cognitio, quam habeo de homine ex eo, quod dicitur « animal » vel « animal rationale ».

Ad min. Intellectum evolvere se ita, ut de potentia transeat in actum, patet, 1. ex *experimentis a Moore* factis (1910): si ex serie multarum figurarum, quae sibi succedunt, indicanda est figura, quae iam antea visa fuerat, tunc observator primo enuntiabat *aliquam* figuram iam fuisse visam, quin posset differentiam clare nominare; demum post aliquot repetitiones effectas capax erat indicandi differentiam, incipiendo a

magis universalibus (v. g. figura etc.) et progrediendo paulatim ad differentias distinctiores.

2. ex experimentis a Schwiele (1910) factis supra perceptionem significationis vocabulorum auditorum: primo sonus *non* intelligitur, deinde intelligitur *modo vago*, ac tandem intelligitur *distincte*.

3. ex observationibus introspectivis ab ipso auctore huiusce libri factis: quando facit correcturam foliorum imprimendorum, saepissime illi accidit, ut, dum invenit *aliquod* mendum orthographicum, in primo statim instanti clarissima conscientia percipiat hic deesse *aliquid*, sed demum in instanti subsequenti detegit, *quidnam* proprie illud sit, quod deest.

2. Tamquam *corollarium* huius Schol. sequitur primum cognitum intellectus nostri esse *ens*. — Quod etiam ipsa *experientia* comprobat: primae conceptiones intellectus sunt reapse « aliquid » seu *ens*; quo fit 1), ut pueri et rudes continuo utantur ad desiganda obiecta vel maxime disparata voce indeterminatissima « res ». Sed voces sunt signa manifestativa conceptuum. — 2) quando puer quoddam nomen determinatum didicit, puta nomen patris sui, hoc nomine ita deinde utitur ac si esset *nomen commune* — quod iam bene animadvertit Aristoteles (*Phys.* I, 1. 184*b* 12).

3. At « ens » non cognoscitur statim ab initio *ut analogum*. Ad hoc enim requiritur, ut constat, ut etiam *inferiora* eius cognoscantur (Cf. Jo. a S. Th. *Phys.* qu. I. a. 3, Dico 2º).

4. Ex conceptu entis *obsolute* considerati pervenit intellectus humanus ad conceptum *non entis* (negationes enim cognoscuntur per oppositionem ad affirmationem), *divisionis* (dividuntur illa, quorum unum non est aliud), *unius* (unum est ens indivisum), *multitudinis* (multitudo opponitur unitati).

Ex conceptu entis *relative* spectati pervenit intellectus ad conceptum: *boni*, *veri*, *pulchri*.

Deinde intellectus distinguit inter se diversas proprietates unius eiusdemque realitatis et ita pervenit ad cognitionem substantiae et accidentium sive necessariorum sive contingentium; ex quo ulterius progreditur ad determinandam *quidditatem rei corporalis*. — Cum cognitio quidditatis fiat ratiocinio ex proprietatibus, ideoque fit, ut substantias ex proprietatibus definiamus, attamen in his definitionibus diffe-

rentia specifica non significat *accidens* necessarium seu proprium, sed ipsam substantiam, ex qua procedit. (*Sum. Th.* I. q. 83 a. 3 et 5; *Lect.* 4. in lib. 1 Anal. post).

OBIECTIONES.

1) *Homo rudis optime cognoscit singularia, puta Petrum, Paulum etc., quin cognoscat naturam universalem. E.*

Rs. Dst. Antc. — . . . . cognoscit singularia sensibus . . . . C., intellectu, Sbds. quin cognoscat naturam universalem *reflexe* C vel Tr., quin cognoscat naturam universalem directe N.

2) *Ratio formalis, cur intellectus humanus non cognoscat directe singularia, petenda est aut ab eius perfectione aut ab eius imperfectione.*

A. Si I, tunc etiam Deus et Angeli non cognoscerent singularia (nam intellectus eorum est perfectus).

Si II, tunc etiam sensus non cognosceret singularia — nam est adhuc magis imperfectus quam intellectus humanus. E.

Dst. Antc. — Ratio . . . . ab eius perfectione aut ab eius imperfectione sive *absolute* sive *relative* considerata C, ab eius perfectione aut ab eius imperfectione unice *absolute* considerata N.

Ctds. min. — N. *Cons.*

Expl. — Ratio, cur intellectus humanus non cognoscat directe singularia, non est petenda a *perfectione*, quam intellectus *absolute* consideratus dicit — hoc enim modo consideratus, ut alibi diximus, extenditur ad cognoscibile *quodlibet*. Nec petenda est ab *imperfectione absoluta*, quod videl. est *ens creatum, finitum* — nam etiam angelorum intellectus est creatus, finitus, et tamen cognoscit singularia. Sed petenda est ab eius perfectione (resp. imperfectione) *relative* considerata: quatenus videl. intellectus humanus propter statum *unitionis* cum corpore debet *propria virtute* sibi acquirere intelligibilia.

Deus omnia cognoscit per essentiam suam tamquam per causam eorum.

Angeli vero et animae separatae per *species infusas a Deo*; qui modus cognoscendi non est dicendus necessario praeternaturalis, si angeli et animae separatae ad cognitionem exercendam *natura* sua tales species infusas postulant.

3) *Intellectus humanus habet conceptum proprium rei singularis.*

A. Qui habet conceptum proprium *rei singularis, habet etiam eiusdem rei conceptum* directum. *E.*

PROBO MIN. — *Quod cognoscitur per specium propriam, cognoscitur directe.*

Rs. DST. MAI. — . . . . habet conceptum proprium i. e. non *analogicum* rei singularis C. . . . . *proprium* i. e. non formatum ope conceptus *communis* N.

CTDS. MIN. — N. *Cons.*

DST. PARITER PROBATIONEM.

4) *Illa prius a nobis cognoscuntur, quae sunt notiora.*
A. Singularia sunt notiora quam universalia.
E. Singularia prius a nobis cognoscuntur quam universalia.
PROBO MIN. — *Singularia habent plus realitatis quam universalia.*

Rs. DST. MAI. — . . . . notiora *quoad se* N. *quoad nos* C.

CTDS. MIN. — N. *Cons.*

5) *Quod potest sensus, potest etiam intellectus.*
A. Sensus cognoscere potest directe singularia.
E. Intellectus cognoscere potest etiam directe singularia.

Rs. DS. MAI. — . . . potest etiam intellectas *eodem formaliter modo* N., *diverso modo* C.

CTDS. MIN. — . . . . eodem formaliter modo ac intellectus (i. e. quoad quidditatem) N. *diverso modo* ac intellectus (i. e. quoad sola sensibilia) C.

6) *Ex eo, quod species intentionales facultatis immaterialis debent esse immateriales, minime sequitur eas debere esse universales. Possunt enim esse immateriales quoad entitatem, at simul esse etiam materiales* quoad repraesentationem.

Rs. — N. *assertum.* — Nam, ut species desumpta ex re corporali fieret entitative immaterialis, debuit abstrahi penitus a notis individuantibus seu materia quantitate signata. Sed si abstracta est a materia quantitate signata, eo ipso etiam facta est in repraesentando illimitata seu repraesentative universalis.

INSTABIS. — *Species intelligibilis repraesentare debet res.*
A. Res constant non sola forma sed etiam materia.
E. Species intelligibilis repraesentare debet etiam materiam.

Rs. DST. MAI. — . . . . res quoad *quidditatem* earum C, quoad proprietates *individuales* N.

CTDS. MIN. — Res quoad proprietates *individuales* spectatae . . . . Tr. Res *quoad quidditatem* spectatae SBDS. constant . . . . materia *intelligibili* (quae est « intelligibilis » praecise propter suam relationem ad formam) C. . . . . materia *individuali* seu *quantitate signata* N.

THESIS XXVIII

Animae intellectivae non est deneganda memoria

1. Memoria secundum communem usum, ut alibi notavimus, accipitur pro «notitia praeteritorum». S. Thom., *De verit.* q. 10. a. 2. c. — Porro dari in nobis notitiam praeteritorum, est factum unicuique ex experientia intima notissimum, quod a nemine umquam negari vel in dubium vocari potuit.

At vehementer controvertitur, utrum praeter memoriam *sensitivam*, de qua in thesi XVI egimus, admittenta sit in nobis adhuc alia memoria, memoria superior, memoria stricte *intellectualis*.

2. Sententiae: 1. Secundum plurimos ex Modernis memoria, qua homo est praeditus, consistit exclusive in dispositione quadam *phantasiae* relate ad *imagines* reproducendas.

2. Secundum Avicennam ideo non datur in homine memoria proprie *intellectiva*, quia cessante actu intellectivo *non remanent in homine species intelligibiles* sed tantum mera quaedam habilitas, per quam intellectus possibilis melius recipit influxum intellectus agentis. Porro deficientibus speciebus intelligibilibus deficit *conditio essentialis* memoriae intellectivae et per consequens ipsa quoque memoria intellectiva. (S. Th., *De Ver.* q. 10. a 2. c).

3. Secundum communem Scholasticorum doctrinam praeter memoriam sensitivam datur in homine insuper *memoria intellectiva* seu facultas, qua species intelligibiles olim habitae *conservantur*, *reproducuntur* et *recognoscuntur*.

Haec sententia ommino praeferenda est.

Probatur thesis

Arg. I. Teste experientia interna recordamur variorum argumentorum rationalium, theorematum geometricorum, «principiorum logicorum et moralium» etc., quae semel cognovimus; amoris bonorum immaterialium, quem semel experti sumus; liberae electionis, quam fecimus, et ita porro.

Ergo teste experientia interna recordamur actuum proprie intellectivorum, proindeque memoria intellectiva non est homini deneganda.

Dices: Quotienscumque homo de aliquo praeterito facto suprasensibili cogitat, habet in se semper praesens aliquod phantasma. Quando autem postea hoc phantasma (modo alibi iam descripto) in homine reviviscit fitque ei conscium, intellectus format sibi conceptum *novum* quidem prorsus quoad rem, attamen similem (quoad repraesentationem) conceptui illi, quem antea habuit.

En quomodo illusio « memoriae intellectivae » in nobis oriatur!

Respondeo: 1. Saepe optime recordamur alicuius cognitionis intellectivae, sed prorsus non possumus reproducere phantasmata, quae eam comitabantur.

2. Critica historiae (testimonii historici) demonstrat generatim multo melius ac fidelius reproduci cogitationem, quam phantasmata, verba etc. Unde nota est communiter superioritas s. d. memoriae « logicae » supra memoriam « mechanicam ».

3. Reproductio sensitiva verborum incapax est *sola* reproducere cogitationem intellectivam, qua talem. Verba enim, cum sint signa ad arbitrium, eatenus cogitationem aliquam, v. g. aliquod theorema mathematicum reproducere possunt, quatenus reproductioni verbi materialiter spectati adiungitur simul reproductio verbi formaliter sumpti sea *ratio signi.* Porro ratio signi eatenus reproducitur, quatenus *cogitatio* determinato signo adnexa reproducitur.

Species semel ortas in intellectu non evanescere totaliter sed in ipso remanere probat Suarez ex eo, quod « nullum assignabitur contrarium, a quo iam productae corrumpantur, cum tam ipsa, quam subiectum spiritualia sint » (Suarez, *De An.* lib. IV. c. 10, n. 2).

Arg. II. Memoria intellectiva erui potest etiam ex facto naturalis existentiae animae post separationem a corpore et ex sanctione in futura vita, quae videntur omnino postulare perseverantiam memoriae circa facta, pro quibus punitur vel de quibus remunerationem accipit.

Arg. III. Idem suadet omnino etiam *principium finalitatis.* — Anima, carens memoria intellectuali, careret in sua superiore parte medio *necessario* ad progressum in scientiis

faciendum, quod, ut notum est, est inter alia praecipue memoria.

Schol I. Utrum memoria intellectiva realiter distinguatur ab intellectu necne?

Quaestioni huic respondent communiter Scholastici negative. (Cfr. S. Thom. *De Verit* q. 10 a. 3). Memoria enim intellectiva consistit in speciebus intellectualibus, quae, qua tales, non possunt informare nisi intellectum.

Schol. II. — Quomodo memoria intellectiva attigat praeteritum.

Qualenam responsum dandum quaestioni huic, dependet ab hoc, qualem quis teneat sententiam circa cognitionem intellectualem *singularium materialium* et, qualem notionem *temporis* profiteatur?

Consequenter ad thesim nostram XXII dicemus: memoria intellectiva non attingit praeteritum *per se* seu *directe*, sed indirecte tantum (Cf. thesim XVI pag. 68) ac proinde nomen memoriae nonnisi *analogice* praedicatur de memoria sensitiva et de memoria intellectiva. — Memoria intellectiva significat facultatem, qua conservantur species intelligibiles, reproducuntur et recognoscuntur, quin in ipsis directe ratio praeteriti, qua talis, attingatur; facultatem « qua etsi non cognoscatur obiectum ut in praeteritione...., cognoscitur tamen objectum, de quo etiam prius est notitia habita, in quantum aliquis scit se eam prius habuisse » .... « quia intellectus non solum intelligit intelligibile, sed etiam intelligit se intelligere tale intelligibile » (S. Th., *De Ver*. q. 10 a. 2. c.).

Schol. III. — Quomodo anima seipsam intelligat?

Rs. 1. — *Anima non cognoscit seipsam per suam substantiam, sed per suas operationes* (*accidentia*). *Contra Cartesianos.*

Rationes asserti:

a) — Argumenta generalia, quibus doctrinam « de principiis proximis operationum vitalium » (th. III. Schol. 3. pag. 28) stabilivimus.

b) — Argumenta specialia contra « sensum essentialem » et « sensum fundamentalem » a nobis prolata (th. XIII. Schol. 1. pag. 123-126).

c) — Argumenta pro thesi de obiecto formali intellectus nostri in statu unionis cum corpore (th. XX, pag. 180). Si

reapse nullae in nobis adsunt rationes intelligibiles praeter materiales (i. e. quae primo et per se repraesentant solas res materiales), evidens est animam non cognoscere seipsam per suam substantiam.

d) — Primarium ac essentiale animae non est, ut falso putat Cartesius, « cogitare », sed « informare ». Demum quatenus « informat », reddit anima hominem aptum primo sentiendi et deinde — mediante sensatione — aptum cogitandi. *Ex se* igitur anima non habet ullam *cogitationem* actualem, sed *potentiam cogitandi.*

Rs. 2. — *Anima existentiam suam in suis operationibus immediate percipit.*

Ratio asserti (ex sequelis absurdis): Si anima non perciperet seipsam in operationibus suis, numquam *seipsam* cognosceret. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

Probo Mai.: Si anima seipsam in suis operationibus non perciperet, *unica via* ad seipsam cognoscendam pro ea esset ratiocinium.

Atqui ratiocinium non potest ratiocinanti praebere existentiam *sui ipsius. E.*

Probo min. ult.: Ratiocinio potest quidem anima inferre existentiam alicuius principii operantis, sed non existentiam suam propriam, cum haec in praemissis *non contineatur.*

NB. — Cognitio, quam habet directe anima de sui ipsius existentia in suis operationibus, non est explicita, sed implicita. Explicite cognoscitur tantum existentia subiecti cogitantis (personae) seu τοῦ ἐγώ.

Rs. 3. *Nonnisi ratiocinio scire potest anima, quid ipsa sit.* — Patet hoc assertum ex experientia obvia, ex notione negativa et analogica, quam de anima habemus, et ex controversiis circa naturam animae.

Schol. IV. — De Coscientia intellectiva.

1. *Coscientia intellectiva* (proprie dicta seu psychologica) *intelligitur facultas,* qua ens intellectuale gaudet *operationem a se* elicitam apprehendendi ac seipsum in ea intuendi. Ponitur in hac definitione: *a)* « facultas », ut distinguatur a coscientia s. d. « morali » seu « *iudicio rationis practicae* », quod respicit actus, prout referuntur ad regulam morum. Conscientia proprie dicta solis « factis psychologicis » occu-

patur. *b*) « ens intellectuale », ut distinguatur a conscientia sensitiva, quae est propria entis sentientis (sensus intimus). *c*) « operationem a se elicitam... ac se ipsum », ut distinguatur a facultate, qua gaudet homo redeundi — sub influxu motionis a voluntate receptae — in *obiectum iam* cognitum seu a « recogitatione » obiecti; quae etiam « reflexio ontologica » vel « conscientia ontologica » dici solet.

2. *Conscientia intellectiva distinguitur*: *a*) imperfecta (seu prima, directa, concomitans), *b*) perfecta (secunda, reflexa).

Imperfecta dicitur, qua quis percipiendo *rem* sibi obiectam, secundario seu in *actu exercito* (et sine interventu speciali actus voluntatis) *experitur perceptionem* suam (existentiam eius) et *se ipsum percipientem*, quin ad hasce res subiectivas considerandas animum speciali actu applicet (reditio incompleta).

Perfecta vocatur, qua quis per *specialem* animi advertentiam ad *actus* suos (conscientiae subsunt actus, non nuda substantia animae!) *redit*, ut modum, quo fiunt, *naturamque* eorum penitus scrutetur. Fit igitur sub influxu speciali actus *voluntatis* i. e. non eo ipso, quod in intelligente aliqua modificatio spiritualis habetur, sed quia homo voluntarie redit in suum actum psychicum et quodammodo se *iterum* in ipsum *flectit*, ut eum perfectius cognoscat (reditio completa).

Conscientia imperfecta vocatur « concomitans », quia comitatur actum internum perceptionis. Usus loquendi praevaluit, ut appellaretur haec conscientia: conscientia *directa*, etsi proprie ac melius vocanda esset conscientia indirecta, quia non directe sed in *obliquo* tantum pro obiecto suo sumit actum internum subiecti percipientis. A Leibnizio et multis modernis v. g. Wundt appellatur: *aperceptio*.

3. *Conscientia intellectiva (sive imperfecta sive perfecta) non est facultas realiter distincta ab intellectu.* — Rationes asserti: 1. Sub amplissimo obiecto intellectus — obiecto adaequato — comprehenduntur etiam facta *interna*. 2. Cum intellectus sit facultas *immaterialis* (spiritualis), nihil prohibet, quominus reflexionem perfectam paragere possit.

Ne dixeris: *a*) Intellectus, ut alibi monstravimus, attingit essentias universales, non vero facta *singularia*.

Resp.: Facta singularia, de quibus *ibi* agebamus, sunt sola facta *materialia*, minime vero facta immaterialia. —

Ratio autem, cur *singularia materialia* directe ab intellectu nostro attingi non possint, non est formaliter eorum *singularitas*, sed potius *conditio* propria intellectus nostri, qui suum « intelligibile » debet sumere ex obiecto *sensatione* percepto — hinc ex singulari *materiali* — illudque *virtute sua* propria reddere *proxime intelligibile* (angelus, anima separata perveniunt ad cognitionem rerum materialium per species immediate a Deo receptas, non vero per species virtute propria a phantasmatibus abstractas. (Cfr. S. Th., *Summ. Th.* I. q. 14 a. 11; q. 56 a. 2; q. 89 a. 4 — *De Mandato, Psych.* pag. 426).

Ne dixeris: Si conscientia esset idem ac intellectus, conscientiae subessent soli actus intellectus. — Atqui subsunt ei etiam actus voluntatis. — Ergo.

Resp: Voluntas sequitur semper intellectum seu formam intellectam. Est ergo etiam actus voluntatis intelligibiliter in intelligente. (Cfr. th. XXXIII. Schol. I).

Schol. V: — De variis denominationibus facultatis intelligendi.

1. Cum ex una parte facultates distinguantur secundum sua obiecta formalia, ex altera autem obiectum formale adaequatum commune omnibus actibus intellectus sit communissima ratio *entis*, patet, cur *una* tantum facultas intellectualis in homine sit admittenda. — Attamen nihil obstat, quominus haec una facultas pro diversis *aspectibus*, secundum quos consideratur, et pro diversis *muneribus*, quae praestat, variis ornetur denominationibus, quarum in usu hae sunt praecipue: intellectus *speculativus* et intellectus *practicus*.

2. — Denominatur intellectus « speculativus », quatenus vi eius simpliciter veritatem apprehendimus seu consideramus res, ut *cognoscibiles*. Appellatur « practicus », quatenus vi eius veritatem apprehensam ad opus seu ad *praxim* ordinamus. (Cfr. S. Th. I. q. 79 a. 11; Suarez, *De An.* lib. 4, c. 9 n. 1, 2, 13). Distinctio igitur in intellectum speculativum (qui aliquando vocatur etiam « theoreticus ») et intellectum practicum habet se ex parte *finis*. (S. Th., *Sum. Th.* I. p. q. 14, a. 15; *De Verit.* q. 3 a. 3). In primo casu finis est *veritas* seu perfectio intellectus, qua talis; in secundo casu finis est ordinatio *operationis* sive ad bonum simpliciter (morale, honestum) sive ad aliud bonum quodcumque.

Cap. II. — De Voluntate.

THESIS XXIX.

Existit in homine voluntas seu facultas, qua bonum intellectu apprehensum vitaliter appetitur.

1. St. Qu. — In thesi praesenti agimus de *existentia* voluntatis, per quam intelligimus «appetitum rationalem» seu facultatem, qua bonum intellectu apprehensum vitaliter appetitur.

2. Notiones. — 1. — Quid sit «appetitus» in genere, quid «appetitus naturalis» et «appetitus elicitus» in specie, iam alibi (th. XVII) explicavimus.

Quare non remanet nobis nisi ut *differentias* praecipuas adumbremus, quae dividunt appetitum elicitum in duas species irreductibiles: appetitum *sensitivum* et appetitum *ratonalem* seu voluntatem:

a) appetitus sensitivus, quippe qui cognitionem sensitivam sequatur, sola *bona materialia* appetere potest. Appetitus vero rationalis, quippe qui sequatur cognitionem intellectivam, tendere potest non tantum in bona materialia, sed etiam in *bona immaterialia*: Deum, virtutem, scientiam, aliaque id genus.

b) dum appetitus sensitivus attingit suum obiectum semper *secundum* aliquam *rationem individualem*, appetitus rationalis — etiam quando fertur in aliquod obiectum materiale — fertur in ipsum secundum aliquam *rationem abstractam*; nam tendit in ipsum ultimatim, quia elucet in eo ratio *boni*, *qua talis*, quam intellectus apprehendit.

c) dum appetitus sensitivus est facultas *compositi* ex anima et corpore seu facultas organica, appetitus rationalis est facultas solius *animae* seu facultas inorganica.

2. — *Distinctio realis* voluntatis ab intellectu probari potest simili modo, quo alibi distinctionem realem appetitus sensitivi a facultate cognoscitiva demonstravimus (Cf. th. XVII, pag. 154).

Cum hac distinctione reali bene cohaerent facta, quae sequuntur:

a) dum ratio formalis *veri* (logici) *sequitur* cognitionem, ratio formalis *boni* (i. e. eius, quod formaliter movet appetentem) e contra *praecedit appetitum*.

b) cognoscens non deprimitur per hoc, quod vilia cognoscit. Per cognitionem enim non cognoscens exit ad rem, verum potius res intrat in cognoscentem; quo fit, ut dependenter ab hoc, utrum cognoscens sit ens superius re intrante in ipsum aut inferius ea, ipsa haec res nobilitetur vel vilescat (in ente enim superiore se acquirit « esse perfectius » quam, quod habet ipsa; in ente autem inferiore se accipit « esse imperfectius »).

Si agitur de appetitu, contrarium evenit: ipse *appetens* nobilitatur vel fit ignobilis, prout eius appetibile (seu obiectum, *in quod* tendit) est altius aut inferius appetente. (Cf. S. Th. I. p. q. 108, a. 6. ad. 3).

3. Sententiae.

I. — *a*) *Materialistae*: voluntas — non secus ac intellectus — non est nisi « epiphaenomenon », quod modificationem organismi comitatur. Ita expresse v. g. Ribot (*Les maladies de la volonté*, éd. 33, 1922 passim, praesertim pag. 178 sq), Binet, Delboeuf, Dumas, etc. — Sententia haec speciali refutatione non eget, cum falsitas eius abundanter eluceat ex eis, quae in thes. IV, VI, XVII diximus.

b) *Sensualistae*: voluntas est — aeque ac intellectus — facultas ordinis essentialiter sensitivi proindeque praeter « appetitum sensitivum » non datur « appetitus rationalis » re ab eo distinctus.

II. — Sententia *Scholae*: praeter appetitum sensitivum datur etiam appetitus superior, qui scil. cognitionem intellectualem sequitur atque — aeque ac intellectus — est immaterialis. Ita iam docuit Aristoteles (*De An.* III, 11, 433 a 23).

Ad sententiam hanc ex *Modernis* illi — non pauci — *appropinquantur*, qui volitionem habent pro elemento specifico ab aliis omnibus *distincto* propter speciale « fiat », quod volitioni convenit (Lotze, James etc), vel propter « causali-

tatem τοῦ ἐγώ», quam in ipsa deprehendimus (Maine de Biran, Stout etc.) vel propter «superiorem cognitionem» (et non meras «imagines»), quam praesupponit «voluntas».

Probatur thesis.

Arg. I. — Voluntas intelligitur «appetitus boni ab intellectu apprehensi».

A. Existit in nobis talis appetitus.

E. Existit in nobis voluntas.

Ad min. — 1) Anima immaterialis possidere debet facultatem appetitivam eiusdem ordinis ac intellectus, hinc immaterialem. Secus ens immateriale esset radicaliter incompletum, *mancum*; quia videl. posset quidem bona «sua» seu bona *sibi proportionata* (i. e. immaterialia) cognoscere, attamen non posset ea appetitu *prosequi* nec per consequens ea sibi acquirere.

2) Unamquamque formam sequitur tendentia seu appetitus in bonum correspondens huic formae.

Ergo etiam formam intellectivam, praesentem in homine, sequitur appetitus correspondens huic formae.

A. rursus. Appetitus correspondens formae intellectivae, praesenti in homine, non est appetitus sensitivus. *E*.

Antc. — Patet ex eo, quod — ut in Cosmol. monstratur — forma, qua talis, est *principium actionis tendentis in finem* sibi *correspondentem*.

Ad min. — Appetitus correspondens formae intellectivae, debet prosequi non solum bona *materialia* sed etiam bona *immaterialia*: Deum, virtutem, honorem, gloriam, sapientiam etc. (nam intellectus etiam haec bona cognoscit).

A. Appetitus sensitivus non potest bona immaterialia prosequi. *E*.

Prob. min. ult. Facultas non potest prosequi nisi id, quod *ipsam* perfecit.

A. Quod facultatem sensitivam, qualis est appetitus sensitivus, perficit, est materiale. *E*.

Ad mai. ult.: Facultas non appetit nisi bonum *suum* seu id, quod est *sibi* conveniens ac proinde, quod *ipsam* perficit.

Ad. min. ult. Patet ex notione potentiae et actus et natura appetitus sensitivi alibi (th. XVII) explicata. (Vide apud Doctorem Angel. S. Th. I. p., q. 19, a. 1.; apud Doctorem Eximium *De An.*, l. V, c. 1, n. 3).

Corol. I. — De definitione voluntatis.

1. Non recte definiretur voluntas cum Platone: facultas, quae non tendit nisi in *verum* bonum ab intellectu determinatum. Haec definitio reapse non notionem voluntatis *psychologicam,* sed potius *moralem* et quidem «ideale morale» voluntatis exhibet. — Nec melius definiretur voluntas: «facultas, quae in obiecta *immaterialia* tendit», (appetitus vero sensitivus: facultas, quae in obiecta materialia tendit). Voluntas enim superior — teste experientia — aliquando eligit bona materialia et quidem ob delectationem sensibilem et non ob motivum altius.

2. Definienda est voluntas potius ope *cognitionis praesuppositae*: facultas, quae sequitur cognitionem intellectualem seu quae appetit obiecta intellectu apprehensa. Cum enim voluntas sit *appetitus* quidam et cum omnis appetitus sit proprietas (qualitas) *formae*, qua talis, recte voluntas definitur ope *formae*, per quam homo fit formaliter cognoscens (seu ope *cognitionis*).

Cognitio praerequisita ad actum voluntatis non est necessario iudicium formale; sufficit apprehensio, quae *virtualiter* est iudicium. Hoc ultimum facile locum habere potest praesertim in actibus voluntatis indeliberatis vel si iam prius *iudicium formale* adfuit.

Scholion I. — De intellectualismo et voluntarismo.

1. Intellectualismus et Voluntarismus non eundem sensum habent apud Veteres et Modernos.

2. Apud *Veteres* designat *relativam praestantiam* alterutrius facultatis: intellectus vel voluntatis. (Cfr. Rousselot S. I. *L'Intellectualisme de S. Thomas d'Aquin*, Paris, 1924).

Thomistae post S. Thomam, Durandum, Hervaeum, Capreolum eam *intellectui* tribuebant. — Argumenta eorum: Intellectus est *radix* voluntatis et libertatis, ideoque constituit notam eius *specificam*; illuminat ipsam *voluntatem*, quae ex se est facultas caeca; obiectum eius *formale* (ens) latius patet, quam obiectum formale voluntatis (bonum).

Hanc etiam sententiam tenet Suarez (*De An.*, l. V., c. 9., n. 2).

Scotistae post plures SS. Patres (praesertim S. Augustinum) praestantiam relativam *voluntati* attribuunt. — Rationes eorum: Sola voluntas est *libera*, sola gubernat caeteras facultates, atque adeo ab ipsa dependet assecutio *finis* ultimi hominis. Tandem *amor* Dei est quid perfectius, quam Dei *cognitio.*

Concedi potest utrique facultati praestantia relativa *sub alio et alio respectu.*

3. Apud *Modernos* vox « intellectualismus » designat theoriam, secundum quam omnes actus psychici non sunt nisi cognitiones cognitionumque relationes et proprietates.

Voluntas ipsa, si ipsis credis, non est nisi anticipata cognitio effectus, connexa cum affectione tensionis et activitatis, quae affectio, ut plurimum, identica est cum *sensatione musculari.* Ita fere v. g. Spencer, Münsterberg, Ziehen, Ebbinghaus, Herbart et antea Spinoza (cfr. *L'âme et le corps d'après Spinoza*, *La psychophysique Spinoziste*, Paris, Alcan, pag. 61-64; 95-105).

Nomen vero « Voluntarismi » significat theoriam oppositam, quae videl. omnes actus psychicos ad affectus et appetitiones reducit. Ita Schopenhauer et Wundt.

Voluntarismus distingui potest in *metaphysicum* et *psychologicum*, prout *omnem* activitatem naturalem aut solam activitatem *psychicam* ope volitionis explicat.

Scholion II. De affectibus spiritualibus.

1. Plures « affectus » causantur a cognitionibus suprasensibilibus. Tales sunt v. g. affectus *esthetici, religiosi*, *morales.* — Si affectus hi sumuntur *una* cum *cognitionibus*, e quibus sunt orti, (ita sumuntur v. g. a Scheler) sine ullo dubio dicendi sunt pertinere ad ordinem altiorem quam affectus sensitivi — ideoque praecise nonnisi in homine — ente rationali — inveniri possunt. Attamen, si hi affectus considerantur formaliter *in se*, multum disputatur, utrum pertineant necne ad ordinem altiorem.

Non desunt praesertim inter Modernos, qui putent affectus gloriae, pudoris, poenitentiae etc. in se consideratos, esse af-

fectus mere sensitivos, qui indirecte tantum ex intellectione oriantur.

Scholastici tenent existere in nobis affectus *intrinsece superiores* seu *inorganicos*, puros actus voluntatis v. g. amor, gaudium etc.

2. *Haec sententia praeferenda est.*

Ratio asserti : 1) Intelligi non potest vita entis pure intellectivi (v. g. animae separatae vel angeli), quae nullis affectibus (gaudii etc.) esset praedita, sed solis intellectionibus.

Ens enim tale esset *incapax beatitudinis*; non posset enim gaudere de bono possesso. — Mutatis mutandis idem dic de poena damnati.

Porro cum homini tota perfectio vitae intellectualis iam ante suam mortem tribuenda sit, neque affectus pure intellectivi ipsi sunt negandi.

2) Differentiam inter affectus intellectivos (superiores) et sensitivos (inferiores) vel ipsa experientia interna testatur. Affectus intellectivi sunt profundiores ideoque magis totum hominem capiunt, sunt magis constantes ac stabiles quam affectus sensitivi, qui, licet in momento aliquo vividiores ac vehementiores sint, pro vitae usibus magis sunt superficiales.

6/2/34

THESIS XXX.

Voluntas potest quidem in quibusdam actibus elicitis — speciatim quoad beatitudinem in communi — subiacere necessitati, non autem coactioni. In actibus vero imperatis pati potest coactionem.

1. St. Quaest. — Ratio volitionis eliciendae *duplex* distingui potest :

a) ex parte subiecti seu *subiectiva*. Talis est v. g. actus *intellectus* obiectum aliquod proponens, *consuetudo* in associationibus affectuum fundata, *impulsus* sive pathologicus sive ex temperamento appetentis ortus (« instinctivus »), etc.

b) ex parte obiecti seu *obiectiva*. Tale est motivum (sensu proprio dictum) e. g. commodum, delectatio, honestas etc. —

2. *Obiectum* seu motivum eatenus *influit*, *quatenus cognoscitur*. Non agit igitur tamquam causa physica, sed tamquam

causa moralis. Cum autem *ad se ipsum* efficiendum vel obtinendum inclinet, agit tamquam *causa finalis*: est enim *id, propter quod* agimus. — Ipsa *cognitio* motivi est tantum *conditio* volitionis eliciendae.

3. Obiectum formale voluntatis. — Cum obiecta, quae ita in volitionem influunt, innumerabilia sint, quaeri potest, quidnam sit ista *ratio*, *sub qua* seu *propter quam* voluntas fertur, in quodcumque fertur — ratio igitur communis omnibus obiectis voluntatis — seu quidnam sit *obiectum formale* voluntatis.

Secundum *Scholasticos* ratio haec non est — nec potest esse — nisi *bonum, qua tale* seu bonum *communiter sumptum*. Quod tamen non ita intelligendum est ac si voluntas in solam *rationem abstractam* boni ferretur, sed quia non appetit nisi id, quod et *quatenus* continetur sub notione boni generalissime sumpti seu *quatenus* de bono, *qua tali*, participat.

4. Obiectum materiale. — Consequenter ad haec *obiectum materiale* adaequatum voluntatis est omne id, in quo obiectum formale elucet. Est igitur omne *ens* — nam in omni ente invenitur quaedam perfectio, propter quam dignum est, quod appetentem ad se trahat — aliis verbis, obiectum materiale adaequatum voluntatis est omne bonum. (Cfr. Suarez, *De An.* l. V., c. 7.)

Haec ratio est, cur *voluntas*, sicut etiam intellectus, vocetur a Scholasticis *potentia universalissima*.

5. Malum. — Actus, quo voluntas fugit seu aversatur aliquid, non differt realiter ab actu, quo voluntas oppositum huiusce mali prosequitur. Ideo enim voluntas ab una re se avertit, quia alteram prosequitur. Quo fit, ut aversio non false dici possit: tendentia in obiectum modo negativo determinatum.

Licet igitur homines tendant saepe in id, quod pro ipsis *simpliciter* — seu tota eorum natura rationali adaequate spectata — malum est, attamen *secundum quid v. g.* quoad honorem, delectationem etc., bonum ipsis est. (Cfr. *S. Th.* I^{a} II^{ae}, q. 8, a. 1 c et ad 1).

Malum igitur (formaliter sumptum) pertinet ad voluntatem nonnisi *indirecte* tantum, tamquam videl. obiectum aversandum. Quandocumque igitur voluntas dicitur appetere ma-

lum, appetit illud « per accidens » ; quae locutio, ut ex modo dictis apparet, ita intelligenda est: voluntas appetit bonum aliquod, cui *adiungitur malum* seu privatio alterius boni. E contra quando voluntas dicitur fugere malum, dicitur fugere illud, quatenus *movetur* seu allicitur a bono, cui hoc malum opponitur.

Res haec ex experientia intima seu conscientia unicuique sat est evidens. Etiam pessimismus (Schopenhaueri et von Hartmanni), secundum quem ipsa etiam existentia respuenda est, ideo hoc dicit, quia annihilatio in comparatione cum existentia (misera!) *melior* (bona) ipsi apparet. (Cf. E. Lasbax, *Le problème du mal*, Paris, Alcan, 1919, pag. 24 sq.).

Quoad haec inter *Scholasticos* unanimitas opinionum adest, nisi forte excipias aliquos *Nominalistas*, secundum quos obiectum voluntatis est *ens* in tota sua latitudine atque adeo etiam sine ullo respectu ad *suam bonitatem* appeti potest.

6. OBIECTUM VOLITIONIS DEBET SALTEM ALIQUO MODO COGNOSCI TAMQUAM BONUM IPSIUS VOLENTIS. — 1. Post haec, quae hucusque diximus, fere superfluum est addere obiectum volitionis *non utcumque* bonum apparere debere, sed *aliquo* saltem modo tamquam *bonum appetentis* ipsius seu tamquam res ipsi appetenti *conveniens*. (Cf. S. Th. *De Malo* q. 6, a. unic., c.). Quousque enim bonum non apparet appetenti tamquam *ipsi appetenti* conveniens seu ipsius bonum, non adest ratio sufficiens, ut rem, quam tamquam *alienam* et sibi prorsus indifferentem apprehendit, *velit*. Non sufficit, ut aliquid tamquam « bonum metaphysicum » ab eo apprehendatur. Nam *hoc modo omne ens* est bonum, etiam infernum. — Haberi potest circa bonum metaphysicum tantum *simplex complacentia*.

2. — Etiam in actibus s. d. *altruisticis* seu actibus amoris « benevolentiae », in quibus negligitur propria « utilitas » appetentis, *respectus ad bonum proprium* appetentis non *omni* ex parte deest. Nam ut rem aliquam « gratis » seu « propter se ipsam » amemus, cognoscere debemus (sive ex aliorum instructione, sive ex nostra propria inquisitione, quam saepe fortiter adiuvant inclinationes instinctivae nos impellentes ad vitam socialem et ad bonum sociale procurandum) saltem implicite hoc: ista res meretur, *quae propter se ipsam* ametur; sed cognoscendo hoc, *implicite* cognoscimus talem amorem esse — spectata adaequate nostra natura rationali —

nobilem ac nos nobilitantem, seu aliis verbis, *nobis convenientem* seu *nostrum bonum.*

Nec contra hanc explicationem est, quod quidam auctores asserunt, motivum videl. amoris benevolentiae esse saepe solam «rationem unitatis naturae». In hac enim ratione *aliquo* modo rem nostram cum re aliorum communem facimus, nosque quasi aliis identicos reddimus atque adeo appetendo aliquid propter «unitatem naturae» *etiam* propter nos appetimus.

3. — In asserto: «Obiectum volitionis debet aliquo modo cognosci tamquam bonum ipsius *appetentis*» implicite continetur etiam hoc: «Obiectum debet apparere appetenti tamquam adeptu possibile». Quod enim apparet tamquam adeptu prorsus *impossibile*, neque apparere ei potest tamquam bonum *eius.*

7. Bonum tamquam finis et tamquam medium. — Bonum appeti potest aut propter *se* aut propter *aliud.* In primo casu bonum vocatur *finis,* in secundo *medium.* Finis allicit appetentem ad sui possessionem (et hoc modo est tum *principium* tum *terminus* actionis). — Medium, etsi et ipsum possit propter intrinsecam suam bonitatem appeti, attamen *prout est medium*, appetitur a voluntate tantum *propter finem.* Quo fit, ut sublato fine, eo ipso tollatur amor medii, etsi medium in se nullam subierit mutationem.

Unde triplex distinctio classica boni: bonum honestum, bonum delectabile, bonum utile. — Bonum honestum et bonum delectabile habent *in se*, unde moveant appetitum, ac proinde possunt rationem finis induere. Bonum utile, cum non sit nisi medium, quod ad finem ordinatur, non potest rationem finis induere.

8. Actus circa finem (velle, frui, intendere). — Si finis sufficienter est voluntati propositus, voluntas trahitur ad ipsum seu in ipsum *inclinatur.* Haec *inclinatio voluntatis* in bonum ab intellectu praesentatum, cum sit fundamentum et initium caeterarum operationum voluntatis, nomen «voluntatis» seu «velle» accepit, fere sicut in ordine intellectuali iudicia, quae sunt omnium prima, nomen *intellectus* seu *intelligentiae* acceperunt.

Actus, qui subsequitur, est aut fruitio aut intentio, prouti finis seu bonum est actu praesens vel absens. — Fruitione

consummatur unio affectualis subiecti cum obiecto volito. — Intentione subiectum ad realem finis seu boni praesentiam aptis mediis procurandam tendit.

9. Actus circa media. — Ad cognoscendum, quaenam media adhibenda sint, instituitur ab homine *consultatio de mediis*; quae formaliter quidem est actus « rationis practicae », attamen etiam a voluntate pendet; voluntas enim est, quae inducit hominem ad consultationem instituendam, ad consultationem hanc hoc vel alio modo perficiendam; tandem voluntatis est ex pluribus mediis aptis — at non necessariis — *unum caeteris* praeferre seu *eligere*.

Hic actus electionis *initialiter* quidem fit ipso modo, quo voluntas consultationem instituit; *formaliter* tamen consistit in *determinatione activa*, quae finem consultationi imponit ac voluntatem ad hoc vel aliud medium praeferendum efficaciter applicat. — Vocatur *electio* formaliter sumpta seu *consensus*.

10. Actus a voluntate imperati. — 1. Electione medii peracta procuranda est tandem *executio*, quae ex parte voluntatis actum postulat, per quem voluntas formaliter *utitur* potentia executiva, et qui actus vocatur « usus ».

Usus distingui potest: a. — *activus* i. e. actio voluntatis *applicantis ad agendum* potentiam executricem; b. — *passivus* i. e. actio ipsius potentiae executricis.

2. — Operationes potentiae executricis (similiter ac operationes intellectus), quatenus dependent a voluntate, vocantur *imperatae* vel voluntariae *extrinsece* (non *intrinsece*, cum non ab ipsa voluntate, sed ab alia potentia *eliciantur*; at nihil obstat, quominus voluntas *sibimetipsi* imperet actum, qui tunc dici potest: voluntarius extrinsece et intrinsece. Cfr. S. Th. I. II. q. 9 a. 1. c).

3. — *Imperium formaliter* consideratum non est actus voluntatis. Nam voluntatis quidem est *movere* (sive alias facultates sive etiam se ipsam quoad *exercitium* actus), attamen *ordinare in finem* non potest nisi *intellectus*, qui *solus* concipere potest finem et ordinem mediorum ad finem. Ideoque imperium, licet a voluntate trahat vim movendi, consistit formaliter in actu rationis. (Cf. S. Th. I. II. g. 17. a. 1. c.).

Si tandem *stricte loqui* velimus, neque voluntatis neque intellectus est imperare, sed hominis utentis voluntate et ratione.

11. Coactum et violentum. — *Coactum* definitur ab Aristotele: quod est a *principio extrinseco non conferente vim passo*. Subintelligitur tamen in hac definitione: passum habere *inclinationem* contrariam; si enim passum nullam inclinationem contrariam (seu resistentiam) habet, motus, etsi ab extrinseco principio procederet, non esset dicendus coactus, sed simpliciter mechanicus.

« *Coactum* » igitur duo essentialiter involvit: a. — *cum necessitate* aliquid fit in aliquo; b. — contra internum *affectum*. *Definitio igitur plena « coacti »* est: quod est a principio (ab agente) extrinseco contra operantis ipsius inclinationem *elicitam*.

A motu coacto distinguendus est motus *violentus*, qui extrinsecus alicui imprimitur contra eius inclinationem non tantum elicitam, sed etiam *naturalem*; dari etiam potest in ente non-cognoscente. — Actui coacto opponitur actus *voluntarius (spontaneus)*; actui violento actus *naturalis*.

12. Necessitas naturalis. — 1. A necessitate proveniente *ab extrinseco*, quam involvit actus coactus et violentus, distinguenda est necessitas ab *intrinseco* seu *naturalis*, quae intelligitur « determinatio facultatis ad unum, ab Auctore naturae impressa ».

2. — Voluntati tribuendam esse necessitatem ab intrinseco, « appetitionem naturalem », « primam intentionem » patet ex rationibus, quae sequuntur:

a). — Sublata hac *prima intentione* voluntatis, impossibile esset voluntatem movere se ipsam; id enim, quod movet, debet esse in actu. Sed voluntas non est in actu, nisi *quatenus aliquod bonum appetit*. Non ergo poterit seipsam movere, nisi in ea actualis illa appetitio scil. intentio finis ultimi praeexistat. (S. Th. I. II. q. 9, a. 3 c).

b). — Voluntas, qua libera, se ipsam ad volendum applicat et sic per modum reflexionis cuiusdam volitivae circa se ipsam operatur. Porro id, circa quod voluntas operatur, debet ei ab intellectu esse propositum; ac proinde exercitium libertatis debet praecedi actu conscientiae, cuius obiectum est ipsa voluntas. Sed facultates eatenus subsunt *conscientiae*, quatenus *actu operantur*. Ut ergo voluntas possit libere operari, debet esse iam *actuata intentione finis ultimi*.

c). — Sicut impossibile est, ut *omnis* adhaesio intellectus nitatur alia adhaesione *anteriori*, ita etiam fieri non potest, ut id omne, quod a voluntate est volitum, sit volitum propter aliud. Agnoscenda est igitur in voluntate (non secus ac in intellectu) aliqua *operatio prima*, a qua motus eius incipiat et a qua tota eius activitas reliqua pendeat. Operatio talis elicitur *ex naturae impulsu* ac proinde est stricte *naturalis*. (S. Th. I, q. 82 a. 1).

3. — *Obiectum huius* inclinationis naturalis, quippe quod amplitudinem facultatis appetitivae *adaequet*, non potest esse nisi bonum *perfectum* seu bonum, quod omne bonum complectitur seu felicitas (beatitudo).

Voluntas non potest igitur appetere (appetitu elicito) bonum *particulare*, nisi pondere naturae suae feratur in bonum perfectum seu beatitudinem perfectam; non quidem in beatitudinem *in concreto*, sed in beatitudinem in abstracto seu *in communi* sumptam.

Quid sibi vult haec ultima distinctio? — Beatitudo nostra perfecta concreta, ut demonstratur alibi, est Deus. Attamen ad Deum non tendimus in hac vita necessitate naturali appetitione *elicita*; nam Deus non est obiectum, quod in *hac vita* possit perfecte *possideri*; nec est bonum, quod *excluderet* omne malum — debemus enim continuo renuntiare bonis sensibilibus, quae nos alliciunt. Quare in *hac* vita Deus non apparet tamquam bonum perfectum concretum hominis, quod scil. *omne* bonum includit, *omne* malum excludit; ac proinde nec voluntas ipsum appetere potest appetitione elicita necessaria. — Talis tendentia necessaria possibilis est tantum circa beatitudinem *abstracte* seu *indeterminate consideratam*.

Unde experimur nos non posse nolle beatitudinem; pariter experimur ex desiderio beatitudinis omnes caeteras appetitiones nostras oriri.

4. — Sicut voluntas naturaliter — hinc necessario — inclinatur in beatitudinem, ita etiam naturaliter inclinatur in media necessaria: esse, vivere etc. Sed quia haec media non sunt « beatitudo », sed beatitudinis « fundamentum », non appetuntur necessario, nisi in quantum ad beatitudinem *percipiuntur* referri tamquam media *necessaria*.

5. — Necessitas, qua praedita est voluntas circa finem ultimum, est necessitas « specificationis », non autem necessitas « exercitii », ut infra ostendetur.

13. Thesis habet 3 partes:

Pars I. — *Voluntas in quibusdam actibus elicitis scil. quoad beatitudinem in communi subiacere potest necessitati.*

Pars II. — *In actibus elicitis nunquam subiacere potest coactioni.*

Pars III. — *In actibus imperatis voluntas pati potest coactionem.*

Probatur thesis.

Pars I. — Voluntas in quibusdam actibus elicitis scil. quoad beatitudinem in communi subiacere potest necessitati.

Arg I. — *Ex Experientia.*

Omnes homines sine exceptione appetunt beatitudinem in communi.

A. Quod omnes sine exceptione appetunt, necessario appetunt. Ergo.

Ad Mai: Etiam pessimista, qui beatitudinem pro fictione pura mentis iubet habere, eam appetit. Res patet ex supra dictis.

Arg. II. — *Ex ratione.*

Omnis facultas necessario inclinatur in obiectum proprium et adaequatum.

A. Obiectum proprium et adaequatum voluntatis est beatitudo. Ergo.

Mai. — Patet ex principio *finalitatis*: potentia est propter actum; « potentia clamat ad actum ». — Actus autem fit per *obiectum.*

Min: Patet ex thesi praecedenti et praenotatis thesis praesentis.

Hoc argumentum valet quoad *specificationem* actus voluntatis, non autem quoad *exercitium.*

Res patet: 1. — *Ex experientia.* — Experimur nos minime necessitate adduci ad eliciendum actum positivum volitionis, quotienscunque cognitio de beatitudine se offert; sed e contra nos posse eum *omittere* seu *suspendere.*

2. — *Ex ratione.* — In *actu eliciendo* circa beatitudinem potest aliquando non tantum *nulla utilitas* apparere, sed immo *impedimentum* pro aliis actibus, qui etiam bonitatem suam habent.

3. — *Actus*, qua talis, volendi beatitudinem non est *beatitudo perfecta*, sed bonum *particulare.*

PARS. II. — IN ACTIBUS ELICITIS VOLUNTAS NUNQUAM SUBIACERE POTEST COACTIONI.

ARG. I. — Actus coactus est, qui procedit ab extrinseco contra subiecti inclinationem.

A. Talis actus a voluntate elicitus repugnat. Ergo.

Prob. min.: Actus a voluntate elicitus involvit essentialiter in sua notione voluntatem suum obiectum appetere.

A. « voluntatem suum obiectum appetere » est idem ac « voluntatem in illud obiectum inclinari ».

Ergo actus a voluntate elicitus involvit essentialiter in sua notione voluntatem in suum obiectum inclinari. Quare qui dicit: actus voluntatis « *elicitus coactus* », coniungit in una notione notas *contradictorias* sese excludentes.

PARS. III. — IN ACTIBUS IMPERATIS VOLUNTAS PATI POTEST COACTIONEM.

ARG. — *Ex experientia.* —

Per vim extrinsecus illatam hinc impediuntur quaedam hominis facultates, ne voluntatis imperio obtemperent et actus suos ponant; illinc contra voluntatis inclinationem proprios suos actus reapse exercent.

Ergo dantur actus a voluntate imperati, qui sunt coacti.

Probo consequentiam: Actus a voluntate « imperatus — coactus » est (ex ipsa notione) praecise ille, qui elicitur ab aliqua facultate hominis contra inclinationem voluntatis humanae.

THESIS XXXI.

Voluntas humana praedita est libertate arbitrii.

1. Notiones. — 1. *Libertas* (indifferentia) *significat* generatim quamcumque immunitatem ab impedimento seu negationem determinationis ad unum.

2. *Libertas (indifferentia) distinguitur:*

a) *Activa* et *passiva.* Libertas activa consistit in eo, quod virtus in agendo non coarctatur ad unum, sed potest indifferenter producere diversos actus (indifferentia ad plura agenda). Libertas *passiva* est capacitas ad plures determinationes recipiendas (indifferentia ad plura recipienda).

A nonnullis distinguitur adhuc indifferentia « privativa », quae est indifferentia *virtutis activae respectu actus secundi.* Haec indifferentia dicitur esse partim *activa* — quatenus videlicet involvit independentiam virtutis activae — partim autem *passiva*, quatenus involvit potentialitatem quandam ad actum secundum et, quae « privat » voluntatem aliqua perfectione.

b) *Libertas a coactione* seu libertas *spontaneitatis* et libertas *a necessitate* seu libertas *arbitrii.* Prior est immunitas a determinatione *ab extrinseco* seu *a coactione*: adest in omni activitate perfecta ab intrinseco, hinc etiam brutis inest, quatenus videlicet secundum appetitum proprium agere permittuntur. Altera est immunitas a determinatione *ab intrinseco seu* a determinatione naturali; dicitur etiam libertas *indifferentiae*, libertas *electionis* seu libertas *stricte dicta.* Hac libertate gaudet, qui *omnibus ad agendum praerequisitis positis*, in sua facultate habet actum ponere vel non ponere; seu qui non subest influxui causae, quae ipsum invincibiliter ad *unum* applicaret seu *determinaret.*

Ab hac libertate distingue bene libertatem *moralem* seu « libertatem ethicam », quae consistit in quadam *facilitate*, cum qua homo rationi ac regulae morum obedit, seu in habitu perfectionis moralis; fundatur, ut patet, haec libertas in libertate arbitrii eamque supponit.

3. — Libertas arbitrii distinguitur: *a*) libertas *exercitii* et libertas *specificationis.*

Libertas *exercitii* est libertas certum aliquem *actum volitionis ponendi vel non ponendi.* Vocatur « libertas exercitii », quia extrema eius sunt: « exercere » vel « non exercere » actum. Libertas exercitii appellatur etiam libertas *contradictionis*, quia « exercere » et « non exercere » contradictorie opponuntur.

Libertas *specificationis* est libertas eligendi *unum prae alio ex objectis diversis.* — Quodsi haec objecta sunt: *bonum vel malum morale,* libertas haec vocatur *libertas contrarietatis.* — Libertas specificationis includit libertatem exercitii, ut patet; si enim loco actus *a* possum ponere actum *b*, *eo ipso* possum, ut patet, omittere seu non exercere actum *a*.

In libertate exercitii tota ratio libertatis salvatur, quia per eam voluntas *est plene domina actus sui* (ab ea dependet, utrum actus futurus sit necne). Indifferentia specificationis tantum hanc libertatem exercitii ad *plura obiecta extendit* (per se non requiritur ad libertatem arbitrii).

b) libertas *obiectiva* et libertas *subiectiva* (formalis). Prior est, quae habet se *ex parte obiecti*, quatenus in eo elucet et bonitas, quae potest appeti, et malitia, quae potest respui. Altera est, quae se habet ex parte subiecti, quatenus videl. subiectum potest velle utrumlibet. — Notio genuina liberi arbitrii essentialiter postulat indifferentiam tum *obiectivam* tum *subiectivam*.

4. — Plena igitur definitio libertatis arbitrii haec est: activa indifferentia ab intrinseco, vi cuius voluntas potestatem dominativam habet super actum suum (Cfr. S. Th. I, q. 82, a. 1).

5. — Hic conceptus libertatis est *obvius* i. e. desumptus ex *sensu communi; talem* libertatem in hac thesi homini vindicamus, relinquendo pro thesi posteriori eius ulteriorem expolitionem *scientificam.*

2. Sententiae. — I. *Determinismus.* — Hoc nomine designatur theoria, quae docet voluntatem humanam invincibiliter ad unum determinari. — Determinismi plures numerantur species:

1. — *Determinismus pantheisticus* (« metaphysicus »): omnes actiones hominum totaque generis humani historia — non secus ac omnes eventus in mundo physico — sunt evolutio spontanea et necessaria Entis Absoluti.

Ita Spinoza: « Ea res — ait — libera dicetur, quae ex sola suae naturae necessitate existit, et a se sola ad agendum

determinatur » (*Ethica* I, def. 7). — Ex hac definitione libertatis patet, eam soli Deo convenire posse (*Eth.* I, prop. 17, Coroll. II). — Voluntas humana — non secus ac omnis modus substantiae divinae — est determinata ad unum, nec « potest vocari causa libera, sed tantum necessaria » (*Eth.* I, prop. 32, et corol. 2; cfr. II, prop. 29; II, prop. 35. Schol., 48, 49 schol. 2) « vel potius coacta » (*Eth.* I, def. 7).

2. — *Determinismus theologicus*, ad mentem cuius voluntas humana est determinata ad unum a Deo. Ita praeter *Manichaeos* (quorum parens est Manes seu Manichaeus saec. 3. — Cfr. S. August. *Confess.*) Zwingli, Calvinus, Luther. Hic ultimus: « Si Deus volens — ait — praescit et aeterna est et immobilis — quia natura — voluntas, si praesciens vult, aeterna est et immobilis — quia natura — scientia. Ex quo sequitur irrefragabiliter, omnia quae fiunt, etsi nobis videntur mutabiliter et contingenter fieri, re vera tamen fiunt necessario et immutabiliter ». (*De servo arbitrii*, Opp. VII, 1873, c. 14, pag. 134). Similiter Jansenius (cfr. Enchiridion, nn. 660-697; nn. 919-968).

3. — *Determinismus fatalisticus*: sicut omnes res mundanae ita etiam voluntas humana determinationem, cui resisti non potest, accipit a *fato* (μοῖρα, ἀνάγκη, ἄτη, εἱμαρμένη). Ita quidam ex antiquis Graecis (praecipue Stoicis) et Mahumetanis. (Non *omnes* fautores « fati » libertatem arbitrii negant; plurimi eorum tantum « efficacitatem externam » nostrarum determinationum liberarum negant; homo enim *potest* consentire fato vel non, unde responsabilitas et poena inevitabilis.

Haec triplex species Determinismi: fatalisticus, pantheisticus, theologicus comprehendi posset uno nomine communi: Determinismi *externi*.

4. — *Determinismus mechanicus* (physiologicus), qui voluntatem concipit tamquam vim, quae solis legibus mechanicis gubernatur, ac ad unum invincibiliter determinatur; actus voluntatis est actus mere reflexus. — Ita generatim *Materialistae*.

5. — *Determinismus psychologicus*, qui tenet voluntatem determinari ad unum *causis psychologicis*, quarum una e. gr. est, quod semper *cupiditas maior* necessario secum trahit voluntatem (Ita Herbart cum sua Schola, Wundt etc.). De alia forma Determinismi psychologici in thesi sequenti.

II. — *Indeterminismus.* — Hoc nomine insignitur doctrina, quae libertatem arbitrii defendit. Indeterminismus duplex distinguitur:

1. *Indeterminismus absolutus*, secundum quem voluntas a *nullis* motivis et a nullis impressionibus pendet. Ita fere concipiunt libertatem voluntatis inter alios *Cartesius, Kant, Fichte, Schelling, Jacobi*, etc.

Qui libertatem arbitrii expugnant (v. g. Höffding, Paulsen, Ziegler, etc.), ut plurimum, hanc speciem libertatis intelligunt, ut facile patet ex argumentis, quae afferunt. Nec difficile est eam revera expugnare, nam *a*) *experientia* constat volitiones nostras aliquo modo pendere a cognitione et affectionibus nostris seu a dispositionibus subiectivis; *b*) indeterminismus absolutus ponit in voluntate tantum *aequilibrium*, ut nullo modi possit voluntas ex eo egredi: si enim voluntas nullam impressionem acquirere potest a bono vel malo, quomodo se determinabit? Et si se determinabit, non erit haec determinatio « moralis »; *c*) nullo modo cum tali notione libertatis stare posset possibilitas *praevisionis* actionum liberarum, et legum statisticarum. (Cfr. Pesch, *Psych.*, n. 1025).

2. *Indeterminismus moderatus*, secundum quem voluntas motivis et inclinationibus subiectivis movetur quidem (aliquando cum *morali* necessitate) at non determinatur ad unum cum necessitate *physica.*

3. In thesi defendimus cum *Aristotele* et tota *Schola Indeterminismum moderatum.*

Sensus thesis non est *exclusivus,* sed *assertivus* i. e. minime intendimus affirmare voluntatem humanam in *omnibus* prorsus actibus suis esse omnino liberam (concessimus enim alibi voluntatem non esse liberam quoad bonum perfectum seu beatitudinem (felicitatem), sed eam saltem in *quibusdam* actibus libertate gaudere, in illis videl., qui ab intellectu *iudicantur non necessarii* ad beatitudinem. Unde etiam appellatio: liberum *arbitrium:* (Cfr. S. Th. *De Verit*, q. 22, a. 2).

Probatur thesis.

ARG. I. — EX SENSU COMMUNI.
Iudicia sensus communis non possunt esse erronea.

A. Iudicium attribuens homini libertatem est iudicium sensus communis.

E. Iudicium attribuens homini libertatem non potest esse erroneum.

Mai. — Patet ex Criteriol.

Ad min. — Iudicium attribuens homini libertatem est iudicium sensus communis, nam:

1. est *constans, uniforme, universale.* « Nonne ista cantant — ait S. Augustinus — et in montibus pastores et in theatris poëtae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum » (*De duabus anim. advers. Manich.*, c. IX). — Haec constantia, uniformitas, universalitas est tanta, ut ii ipsimet, qui libertatem propter varias « rationes scientificas » *theoretice* negant, eam in vita *practica* firmiter teneant. (Cf. *L'âme et le corps d'après Spinoza*, pag. 185-194). Quo fit, ut v. g. ad contumelias sibi ab amente illatas alio prorsus modo reagant atque ad contumelias sibi a sano factas; ut malefactores pro responsabilibus habeant de suis actibus eosque puniant; et ita porro.

2. est *fundamentum et quidem necessarium ordinis moralis et per consequens etiam vitae homine dignae et societatis humanae.* — Revera negata libertate humana, actiones humanae desinunt esse *moraliter bonae* vel *malae* — solae enim actiones liberae pro talibus ab hominibus communiter habentur; desinit *obligatio et ius* in eorumque locum succedit *necessitas physica*, mechanica (coram qua etiam orationes, suasiones, preces, exhortationes, etc. omnem sensum perdunt); desinit *responsabilitas* pro actibus personalibus et *culpa* — cum haec duo expeditum libertatis usum subaudiant; desinit *poena* proprie dicta, nam haec neque illis imponitur, qui aliquid mali fecerunt in statu somni vel distractionis gravis; desinit *virtus* moralis in genere — cum

haec conatus liberos repetitis actibus exercitos ac tandem triumphum moralem *de se ipso* in homine involvat (nemo patientiam asini tribuit virtuti!); desinit *sanctio* et per consequens etiam *motivum per se* efficax ad vitandas actiones malas: quod attinet actiones malas *internas*, res patet ex eo, quod hae actiones iudicari et puniri possunt nonnisi ab *ipso operante* et quidem eatenus tantum, quatenus conscius est sibi suae libertatis et responsabilitatis coram Deo, a quo punietur in altera vita; quod spectat actiones malas *externas*, patet iterum ex eo, quod multae actiones externae manent *occultae* — insuper ab aliis non percipitur intentio mala, quae est earum fons; tandem adversarii, si sibi cohaerere velint, deberent abstinere ab infligenda *poena* proprie dicta — quippe quae evidenter *delictum morale* subaudiat — et sola «correctione» esse contenti, qualis etiam brutis irrationalibus imponi solet ad timorem eis concutiendum (Cf. Leibniz, *Theod.* part. I, §§ 67-76 et praecipue § 72).

Dices: Cur hoc ultimum consequens non possit quiete admitti? Nonne iam palam a pluribus docetur poenam proprie dictam (vindicativam) vigentem communiter hodie in praxi omnino delendam esse eique substituendam «educationem delinquentium ad meliorem vitam» et «protectionem» innocentium?!

Rs. Si remedium *proprium* (ex instituto naturae) contra vitia ac crimina — ut isti viri asserunt — non est nisi educatio delinquentium et protectio aliorum, et si ex altera parte, fatentibus vel ipsis istis viris, remedium hoc ad hodiernum usque diem prorsus insufficiens semper fuit, nec sperari potest illud brevi fore sufficiens, dicendum est generi humano deesse media *naturaliter* necessaria ad vitam se dignam ducendam: quod assertum est certo contrarium principio finalitatis, quod gubernat universam naturam (naturae inferiori non desunt principia necessaria ad eius activitatem!). Insuper, spectata natura humana, qualis *reapse* existit, evidenter apparet illusio eorum, qui dicunt fore, ut *aliquando* poenae proprie dictae non sint amplius necessariae; sanctio enim vere (per se) sufficiens pro homine non datur sine poenis proprie dictis, ut alibi invicte probatur. —

— Argumentum hoc omni tempore habebatur pro firmissimo fundamento libertatis. «Debes, ergo potes» habuit vim

inconcussam etiam pro Kantio (saltem pro eius ratione practica), pro Lotze et aliis bene multis.

Arg. II. — Ex conscientia.

Praenoto: Argumentum ex conscientia intelligi potest duplici modo: tamquam argumentum *directum* vel tamquam argumentum *indirectum*.

Argumentum *directum* arguit libertatem humanam ex ipsa *introspectione*, quam homo supra actus voluntatis suae facit: homo — ita hoc argumentum — dum in volitiones suas reflectit, facile *apprehendit* libertatem suam; apprehendit utique non modo *abstracto* — hoc modo ne albedinem quidem experientia nostra attingit! — sed *concreto* i. e. tamquam factum seu proprietatem sui generis inhaerentem actui voluntatis.

Argumentum *indirectum* e contra consistit in *deductione* libertatis *ex quibusdam factis*, quae nobis conscientia refert. Existunt quaedam facta psychica — ita hoc argumentum — quae *non possunt plene intelligi*, nisi *in suppositione* libertatis arbitrii.

Qui liberum arbitrium admittunt, etiam valorem argumenti *indirecti* ex conscientia tuentur.

Quod attinet argumentum *directum* ex conscientia, multi — etiam ex illis, qui caeterum libertatem humanam proclamant — illud vel simpliciter omittunt (ita Arist., S. Thomas, Suarez etc.) vel positive expugnant. — Defendunt illud praeter quosdam Modernos: (Maine de Biran, Rabier, Sully Prudhomme (*Psych. du libre arbitre*, Paris, Alcan, II éd. 1911) etc., etiam sat multi Neo-Scholastici: Mercier, Noël (*Consc. du libre arbitre*, pag. 180-238), Donat, Gredt etc.

A. — *Arg. indirectum.* — Conscientia refert nobis multa facta, quae essent omnino inintelligibilia, si libertas voluntatis negaretur.

Ergo libertas voluntatis negari nequit.

Ad antec. — 1. Saepe *deliberamus* et *consultationem* instituimus circa bona, quae nobis eligenda sunt.

2. Quasdam actiones *imputamus* nobis (aliis) ad meritum (praemium), alias vero ad demeritum (poenam); unde etiam sentimus post eas intimam approbationem et gaudium vel e contra remorsus.

Saepe deliberamus et consultationem instituimus

3. Capaces nos (alios) iudicamus, qui *legibus* proprie dictis regamur (regantur). Et ita porro.

Prob. consequ. — Ad. 1. — Non potest deliberare vel consultationem instituere: quidnam ex pluribus eligere debeat, nisi ille, qui non determinatur invincibiliter ad *unum* ex eligendis.

Nec valet dicere: « Ideo deliberamus vel consultationem instituimus, ut maius bonum dignoscatur ». — Nam, teste conscientia, non obstante qualicumque bonorum apparentia, possumus deliberationem seu *electionem suspendere*; immo deliberationem vel consultationem semel factam iterum inchoare — stante eadem semper bonorum apparentia.

Ad. 2. — Non possunt imputari ad praemium vel poenam, nisi actiones, quarum operans *dominium* habet.

Ad 3. — Nec est capax legis proprie dictae nisi ens, quod libero arbitrio fruitur (Cf. S. Th. *De Malo*, qu. I, art. 4; q. VI, a. un.).

B. — Arg. directum.

1. Dum deliberamus vel consultationem instituimus, penitus *conscii sumus* bona, quae subsunt deliberationi vel consultationi, *non trahere nos cum necessitate* ad se eligenda.

2. Dum finem deliberationi (consultationi) imponimus, *conscii sumus* finem hunc a *nobis fieri*, quia videlicet *ipsi velimus* et non quia ad consensum ab obiectis irresistibiliter trahamur.

3. Conscii sumus nos ita unum ex duobus velle, ut *possimus oppositum* velle. Clare enim perspicimus nos alio prorsus modo appetere bonum in communi (*beatitudinem* perfectam, felicitatem) et alio modo *bona particularia*: bonum in communi quidem ita, ut *non possimus* illud non appetere; bonum vero particulare ita, ut possimus eius oppositum velle.

Ne dixeris: a) cum J. St. Mill (*An Examination of Sir William Hamilton's Philosophy*, 1865): « Conscientia refert mihi, quid faciam, quid sentiam. Sed non est obiectum conscientiae, quid facere possim. Conscientia non est propheta. Conscii sumus eius, quod est, sed non illius, quod erit vel esse potest »; alii verbis: conscientiae non subest facultas nuda, sed quatenus actu operatur. Porro quatenus actu operatur, non est libera, cum liberum sit, quod *potest* operari et non operari.

Rs. Voluntas non est *proxime* idonea ad libere agendum, nisi *quatenus appetit bonum perfectum* (beatitudinem), hinc

quatenus *actu operatur*. Porro in hoc praecise statu subest voluntas conscientiae tum *antequam* libere eligat tum *in* ipso exercitio electionis. In primo casu, quia videt se quidem sollicitari, *at non trahi invincibiliter* ad consensum praestandum. In secundo casu, quia videt se in electione facienda (in « fieri » eiusdem) *non pati influxum* irresistibiliter determinantem ad unum.

Neque dixeris: *b*) cum *Spinoza*: Nostra conscientia libertatis dicenda est potius inconscientia necessitatis: dum aliquid eligimus, ideo nos liberos putamus, quia *latet nos vera causa*, quae nos reapse ad unum prae alio eligendum invincibiliter determinat (*Eth.* pars II, prop. 3, schol.; prop. 35. schol.; prop. 48, schol.; III prop. 2. schol. Tract. Br. I, c. 6). — Similiter A. Fouillée (*La liberté et le déterminisme*, éd. VII, Paris, 1923, pag. 9 sqq.), Bayle (*Réponses aux questions d'un Provincial*, t. III, pag. 761 sqq.), immo Leibniz (*Nouv. Essais*, Erdm. 225, 253 etc.).

Rs. α) Non sufficit simpliciter negare libertatem, sed *positive indicare* oportet, quomodo *ex mera ignorantia* verarum causarum electionis ideam positivam libertatis acquiramus eamque cum tanta persuasione teneamus. — (Cf. Delboeuf, *Liberté et déterminisme*, Revue phil.; tom. XIII, pag. 462).

β) Optime *distinguimus* actiones *liberas* ab actionibus *necessariis* et *fortuitis*: in plurimis casibus item ignoro, *quid* proprie me determinet, et tamen non ideo puto me *libere* egisse. — Insuper a motibus liberis bene distinguimus motus naturales, violentos et « primo-primos ». Quare falsum omnino est motiva agendi numquam ab agente *perspici* (cogita v. g. de fure, qui a longo tempore crimen praeparat).

γ) Si motiva vera actionum nostrarum sunt prorsus inconscia, *undenam* adversarii sciunt, nos reapse ab ipsis determinari? Immo quomodo ab ipsis determinari possimus, si neque a motivis consciis determinamur?

δ) Adversari testimonium conscientiam *ideo solum* reiciunt, quia putant illi contrarias esse leges, quas in mundo materiali didicerunt. — Nec ipsi igitur carent *spontanea* seu *naturali conscientia* libertatis clarissima, quae omnibus adest, et quam tantum inventis mere theoreticis obfuscant.

Ne dixeris: *c*) qui in hypnosi accepit imperium exequendi determinatam aliquam actionem — sive *in* ipsa hypnosi sive

post eam — exequitur eam *necessario* et simul tamen conscientiam habet se *libere* agere.

Rs. α) Quod spectat actiones *in* statu hypnotico a somnambulo perficiendas, falsum est omnino eas *omnes* fideliter opere adimpleri (Cf. P. Janet, *L'automatisme psychol.*, IX éd., 1921, pag. 32, 175-177, 204, 320). Concedi tantum potest eas multo *facilius*, generatim loquendo, poni in statu hypnotico atque in statu perfectae vigiliae (propter inadvertentiam motivorum seu distractionem artificialiter inductam).

β) Quod attinet operationes *post* hypnosim finitam a somnambulo perficiendas, haec animadverti debent: tempore iniuncto a hypnotizante oritur quidem idea exequendi actionem intimatam et cum hac idea oritur (propter alibi a nobis explicatam « motricitatem » idearum) motus quidam primo-primus versus executionem ideae: attamen huic ideae et motui primo-primo resisti potest. (Cf. J. Janet, *L'automatisme psycholog.*, pag. 245-270; 427-428).

Corol. — De libertate, quam Deterministae proclamant.

1. — Deterministae, reiecta libertate indifferentiae, non omnem libertatem penitus negare intendunt. Hinc sensum vocis mutando, affirmant libertatem voluntatis in eo consistere, quod actio procedat *ex propria indole* hominis cum *rationali* deliberatione, et non sit determinata a *causis externis* vel internis impulsibus *caecis*. (Ita v. g. Wundt, *Eth.*, III, ed. IV, 1912, pag. 52; Th. Lipps, *Eth. Grundfr.*, ed. II, 1905, pag. 262).

2. — Hanc notionem libertatis non esse genuinam patet ex eo, quod non hanc libertatem *conscientia* nobis inesse testatur, non *hanc* consensus *universalis* hominum proclamat. non *hanc* homines supponunt, dum actiones *imputant*, poenam *decernunt*, sed eam, quam definivimus supra in thesi. Libertas, quam Deterministae moderni profitentur, eo tantum differt a necessitate bruti, quod nos determinari dicimur ad unum *cum* ratione, brutum vero *sine* ratione.

Scholion I. — De statistica morali.

1. Si voluntas praedita est vera libertate, intelligi non potest — obiciunt Deterministae — *stabilitas*, quae in actionibus humanis a statistica detegitur: ita in certis regionibus numerus relativus criminum v. g. suicidiorum, epistolarum

sine inscriptione (« adresse »), matrimoniorum celebratorum, aliorumque id genus relatione adeo stricta cum adiunctis vitae *externis* ligatus est, ut praevisionem accuratam fundare valeat.

2. Cui obiectioni responderi potest: facta allata certo labefactant *Indeterminismum absolutum* — qui asserit voluntatem gaudere plena Independentia a motivis et inclinationibus — non autem indeterminismum moderatum, secundum quem actus liber saepe *aliquo* modo pendet a variis circumstantiis, quo fit, ut voluntas humana quoad libertatem variis modis sit limitata. Tales circumstantiae sunt tum *externae* (educatio, coelum, clima, exempla aliorum etc.) tum *internae* et quidem sive *actuales* (valetudo, fatigatio, hilaritas vel tristitia etc.) sive *habituales* (pathologicae affectiones, character, temperamentum, sexus, stirps, aetas, etc.). Haec enim omnia influxum exercent in hominem, qui electionem aggreditur, in eius videl. *cognitionem*, qua obiectum eligendum voluntati proponitur et in eius *deliberationem*. Quae omnia *aliquando* necessitatem quandam moralem constituere possunt; quae tamen, ut patet, minime (per se) tollit libertatem *physicam* arbitrii.

Insuper, qua ens rationale, potest sibi semel pro semper certam *normam agendi* praestituere.

Haec omnia explicant sufficienter constantiam, quam in activitatibus liberis hominum deprehendimus. — Adde, quod 1) constantia haec est « statistica » tantum i. e. non spectat facta *in individuo*, sed *eorum collectivitatem*, in qua variationes particulares mutuo compensantur; 2) constantia haec non est *absoluta*, sed tantum mere *relativa* atque fluctuationibus quibusdam est subiecta.

3. Quae omnia satis nobis ostendunt etiam nullitatem obiectionis, quae contra nos saepe ponitur: admissa libertate arbitrii perit iam omnis regularitas in agendo et praevisio et cum eis ruit ipsa quoque *scientia*. — Reapse non *omnis* praevisio tollitur, sed solum *talis*, quae praedita esset *certitudine stricto* sensu dicta. — Caeterum estne verum Deterministas, negantes libertatem, melius praedicere posse, quidnam *aliquis* homo particularis in determinatis quibusdam circumstantiis positus de facto electurus sit? Non. Complicatio enim *conditionum*, a quibus ipsi dependentem faciunt electionem, nimis est magna et insuper in unoquoque individuali casu separatim minutissime iudicanda!

Schol. II. — De libertate in statibus psychologicis abnormibus.

Contra libertatem voluntatis saepe affertur hoc argumentum: homines morbo psychico affecti necessitate prorsus irresistibili ad varia crimina perpetranda feruntur et tamen sincere putant se libere agere. Insuper dantur « delinquentes nati ».

Responderi potest: 1. *Transeat antecedens.* Thesis enim nostrae non est determinare conditiones exercitii libertatis pro hominibus *anormalibus* (de hoc agit psychiatria), sed pro hominibus *normalibus.* Falsa persuasio de libertate sua, quam habent aegroti, non plus probat contra nostram thesim, quam falsa persuasio certitudinis et evidentiae obiectivae contra thesim de certitudine et evidentia obiectiva.

2. Non est verum omnes, qui morbis psychicis sunt affecti privari necessario *omni prorsus libertate.* Reapse — ut monstrat psychiatria — impulsibus, ideis fixis, abuliae etc. non tantum psychasthenici, sed etiam v. g. hysterici, malancholici efficaciter resistere possunt, nisi accedat *vehementior* perturbatio mentalis.

3. Falsum est assertum, secundum quod dantur « delinquentes nati » seu homines, qui in rebus *moralibus* — et in hisce *solis* — omni prorsus iudicio sano et affectu privati dicuntur (« moral insanity ») et qui secundum theoriam Lombroso eiusque scholae s. d. « anthropologicae » — similes generatim dicuntur quoad ipsam *speciem externam* amentibus — praecipue epilepticis (dicuntur habere capillos abundantes, frontem parvam, oculos limos, nasum curvatum, brevem barbam). Nam *a*) ex facto, quod quis mente *tranquilla* et *sine remorsu* facinora graviora patrat, minime fluit: Ergo non agit libere. Factum enim hoc sufficienter explicari potest per gravem defectum *culturae moralis* et *religiosae*, per pravos habitus contractos, qui in subiectis aliunde naturaliter propensis ad certam classem criminum possunt attingere specialem intensitatis gradum. *b*) In specie si agitur de doctrina Lombrosiana, haec iam sat communiter reiicitur. Ita v. g. in congressibus criminali-anthropologicis habitis Parisiis 1889, Bruxellis 1895, Genevae 1896 fere nullum defensorem invenit. — Descriptio « delinquentis » certo non convenit *omni et soli*: quidam homines notas enumeratas non habent, et tamen

committunt crimina modo « incorrigibili »; et viceversa, quidam eas possident, et tamen moraliter optime vivunt.

Concedi tantum potest dari plures homines, qui sive propter defectum corporalem sive propter insufficientiam culturae spiritualis vividiores possident *passiones* et ideo etiam *minorem* habent libertatem in operando.

Scholion III. — De opinione Platonis.

1. Non desunt, qui putent, Platonem conscie negasse libertatem humanam. Quod quidem verum non est, nam 1) distinguit clare actus liberos et non liberos, meritum personale et demeritum. Ipsae externae conditiones vitae, ad quam homo reincarnatur (figura, sexus etc.) dependent ab usu libertatis, qualem quis fecerit in vita praecedenti. (Leg. V, 730 c.; IX, 861 e; Pol. 293 a; Rep. VII, 535 e; Tim. 42 b).

2. Non desunt loci, in quibus *expresse* libertatem hominis *affirmat* (Tim. 43 b, e; Rep. X, 617 e; Leg. X, 904 b, Phaedr. 248 b, c).

3. Locutio talis, ut « Nemo malus sciens » habet apud Platonem sensum: « Nemo intendit malum, qua malum », quod et nos concessimus. Insuper ipsa *ignorantia* circa bonum verum, in qua versantur homines mali, est effectus culpae atque in affectione exaggerata erga res sensibiles originem suam habet. Quare neque illi, qui propter insufficientem educationem sunt mali, sunt sine culpa. (Tim. 14 c, Phaed. 80 e; Rep. VI, 485 c; Leg. X, 904 d).

4. Concedi tantum potest Platonem saepius *obscure* loqui, ubi *naturam* libertatis explicat. (Cf. F. Zeller, *Die Philos. der Gr.*, II Teil., I Abteil., V Aufl., Leipz., 1922, pag. 851-854).

OBIECTIONES.

1) *Quidquid movetur, ab alio movetur.*

A. Voluntas, dum aliquid vult, movetur.

E. Voluntas, dum aliquid vult, ab alio movetur.

Rs. Dst. Mai. — . . . *unice* ab alio movetur, ita videl. ut ipsum *nullo* modo seipsum movere possit N.; *etiam* ab alio movetur, Sbds. movetur sive motu determinante ad unum sive *motu indifferenti* C., necessario determinante ad unum, Sbds. si, quod movetur, *non* est praeditum *intellectu* C., si est praeditum *intellectu* N.

Ctds. min. — N. *Cons.*

2) *Voluntas est in potentia ad actum.*

A. Quod est in potentia od actum, non transit ad ipsum nisi per ens actu.

E. Voluntas non transit ad actum nisi per ens actu.

Rs. Dst. Mai. — Voluntas est in potentia *pura* ad actum N. Voluntas est in *potentia* quidem ad actum quoad bonum aliquod particulare, sed simul est *actu* quoad bonum in genere C.

Ctds. min. — N. *Cons.*

3) *Quod est indifferens ad actum determinatum, non potest transire ad eum nisi ab alio determinetur.*

A. Voluntas est indifferens ad actum determinatum.

E. Voluntas non potest transire ad actum nisi ab alio determinetur.

Rs. Dst. Mai. — Quod est indifferens indifferentia mere *passiva*, non potest . . . . C. Quod est indifferens indifferentia *activa*, non potest . . . Sbds. . . . nisi ab alio determinetur in ordine causae *formalis* (i. e. tamquam ab *obiecto* suo) C., nisi ab alio determinetur in ordine causae *efficientis*, Sbds. tamquam a causa *adaequata* vel *partiali* C., adaequata, Sbds. si agitur de ente non praedito *intellectu* C., si agitur de ente praedito *intellectu* N.

Ctds. min. — N. *Cons.*

4) *Homines subiecti sunt atavismo.*

A. Qui subditus est atavismo, non est liber.

E. Homines non sunt liberi.

Rs. Dst. Mai. — Homines subiecti sunt atavismo hoc sensu, quod hereditate acquirunt quasdam proprietates organicas et cum eis quasdam quoque *inclinationes* sensitivas C vel Tr.; hoc sensu, quod hae inclinationes semper *necessitent* physice homines N.

Ctds. min. — N. *Cons.* — Inclinationes sensitivae, ut alibi explicavimus, non sunt nisi quaedam reactiones immanentes organismi sentientis. Quare ipsae hereditate trasmittuntur hoc sensu, quod radix earum — organismus sentiens — hereditate transmittitur.

Utrum etiam inclinationes (et capacitates) proprie *spirituales* hereditate transmitti possint, controvertitur. Sententia *negans* nobis omnino tenenda apparet; « inclinationes spirituales » filiorum similes inclinationibus parentum bene explicantur per influxum parentum in educatione exercitum, quae orientationem imprimit toti vita *affectivae* pueri ac vires eius omnes et attentionem fere exclusivam ad unam aliquam artem excitat.

At inclinationes, quaecumque tandem illae sint, et quocumque modo oriantur, per se non tollunt libertatem.

5) *Eodem modo habet se voluntas ad bona particularia, quo intellectus habet se ad particulares veritates.*
A. Intellectus necessitatur a veritatibus particularibus. E.

Rs. Dst. Mai. — *Eodem modo* . . . . ad particulares veritates plane *evidentes* N. *non plane evidentes* C.

Ctds. min. — N. *Cons.*

6) *Voluntas subiecta est passioni.*
A. Passio non est libera.
E. Nec voluntas est libera.

Rs. Dst. Mai. — . . . hoc sensu, quod ab ea influxum *aliquem* patitur C. hoc sensu, quod ab ea ad unum determinetur, Sbds. in *quibusdam* casibus (quando videl. ipsa deliberatio rationis impeditur v. g. in casu gravis morbi) C. Secus N.

C. min. — Dst. pariter cons.

7) *Si acus magnetica, dum se ad polum vertit, gauderet conscientia, putaret se libere determinare suum cursum. Item lapis, dum deorsum cadit, existimaret se libere in centrum terrae tendere.*
E. argumentum ex conscientia nihil evincit.

Rs. N. Antc. — Reapse acus magnetica et lapis in hisce adiunctis haberent conscientiam tendentiae necessariae sicut et nos habemus conscientiam tendentiae necessariae in *bonum in communi*; minime vero haberent conscientiam *libertatis*.

8) *Radix, in qua fundatur persuasio hominum se esse liberos, est vanitas eorum.*

Rs. N. Antc. — Verum quidem est libertatem esse summam gloriam naturae humanae; at non *ideo* a nobis asseritur, sed quia argumentis evidenter probatur.

Historia et experientia docent, non persuasionem de libertate, verum potius determinismum sumere suam originem in vanitate; reapse multi ad eum recurrunt, ut deponant onus peccatorum et criminum, quae eos (vel in ipsorummet oculis) humiliant.

9) *Si voluntas est libera, perdit suum valorem educatio.*

Probo antc. — *Educationis est formare characterem moralem seu acquirere tales habitus, qui impossibiles reddant actus malos* (Ita Husserl).

Rs. — N. *Antc.*

Dst. Prob. — . . . tales habitus, qui *physice* impossibiles reddant actus malos N. qui *moraliter* impossibiles reddant actus malos . . . C.

10) *Non est admittendum tamquam veritas scientifica, quod fundatur in utilitate.*

A. Libertas humana fundatur in utilitate (ut patet ex arg. I pro thesi). E.

Rs. Dst. Mai. — . . . i. e. ratio *formalis* admittendi aliquid pro vero non potest esse utilitas, qua talis C. . . . i. e. utilitas non potest esse *signum veritatis*, Sbds. *utilitas qualiscumque* C. utilitas adeo radicalis, ut ipsa negata vita humana redderetur simpliciter impossibilis N.

Ctds. min. — N. *cons.*

Expl. — Non utilitas, qua talis, est ratio formalis veritatis. Hoc firmiter tenendum est contra Pragmatistas. At ex altera parte non minus est certum conclusionem, quae simpliciter impossibilem reddit vitam humanam, non posse esse veram; hoc patet *ex principio finalitatis*, quod totum Universum gubernat.

11) *Quo melius habitus et inclinationes alicuius hominis novimus, cum eo maiore probabilitate praedicere valemus, quid in determinatis adiunctis ille reapse facturus sit. Ergo si eum penitus perspectum haberemus, cum omni iam certitudine eius facta futura praedicere possemus.*

Rs. Dst. Antc. — Et hoc ideo praecise, quia habitus et inclinationes in electionem *aliquem* influxum (aliquando necessitantem moraliter) exercent C. vel Tr. influxum necessitantem physice N.

Pariter Dst. Cons. — . . . . cum certitudine quadam morali C. vel Tr. cum certitudine physica N.

THESIS XXXII.

In concursu diversorum bonorum voluntas humana non fertur necessitate antecedenti in id, quod tamquam melius apprehenditur.

1. St. Qu. — In thesi praecedenti vindicavimus libertatem voluntatis contra illos, qui eam *simpliciter reiiciunt.* In thesi vero praesenti iam contra eos agimus, qui libertatem voluntatis quidem verbis explicitis defendunt, attamen eam ita restringunt, ut eam implicite omnino negent.

2. Sensus thesis. — *Non quaeritur*: 1) utrum ex duobus bonis possit eligi minus bonum *formaliter, quia est minus* — adeo, ut ratio formalis, cur alteri praeferatur, sit praecise carentia (privatio), quam in se involvit. Cum enim carentia

(privatio), *qua talis*, non sit bonum, non potest formaliter appeti nec per consequens praeferri a voluntate, cuius obiectum formale, ut supra docuimus, est *bonum*, *qua tale*.

2) utrum homines *in praxi* communiter non id electuri sint, quod sit reapse bonum *obiective maius*. Veritas contrarii tum experientia obvia patet tum legibus « statisticae » demonstratur.

3) utrum electio voluntatis possit ferri in tale obiectum, quod quidem *in se* reapse est minus bonum, attamen ab eligente *erronee* habetur pro *maiore*.

Quaeritur unice de hoc, utrum ex duobus bonis praesentibus voluntas possit eligere illud, quod ab *intellectu iudicatur obiective minus*.

3. *Adversatur* thesi praesenti *Leibniz*, qui acriter expugnat « libertatem indifferentiae », qualem Scholastici defendunt. — Libertas indifferentiae — ait — non concipitur nisi in duplici hypothesi: 1. *Nullum* adest *motivum* inclinans (sollicitans) voluntatem in hanc potius partem quam in aliam. 2. *Si adsunt* talia motiva, haec motiva sunt perfecte *aequalia* pro utraque parte.

A. In utraque hac hypothesi — urget Leibniz — electio voluntatis est *impossibilis*.

E. Libertas indifferentiae est *impossibilis*.

Minorem ad 1. probat hoc ratiocinio: Repugnat aliquid determinatum — qualis est electio — sequi ex indeterminato, sicut repugnat realitatem aliquam sequi ex nihilo puro.

Ad 2. vero ita: Nihil fit sine ratione.

A. In hypothesi duorum motivorum perfecte aequalium nulla est ratio eundi in *hanc* potius partem quam in aliam (Cf. fabulam de asino Buridani!). — Insuper hypothesis « aequilibrii perfecti » est aeque chimerica ac hypothesis « partis dimidiae perfectae » in rebus physicis; utraque pugnat cum principio « indiscernibilium » (duo absolute similia non facerent nisi unum!).

Libertas indifferentiae est non tantum impossibilis — pergit Leibniz — sed est etiam *immoralis*. Quod ita Leibniz conatur probare: Moralitas involvit amorem boni.

A. Libertas indifferentiae excludit talem amorem, nam dicit praecise neutralitatem absolutam erga bonum et malum. *E.*

Ex his concludit Leibniz: homo sequitur semper modo infallibili *motivum praevalens*, quod agit in ipsum tamquam attractio irresistibilis.

Expugnando liberum arbitrium, sensu Scholasticorum intellectum, Leibniz minime omnem libertatem voluntatis expugnare intendit. At libertas voluntatis, quam ipse proclamat, nihil aliud dicit nisi meram spontaneitatem, cum qua in anima humana — dotata reflexione seu conscientia — fluunt aliae ex aliis perceptiones et appetitiones consecutione « naturali » quidem at non necessaria (essentiali) sed plene contingenti, utpote creata (Cf. Cl. Piat., *Leibniz*, Paris, Alcan 1915, pag. 243-253):

Asseclae Leibnizii, cum bene videant in tali explicatione libertatis a Leibnizio data libertatem reapse simpliciter tolli, mitigationem quandam inducunt. Homo — aiunt — est liber, quia habet *facultatem attendendi* — atque ita deliberationem (consultationem) pro lubitu protrahendi.

Probatur Thesis.

Bona, quae proponuntur voluntati, apparent aut inaequalia aut eaqualia.

Atqui in neutra hypothesi voluntas est ad unum determinata, ad eligendum videl. maius bonum in prima hypotesi, ad abstentionem ab electione in secunda. Ergo.

Probo min. quoad I partem: Si in concursu duorum bonorum inaequalium necessario maius eligeretur, haec necessitas proveniret aut ex eo, quod bonum minus comparatum cum maiore iudicatur necessario simpliciter malum, aut quod maius bonum voluntatem invincibiliter ad se attrahit. *Atqui* neutrum obtinet. Ergo.

Non primum, quia bonum dicitur aliquid ratione suae *intrinsecae* realitatis et non ratione extrinsecae connotationis.

Non secundum, nam, ut alibi ostendimus, voluntas non potest invincibiliter attrahi ad bonum, quod ab intellectu non iudicatur *bonum perfectum* (beatitudo).

Nec exinde fluit electioni liberae « *rationem sufficientem* » tunc prorsus deesse. Ratio enim sufficiens pro voluntate eligendi aliquod bonum particulare non est sola bonitas propria huiusce boni particularis — ut falso supponit Leibniz —

sed insuper et *praeprimis* bonum in communi; hoc enim *solum* constituit obiectum voluntatis formale. Bonum particulare — quodcumque illud sit — non eligitur a voluntate nisi intuitu boni universalis, propter videl. *nexum*, quem habet cum bono universali. Porro cum bonum particulare, etiamsi ab intellectu « maius » iudicetur quam aliud bonum particulare, non habeat *nexum necessarium* cum bono universali, ideoque nec impellit irresistibiliter voluntatem ad sui electionem. Ut in hisce adiunctis electio boni particularis a voluntate perfici possit, debet voluntas rationem eligendi, quam ei *obiectum* praestat (ratio obiectiva!) ex *suo* proprio fundo *intrinseco complere* (ratio subiectiva) — et ita rationem « sufficientem » electionis primo *constituere.*

Quare ad argumentum adversariorum: « Voluntas, eligendo minus bonum particulare prae maiore, ageret sine ratione sufficiente » responderi potest in forma: si *totalis* ratio electionis esset bonitas rei particularis *C*; si totalis ratio electionis est tum bonitas rei particularis tum *facultas* (tendens tamquam in obiectum suum formale in solum bonum *perfectum* seu *universale*), *N. Et nego suppositum.*

Comparatio igitur libertatis humanae cum *statera* vaccilante inter duo pondera particularia est omnino falsa — quod caeterum ipse Leibniz alibi agnoscit.

Prob. min. quoad II partem: Omittere electionem medii et sic fine privari solum ideo, quia hoc medium eligenti apparet *aeque* utile ad finem ac aliud, est res irrationabilis. — Porro haec precise irrationabilitas vitanda potest iam esse ratio sufficiens pro voluntate ad electionem faciendam.

Arg. II. (A posteriori).

Quodnam ex duobos bonis occurrentibus semper ineluctabiliter trahat voluntatem ad se eligendum, seu, aliis verbis, quodnam sit illud « bonum praevalens », Leibniz explicare nequit.

Estne 1) bonum, quod *characteri* eligentis magis correspondet? Non. Character enim intelligi potest duplici modo: *a*) complexus habituum *acquisitorum*, *b*) summa dispositionum *innatarum.* — Porro si sumis characterem sensu primo, explicare debes ulterius, quomodo electio voluntatis fuerit possibilis *ante acquisitionem* horum habituum.

Si vero sumis characterem sensu secundo, experientia vel maxime obvia clamat contra te: dispositiones enim innatae, etsi possint quandoque fortiter voluntatem sollicitare, non trahunt eam *irresistibiliter* ad consensum.

Estne 2) bonum *honestum* seu bonum, quod naturae hominis rationali adaequate spectatae, qua tali, convenit? Non, ut patet ex facto contritionis, quam homines saepe experiuntur, et quae fundatur in conscientiae testimonio intimo se bonum honestum culpabililer, hinc libere postposuisse bono delectabili vel utili.

Estne 3) bonum, in quod *maior* impetus *affectus* seu passionis fertur? Non. Homo enim, ut experientia testatur, non sequitur — saltem saepe — hunc affectum; unde etiam in ipso gaudium, quod fluit ex intima conscientia victoriae a se reportatae *de seipso*.

Arg. III. (Ex sequelis).

Sententia adversariorum libertatem humanam non nisi *verbotenus* tenet. Nam aut habeo ad eligendum inter duo bona aequalia aut inaequalia (distinctio, ut patet, est completa). Si inter *aequalia*, tunc stante principio rationis sufficientis, electio fieri *non potest*! Si inaequalia, tunc vi eiusdem principii rationis sufficientis electio fit *necessario boni maioris*! — Nec rem salvat assertio: « Remanet semper possibilitas *consultationem* protrahendi, ut eluceat, quodnam ex bonis propositis sit maius ». *Respondeo*: cum consultatio sit formaliter *actus* intellectus, eatenus libera dicenda est, quatenus a *voluntate* libere operante *determinatur* (imperatur). Porro haec determinatio (qua instituitur consultatio) apprehenditur ab homine aut tamquam bonum *aequale* cum eius omissione aut tamquam bonum *maius*. Si primum, determinatio haec (videl. ad consultationem ulterius protrahendam) a voluntate *necessario* fit. Si secundum, determinatio haec (ad consultationem prolongandam) iam simpliciter impossibilis evadit — et voluntas obiectum necessario eligit.

Schol. 1. — De iudicio practico.

1. Circa bonum aliquod, quod homini obiicitur, *triplex* iudicium ab homine proferri potest: *a*) *iudicium speculativum*, quod videl. profertur abstracte, sine respectu ad iudicantem; effertur hac formula: hoc est bonum maius (respec-

tive: minus); spectat hoc, quod *est*, et non id, quod *faciendum est*; *b*) *iudicium practicum*, quod videl. respectum *involvit ad iudicantem*, quatenus proponit ei bonum ut *hic et nunc* conveniens (respective: non conveniens).

Iudicium practicum duplex distinguitur: α) simpliciter practicum, quod etiam *speculativo-practicum* saepe vocatur; ac efferri potest hac formula: « hoc bonum est hic et nunc *mihi* appetibile i. e. appeti a me *potest* » vel: « hoc bonum est hic et nunc mihi appetendum i. e. illud appetere *debeo* ». β) *practico-practicum*, quod ita proponit homini obiectum hic et nunc eligendum, ut voluntas *infallibiliter* illud eligat. ideoque vocatur sensu proprio « imperium », quod exprimitur formula: *fac hoc.* (S. Th. Iª, IIªᵉ, q. 17, a. 1; cfr. Sertillanges, *S. Thomas d'Aquin*, tom. II, éd. IV, 1925, pag. 242).

2. Insufficientia *iudicii speculativi* ad electionem faciendam clare elucet. Ex *experientia* enim notum est communiter factum electionem non sequi necessario iudicium speculativum; homo non semper fertur in id, quod speculative pronuntiat « bonum »; e contra saepe eligit praecise id, quod pronuntiat malum et fugiendum: « video meliora proboque... deteriora sequor... ». — *Ratio philosophica* huius facti est haec: voluntas, dum se ad *aliquid* determinat, implicite (in actu exercito) etiam ad suum *actum* volendi se determinat. Porro ut voluntas se ad actum volendi determinet, cognosci ab ipsa debet utilitas (bonitas) ipsius *actus* hic et nunc i. e. in hisce concretis adiunctis *a se ponendi*. Aliis verbis, requiritur iudicium *practicum*. In hoc omnes *Scholastici* conveniunt. — Controvertitur tantum, utrum sufficiat iudicium speculativo-practicum, an requiratur necessario iudicium *practico-practicum*.

3. Solum iudicium speculativo-practicum tenent post *Henricum Gandavensem, Scotus, Suarez, Vasquez*; ex recentioribus Palmieri, Tongiorgi, Mendive, Gutberlet, Schiffini, Pesch, Fröbes. Haec sententia est communior extra scholam Thomisticam.

Necessitatem vero iudicii practico-practici tuentur plures *Thomistae*, v. g. *Ioannes a S. Thoma, Dominicus Soto*; hi pro se auctoritatem S. Thomae citant (*De verit.*, q. XXII, a. 15); utrum iuste an iniuste, res sub lite est.

1) Speculativo-practicum "mihi appetibile"
2) Practico-practicum "fac hoc"

Practico-practicum a St. Thomas

Ex aliis tenent hanc sententiam *Gregorius a Valencia* et *S. Robertus Bellarminus.*

4. *Solutio quaestionis* tradetur per passus:

1. Libertas voluntatis formaliter invenitur in *electione*, quae est « ultima acceptio, qua aliquid accipitur ad prosequendum... » (S. Th. *De Ver.*, q. XXII, a. 15), seu in activa determinatione. Actus, qui electionem *sequitur*, non est liber formaliter, sed virtualiter tantum, quatenus videl. electioni *liberae* originem suam debet (est liber *in causa*).

2. Electio formaliter non est *actus* rationis sed *voluntatis* »; « nam quantumcumque ratio unum alteri praefert, nondum est unum alteri praeacceptatum ad operandam, quousque voluntas inclinetur in unum magis quam in aliud » (S. Th. ibid.).

3. Electionem, utpote actum «appetitus rationalis», debet *semper* praecedere actus *rationis.* Si umquam voluntas ferret electionem sine praevio actu rationis, ferret eam *caece* atque adeo cessaret esse « appetitus rationalis ». — Ex quo ulterius fluit voluntatem non posse *umquam* ferre electionem contrariam *ultimo iudicio practico.* Ferendo enim electionem contrariam ultimo iudicio practico, ferret eam exclusive *proprio* suo Marte i. e. sine lumine intellectus praelucentis, proindeque iterum cessaret esse « appetitus rationalis ».

4. Sed si electio (voluntatis) sequitur infallibiliter *iudicium* rationis, quomodo poterit dici libera, cum iudicium rationis, qua tale, *evidentia* obiectiva regatur hinc *necessitati subsit?*

Rs. Intellectus in *hoc* iudicio ferendo *pendet a voluntate.* Pendet autem non hoc sensu ac si ab ipsa voluntate *eliciatur* — ut modo monuimus — sed quia ipsa *efficit*, ut hoc iudicium *sit ultimum.*

At — dices — quomodo voluntas efficere potest, ut iudicium rationis *fiat* ultimum? Nonne ad hunc finem opus est, ut voluntas imprimat intellectui positivam aliquam *motionem?* Sed si ita est, ulterius quaeri potest: praeceditne hanc motionem iterum aliud iudicium practicum praevium? — Si affirmative respondes, in processum in infinitum cadis. Si negative, tunc neque in *electione* opus est iudicio practico praevio.

Rs. Voluntas efficit hoc non per aliquem actum specialem, a se ipsa elicitum et in intellectu receptum (motionem),

sed formaliter per hoc, quod *immediate* post aliquod iudicium rationis ponit statim actum « electionis », non expectando ulterius « aliud » iudicium rationis.

Quare iudicium practicum non est *unus* actus mixtus (compositus) ex actu intellectus et actu voluntatis, sed est *formaliter* actus *intellectus*; sicut electio est formaliter actus voluntatis.

5. Quae cum ita sint, explicanda nobis nunc remanet, quomodo se habeant ad se invicem: iudicium practicum (rationis) et electio.

Rs. a) Electio nec praecedit iudicium nec praeceditur (tempore) ab ipso, sed *fit simul* cum eo.

b) *Electio* accipit *specificationem* suam ab *intellectu*, videl. ab illa forma intentionali, quam animae aquirit intellectus; *exercitium* vero suum a voluntate.

c) At specificatio, de qua hic est sermo, non est intelligenda *eodem* prorsus *modo* ac specificatio intellectus possibilis, quae fit per receptionem *speciei impressae*. Voluntas enim non est facultas *repraesentativa* obiecti (caeterum actio intellectus, utpote facultatis stricte immanentis non potest *transire* in aliam facultatem). Intelligenda est *modo analogico*: actus voluntatis dicitur « specificari », quia *homo, qui vult* (non voluntas vult, sed *homo* per voluntatem!) habet simul *speciem* intellectivam in se praesentem.

d) In ordine *exercitii* seu efficientiae electio minime pendet ab intellectu; sed *a sola voluntate autonoma* et *domina suorum* actuum. — Nec valet obiectio: Si in *hoc* ordine voluntas non pendet ab intellectu, agit caece. Fundatur enim obiectio haec, ut patet, in *anthropomorphismo* facultatum, concipiente facultates ad modum realitatum *absolutarum*, operantium fere tamquam supposita (conceptio facultatum statica!), dum reapse concipiendae sunt ad modum entium essentialiter relativorum, operantium tamquam « δυνάμεις » suppositi seu tamquam eius *accidentia* (conceptio facultatum dynamica!). Porro si hoc modo intelliguntur voluntas et intellectus, sponte evanescit difficultas modo nobis obiecta: *homo* exercet actum voluntatis, quae tamen lumine intellectus penitus est illustrata; inter operationem volitivam et operationem intellectivam adest interdependentia mutua, *causalitas reciproca*. Operatio volitiva in determinatione li-

bera est ordinis causalitas *efficientis*; operatio intellectiva est reductive causalitas *formalis*.

Schol. II. — De praemotione physica praedeterminante.

1. Doctrina de praemotione physica a Bannezio exculta in his — quoad substantiam suam — continetur:

a) voluntas humana non potest quidquam agere, nisi ad hoc acceperit a Deo motionem praeviam physicam seu « praemotionem physicam » ; *b*) hac praemotione accepta voluntas tam efficaciter applicatur ad agendum, ut infallibiliter ponat actum hunc *unum*, ad quem ei praemotio data est.

2. Expositio adaequata rationum, quibus theoria praemotionis physicae fundatur, ac obiectionum, quae ipsi fieri solent, nonnisi in tractatu de gratia seu de concursu Divino, cum quo intime cohaeret, dari potest.

In thesi *praesenti* eligimus ex tota controversia circa praemotionem physicam hoc unum punctum ad discutiendum: *possitne cum praemotione physica stare libertas humana?*

Cui quaestioni *negative* respondendum putamus.

Arg. I. — Quod subtrahit actum voluntatis dominio voluntatis, destruit libertatem voluntatis.

Atqui praemotio physica subtrahit actum voluntatis dominio voluntatis.

Ergo praemotio physica destruit libertatem voluntatis.

Ad Mai. — Omnibus fatentibus, libertas voluntatis consistit in eius *dominio* supra actus suos, quatenus videl. positis omnibus ad agendum requisitis, a *voluntate ipsa pendet*: agere aut non-agere, agere hoc aut aliud.

Prob. Min. — Quod actum voluntatis facit independentem ab ipsa voluntate tum quoad specificationem tum quoad exercitium, subtrahit eum dominio voluntatis.

Atqui praemotio physica facit actum voluntatis independentem ab ipsa voluntate tum quoad specificationem tum quoad exercitium.

Ergo praemotio physica subtrahit actum voluntatis dominio voluntatis.

Ad Min. ult. — Data praemotione physica ad aliquid — seu *in sensu composito* « huius » praemotionis — actus voluntatis et quidem *hic* praecise individualis actus, ad quem voluntati data est praemotio, *cum necessitate* sequitur.

Ne haec necessitas auferat libertatem, opus esset, ut voluntas habeat in *suo dominio* (potestate) praecise id, *in cuius* sensu composito inducitur haec necessitas. Sic Petrus, dum stat — seu in sensu composito standi — non potest *simul* currere, aliis verbis, *necessario stat*; haec necessitas minime officit libertati actus standi; sed hoc ideo, quia *ab ipso* praecise Petro pendebat *se ad standum determinare.* Sed in casu praemotionis physicae *non* ab ipso Petro pendet praemotionem ad hoc (ad standum) vel ad aliud *sibi* imprimire.

DEUS ESSET AUCTOR PECCATI. admissa praemotione physica.

Arg. II. — Admissa sententia de praemotione physica Deus dicendus esset auctor peccati. Praemotio enim physica, quae *praedeterminat* hominem ad actum malum, non dependet ullo modo ab homine, sed a *solo* Deo.

Dices 1: — Deus praemovet ad id, quod est *positivi* in actu malo seu ad *materiale* peccati, non autem ad *formale* peccati (inordinationem moralem). Sicut anima est causa *motus* tibiae, non vero causa *claudicationis* (haec enim provenit a tibia curva!), ita etiam Deus est causa eius, quod est *entitatis* in actione mala seu materiale peccati, non autem causa *defectus*, seu eius, quod est *formale* in peccato.

ANTE PECCATUM ADAMI WILL was recta.

Responderi potest: *a*) ante *primum* peccatum voluntas humana (Adami) non fuit tibia *curva*, sed omnino recta. Ergo stante theoria praemotionis physicae *impossibile* fuit peccatum primum, vel dicendum est voluntatem primi hominis factam esse curvam praecise *praemotione physica.*

b) In exemplo allato ab adversario bene intelligitur animam non esse causam claudicationis sed tantum causam motus; sed hoc ideo praecise, quia *tacite supponit* tibiam non esse curvatam ab *ipsa anima*, sed ab *alia* causa realiter ab anima distincta.

Hinc exemplum e « tibia curva » desumptum, in controversia praesenti citatum, simpliciter petitionem principii continet.

Dices 2: — Quomodo cum praemotione physica componi possit libertas humana, mysterium est.

Rs. a) Mysteria tenemus, *quae in Revelatione* continentur, non quae ad systema philosophicum fulciendum excogitantur.

b) In casu praesenti videtur haberi non *mysterium*, sed veri nominis *contradictio.* Praemotio physica enim dicit: *de-*

Praemotio PHYSICA EST DETERMINATIONEM.

terminationem antecedentem ad unum. Libertas autem involvit: *indeterminationem antecedentem ad unum.*

Dices 3: — Conceptus, quos de Deo habemus, sunt omnes *analogici* tantum (non proprii), hinc essentialiter *imperfecti*; quare numquam ostendere possumus veri nominis contradictionem inter praemotionem *Divinam* et libertatem *humanam*.

Rs. a) Argumentum hoc *nimis* probat; ergo *nihil* probat. Aequo enim iure quis posset arguere: nullam repugnantiam mihi ostendere potes v. g. in praemotione *divina*, qua *materia* bruta ad intellectionem moveretur!

b) Termini analogici possunt quidem prorsus differre inter se quoad « modum quo »; attamen non possunt penitus differre quoad « id quod ». Secus cessant iam esse *analogici* et fiunt *aequivoci*, qui nonnisi nomen habent commune.

3. Quia fautores praemotionis physicae in solvendis obiectionibus consueverunt, ut notum est, recurrere ad distinctionem « sensus compositi » et « sensus divisi », paulo exactius heac distinctio explicanda nobis est.

1. Distinctio « sensus compositi » et « sensus divisi » iam longe ante ortam controversiam de libero arbitrio nota erat *logicis*. Sit in aliqua propositione *subiectum* designatum ope formae, quae non est de eius essentia (v. g. caecus). Si haec forma (in nostro casu caecitas) pugnat cum *praedicato* propositionis (v. g. legere), propositio dicitur falsa in sensu *composito*, licet possit esse vera in sensu diviso.

Propositio « caecus potest legere » falsa est in *sensu composito*. At potest esse vera in *sensu diviso*: « homo liberatus a caecitate potest legere »!

2. Quomodo hanc distinctionem intelligunt Banneziani?

1) « De essentia libertatis — ita quidam — non est ut voluntas creata cum praedeterminatione... possit componere omissionem actionis, quod aliunde repugnat. Sufficit ad libertatem, ut voluntas *praedeterminata ad agendum retineat potentiam* non agendi pro *alio* instanti, quam pro actu, quo agit, exserendam; proinde cum determinatione physica non potest simul non agere in *sensu composito*, potest autem in *sensu diviso* ». Aliis verbis, voluntas praemota manet libera, quia semper *potentiam* retinet, ut loco praemotionis, quam *de facto* accepit, aliam (videl. ad oppositum actum) accipiat. Ut rem exemplo illustremus, homo, qui semel accepit prae-

motionem physicam ad currendum, conservat libertatem in currendo, quia *iterum potest* ei praemotio ad oppositum dari i. e. ad quiescendum.

Crisis: *a*) *exemplo*. Nemo libertatem tribuet auri ex hoc solo, quod loco huius determinationis auditivae, quam *de facto* acceperat, aliam accipere potuisset, et ita *alium* actum auditionis exercere.

b) *ratione*: potentia ad oppositum, quae manet in voluntate *sub* praemotione physica, est mera possibilitas *remota* et *conditionata*, cui *repugnat* hic et nunc actuari, quo fit, ut in aeternum maneat frustra. Re enim vera sensus compositus componit *praedicatum* cum praemotione *actuali*. Sed in *hoc* praecise sensu propositio dicitur falsa. Sensus autem divisus, in quo propositio dicitur vera, *dividit* praedicatum a praemotione actuali et connectit illud *semper* cum praemotione *futura*. Sed quando aderit in futuro praemotio illa, tota difficultas, quae nos modo premit, instaurabitur pro *futuro*. Re enim vera fautores praemotionis physicae numquam hic componunt praedicatum cum actu praemotionis, sed cum mera *potentia* recipiendi eam!

Quare non desunt inter Bannezianos ipsos, qui « haec explicatio sensus compositi et sensus divisi — aiunt — falsa est et calvinistica » (*Institutiones Philosophicae* t. IV, ex typis Abbatiae Montis Casini, 1875, pag. 534, n. 517).

Secundum alios Bannezianos (v. g. Ioannes a S. Thoma, Gredt etc.) « sensus... compositus non significat: voluntatem *cum* praemotione, et sensus divisus non significat: voluntatem *sine* praemotione..., sed stante *eadem* praemotione fit compositio et divisio secundum diversas *formalitates* seu munera in ipsa praemotione reperta; quatenus *a*) dat modum libertatis et *b*) infert infallibiliter eventum; et ita dividendo primum a secundo et respiciendo primum tantum, ... dicimus voluntatem praemotam posse non velle et aliter velle in *sensu diviso*; componendo vero utrumque i. e. infallibilitatem eventus cum modo libertatis (seu positionem infallibilem actus cum non-positione eius) et considerando utrumque, dicimus non posse voluntatem non velle in sensu composito » (I. Gredt, *Elem. philos.*, vol. II., *De Deo*, 1929, pag. 261-262, n. 846). — Ad mentem huius distinctionis propositio: « praemotus ad currendum potest quiescere » falsa est, si praedicatum (« po-

test quiescere ») componitur cum « praemotione » spectata secundum quod *infallibiliter* causat cursum seu determinat ad unum (sensus compositus); est vera, si praedicatum dividitur ab hoc munere praemotionis (determinatio ad unum), et componitur cum praemotione secundum quod relinquit homini libertatem seu *non determinat* eum ad unum (sensus divisus).

Crisis: Hic modus solvendi difficultatem minime solvit eam, nam *minime nobis monstrat*, quomodo fieri possit, ut una *eademque* realitas physica possit afferre simul et determinationem seu applicationem voluntatis creatae *ad unum* et indeterminationem eiusdem in individuo voluntatis ad unum.

Asserit quidem *verbis* nullam pugnantiam inter haec duo adesse, sed minime nobis hoc *ostendit*. — Relinquitur totum « mysterium », de quo iam lucuti sumus supra. Mysterium an potius contradictio!

Cap. III. — **De habitu.**

THESIS XXXIII

Potentiae rationales acquirunt exercitio actuum habitus

1. Notio generalis habitus. Habitus definiri potest modo generali: proprietas stabilis facultati superaddita, disponens ac promovens eius activitatem ultra ea, quae ei naturaliter conveniunt.

Dicitur: « stabilis », ut habitus distinguatur tum ab actibus, qui continuo transeunt, tum a mera *dispositione* (« valetudo, morbus, opinio »), quae ex se nec ulla stabilitate gaudet nec est principium activum (Cf. Arist. Metaph. Δ, 20,1022 b 10-12; Cat. 8,8 b 28-35). Unde etiam habitus vocatur: « secunda natura ».

Dicitur ulterius: « disponens ac promovens eius activitatem ultra etc. », nam habitus ad « simpliciter posse », quod naturaliter potentiae convenit, superaddit « facile posse ».

2. Ortus habitus. Habitum produci actibus, res est prorsus evidens. At quaeri potest ulterius, utrum *unus* actus sufficiat ad gignendum habitum an vero necessarii sint ad

hoc plures (« repetiti ») actus. Cui quaestioni ita respondendum censemus:

1) *Experientia* ipsa docet *quandoque* ad contrahendum habitum sufficere actum *unum*. Quod iam S. Thomas animadvertit, dum notavit: « habitum *scientiae* possibile est causarii ex uno rationis actu » (Iª, IIªᵉ qu. LI, a. 3).

2) Quod attinet alios habitus v. g. *memoriae* sensitivae, *appetituum*, solutio praesentis controversiae ex sola experientia dari iam non potest, nam facilitas — proprius effectus habitus — generatim loquendo, non statim post actum I. *percipi* solet, sed demum post *plures* actus.

3) Si missa experientia, ad *ratiocinia* nos converterimus, sententia affirmans possibilitatem generationis habitus unico actu prorsus praeferenda videtur.

Si enim actus I. non produceret in facultate ullam facilitatem ad actus futuros reproducendos seu nullum habitum, habitus simpliciter non posset oriri; nam cum actus I — ex hypothesi — nondum introduxisset ullum habitum, actus novus (II) esset iterum « primus » per respectum ad habitum contrahendum et esset eodem titulo incapax creandi habitum ac actus praecedens.

4) Habitus hic « initialis » — ex se, ut plurimum, debilis — actibus *repetitis* continuo *perficitur* et ita in habitum perfectum sensim sine sensu transit.

3. Effectus habitus. — « Habitibus »..... — ait S. Thomas — ad tria indigemus. Primo, ut sit uniformitas, in... operatione; ea enim, quae ex sola operatione dependent, facile immutantur nisi secundum aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita. Secundo, ut operatio perfecta in promptu habeatur; nisi enim potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad unum, oportebit semper, cum necesse fuerit operari, praecedere inquisitionem de operatione; sicut patet de eo, qui vult considerare nondum habens scientiae habitum... Tertio, ut delectabiliter perfecta operatio compleatur; quod quidem fit per habitum; qui cum sit per modum cuiusdam naturae, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit et per consequens delectabilem (*Qu. disp. De Virt. in com.* qu. I, a. 1, c.). — Doctrina haec ab Aristotele desumpta probatur ex experientia. Habitus enim:

1) *evolvit ac perficit organa* ipsa; testatur hoc: ars hygienica (gymmastica, bona respiratio etc.), deformationes « pro-

fessionales » (manus pianistarum, bracchia operariorum etc.). — Perficiendo autem et evolvendo organa, habitus reddit eo ipso faciliores et perfectiones, promptiores et accuratiores actus illorum organorum. Fabricando, « faber fit » !

2) tribuit *operationibus*, quae ex se directiones oppositas habere possunt, *directionem constantem* ac stabilem (hoc valet praecipue de operationibus psychicis!) — et per hoc procurant eis specialem efficaciam. Insuper cum *impulsio* ad certos actus creata ab habitu sentiatur ab homine (vel animali) tamquam desiderium, hinc homo quasi pondere ipsius naturae (internae) tendit iam ad ponendos hosce actus: quod ante contractum habitum apparebat ipsi prorsus indifferens, apparet ipsi nunc tamquam « speciali modo » carum et dulce immo fere necessarium (unde dolor v. g. exilii, nostalgiae etc.). « Assueta dulcescunt ».

3) ad minimum reducit partes *attentionis* in executione *actionum*; si initio singulae actiones alicuius seriei postulabant specialem attentionem, et quidem prolongatam, postea sufficit saepe attentio minima praestita primae actioni seriei, ut tota series sequatur fere automatice.

Similiter etiam sensationes *affectivae* per habitum prolongatum fiunt minus consciae ac tandem fere automaticae. Unde lex fundamentalis habitus: « habitus diminuit affectivitatem, auget activitatem ». (Maine de Biran, Ravaisson, Hamilton).

4. Natura propria habitus.

I. Secundum *Mechanicistas* habitus formaliter spectatus consistit in *inertia*, qua tali, propria materiae; quare invenitur in mundo aeque organico ac inorganico: charta semel plicata *facilius* secunda vice plicatur, instrumentum musicum usitatum sonat melius quam novum, vestimentum certo tempore portatum melius ad corpus applicatur — et ita porro.

Hanc sententiam defendit *Cartesius*: in canalibus — ait — per quae transeunt spiritus animales, relinquuntur et — vi inertiae materiae — constanter conservantur vestigia materialia; quo fit, ut transitus posteriores spirituum animalium facilius perficiantur quam transitus primus. — Similiter explicat rem *Malebranche*. — *Mechanicistae* moderni, ut plurimum, rem explicant ita: nervi, qui excitatione externa semel in vibrationem prodierunt, acquirunt vi inertiae specialem plastici-

tatem, vi cuius melius vibrant vicibus posterioribus. — Per inertiam explicat habitum etiam *A. Comte.*

Theoria haec admitti nequit:

1) Si enim habitus consisteret formaliter in *inertia*, habitus invenirentur *praecipue* in materia anorganica; nam nonnisi in materia anorganica inertia regnat modo illimitato (in viventibus inertia limitatur principio vitali).

A. Falsum consequens. Ergo et antecedens.

Prob. min. — Habitus inveniuntur praecipue in *viventibus*: Patet *a*) ex facto « acclimatationis » (assuefactionis ad clima, temperaturam etc.), quod est proprium entium viventium; *b*) ex facto creationis « necessitatum physiologicarum » (tempus comedendi, dormiendi habitu determinari potest): *c*) puer, si proiicit lapidem pluries, acquirit reapse habitum (cum maiore facilitate et perfectione proiicit lapidem ictibus posterioribus, quam ictu primo), sed lapis, si saepius proiicitur, non contrahit habitum (non maiore facilitate et perfectione movetur in ictibus posterioribus, quam in ictu primo). Dices forte: Etiam puer si proiiceretur, non contraheret — aeque omnino ac lapis — hunc habitum! Rs. Utique — sed hoc ideo praecise, quod motus, quem efficeret in aëre puer proiectus, non est motus *vitalis*, sed mere *mechanicus*.

2) Si habitus consisteret in inertia, non posset dari nisi in solis corporibus.

A. Falsum consequens. Ergo etiam antecedens.

Ad Mai. Inertia enim est proprietas corporis, qua talis.

Ad Min. Etiam in facultatibus intellectivis (intellectu, voluntate) — immo praeprimis in illis — inveniuntur habitus, ut statim monstrabitur. Vide Jacques Chevalier, L'Habitude, Paris, Boivin, 1929.

II. Secundum omnes Scholasticos veteres et multos recentiores habitus est *accidens* distinctum — sub genere « qualitatis » contentum, quod facultatem (vitalem) operativam informat tamquam virtus secundaria, eamque adiuvans in operando.

5. — Quaenam facultates sint capaces habituum?

1) Sensus *interni* et *appetitus sensitivi.* Exercitium, enim, harum facultatum reddit nos reapse promptiores ad actus similes eliciendos. E contra sensus *externi* non acquirunt

habitus; nam exercitium eorum non reddit eos per se promptiores ad eliciendos actus circa sua obiecta *propria*.

2) Potentia *motrix*. Ut enim experientia docet, exercitatione alicuius artis reddimur adeo prompti ad exercendos similes actus, ut sine ulla attentione perfecte eos perficiamus.

3) *Intellectus* et *voluntas*. — Hae duae potentiae sunt sedes praecipua habituum. Finis enim proprius habitus est *adiuvare* facultatem in operando, tribuendo ei, ut diximus, praeter facilitatem et uniformitatem, profundam inclinationem ad agendum et per hoc etiam constantiam in agendo. Quare his facultatibus praeprimis debentur, quae *ex natura* gaudent maxima *indifferentia ad multa*. Porro tales facultates sunt voluntas, ut per se patet, et intellectus, cuius obiectum est illimitatum (ens in tota latitudine sua).

7. — *Scopus thesis*: vindicare realitatem habitus in operationibus potentiarum *rationalium*.

Probatur thesis

Potentiae rationales acquirunt exercitio actuum habitus.

Arg. Assignanda est ratio sufficiens facilitatis, uniformitatis et perfectionis, quae oriuntur in nobis, dum pluries actus eiusdem facultatis ponimus.

A. Haec ratio sufficiens non est nisi specialis realitas, adiuvans facultatem operativam seu habitus. *E.*

Mai. patet ex experientia. — Experientia unicuique testatur, se initio multas operationes nonnisi cum conatu et difficultate ponere, at postea, accedente usu, iam cum magna facilitate et promptitudine easdem operationes exercere.

Quod valet de operationibus aeque voluntatis (virtutes morales, vitia consuetudinaria intemperantiae, irae etc.) ac intellectus (scientiae multiplices).

Ad Min. Ratio sufficiens quaerenda est aut in ipsa potentia operativa, qua tali, aut in propriis huiusce potentiae actibus (positis) aut tandem in speciali realitate superaddita.

A. Nec I nec II.

Ergo III.

Ad min. ult. Non I. (i. e. non in potentia operativa, qua tali). — Potentia operativa intellectus non est potentia libera

sed necessaria; hinc tantum semper agit, quantum *potest.* Quare ex se eadem perfectione actum exercere debet, sive primum sive ultimum.

Non II. (i. e. non in actibus positis).

Differunt realiter, quorum alterum remanet altero recedente.

A. Principium afferens facilitatem in operando remanet recedentibus singulis actibus. E.

Nihil igitur remanet, nisi ut admittatur III: i. e. specialis realitas potentiae superaddita. — Haec realitas, cum ex *natura sua* ordinetur ad *agendum* (adiuvat enim potentiam ad *agendum*!) est proprie dicta *qualitas* et vocatur «habitus».

OBIECTIONES.

1) *Habitus sunt principia, quae adiuvant potentiam ad operandum.*

A. Principia, quae adiuvant potentiam rationalem ad operandum, sunt ipsae species intentionales.

E. Habitus sunt ipsae species intentionales (et non qualitas superaddita).

Rs. Dst. Mai. — . . . . adiuvant potentiam ad operandum, tribuendo ei ipsum «posse operari» simpliciter N. . . . . tribuendo ei tantum «facilius operari» C.

Ctds. min. — N. *cons.*

2) *Habitus intelligitur principium, quod facultati imprimit inclinationem ad operandum.*

A. Principium, quod facultati imprimit inclinationem ad operandum, est praecise ipsa natura entis viventis.

E. Habitus est ipsa natura entis viventis.

Rs. Dst. Mai. - Dst. Mai. — . . . . imprimit inclinationem *essentialem* N (hanc enim imprimit ei natura); . . . imprimit inclinationem *accidentalem* C.

Ctds. min. — N. *cons.*

3) *Habitus est principium, quod dat facultati rationali inclinationem accidentalem ad operandum.*

A. Principium, quod dat facultati rationali inclinationem accidentalem ad operandum, est associatio specierum intentionalium.

E. Habitus est associatio specierum intentionalium.

RS. DST. MAI. — Habitus est principium, quod dat virtute *propria* . . . . C. virtute ab *alio principio communicata* N.

CTDS. MIN. — N. *cons.*

EXPL. — Non desunt, qui habitum reponant in *associatione specierum memoria conservatarum.* Ita post Lugonem et card. Ptolomaeum etiam Arriaga, Oviedo, De Benedictis, Semery, Ant. Mayr. « Omnis . . . . actus vitae, praesertim nobilissimae, qualis est, quae intellectu traducitur, — ita rem explicat De Benedictis — cum delectatione coniuncta est, ut testatur Philosophus in 12 Met . . . . Hinc fit, ut *memoria nostrorum actuum* non actus solum, sed et delectationem in iis exercendis perceptam nobis exhibeat. Atque ex hoc illa est inclinatio, quam ad similes actus repetendos in nobis experimur . . . . ». Huic sententiae favet multum etiam P. Fröbes (Psych. spec. I, pag. 247).

Theoria haec admitti non potest. Reponit enim habitum in aliqua re, quae non *virtute propria* effectum formalem habitus producit. Nam quaero: Undenam associationi specierum (memoriae) venit haec firmitas et facilitas, quae communiter habentur pro effectu formali habitus? Ex eo — dices — quod associatio (memoria) repetita fit *intensior*. Sed respondeo: *intensitas* vel remissio sunt formaliter proprietates *qualitatis*, qua talis. Quare praeter species intentionales formaliter consideratas admittenda est specialis *qualitas*, quae formaliter (propria virtute) producit facilitatem et firmitatem. Et haec praecise qualitas dicenda est proprie habitus.

4) *Non intelligitur, quomodo habitus produci possint.*

PROBO: *Si habitus producitur actibus, magis perfectum est effectus minus perfecti — nam habitus est perfectior quam actus.*

RS. N. ANTC. — N. *pariter Prob.*

Habitus non est perfectior *actibus*; nam habitus non est nisi quidam *impulsus* superadditus potentiae; nec ipse *producit* actum, sed tantum potentiam *adiuvat,* ut *ipsa facilius* actum hunc efficiat.

Cap. IV. — De anima intellectiva.

THESIS XXXIV.

Anima intellectiva est substantia, quae sub actibus psychicis identice permanet.

1. St. Quaest. — 1. Tractatu de intellectione et volitione absoluto, iam *ad naturam* eorum principii radicalis seu animae intellectivae determinandam accedamus. — Et primum, quod hic considerandum venit, est: estne anima intellectiva *substantia* vere et proprie talis sub actibus psychicis intellectionis et volitionis identice permanens an vero sit tantummodo nomen commune ad designandum *cumulum horum actuum psychicorum*, qui sibi continuo succedunt seu fluunt?

2. *Veteres* problema hoc vix ex professo tangebant, hinc quia videbatur ipsis sufficienter solutum thesi, quae vindicat animae intellectivae rationem formae substantialis, illinc, quia dubium formale circa hoc problema (nisi forte excipias Sophistas: Protagoram et Gorgiam, Scepticos: Pyrrhonem et Aenesidemum ac tandem Nominalistam Nicolaum ab Ubtricaria non movebatur).

Reapse rationes, quae pro thesi praesenti militant, sunt adeo evidentes, ut quilibet homo sine difficili ratiocinio ad eam spontanea ac *naturali certitudine* tenendam adducatur: dum enim actus quosdam intellectivos et volitivos etiam a longo iam tempore praeteritos *sibi in praesenti* attribuit, intime sentit praeter actus, qui transeunt, existere quandam realitatem, quae constituit eorum *fundum stabile*, continuo in se *perdurans* ac actibus *substans* — *seu substantiam proprie dictam.*

Hodie tamen cum substantialitas animae a plurimis philosophis et psychologis expresse reiiciatur, nec argumentum inde desumptum, quod anima intellectiva est forma substantialis, habet amplius vim suam pro adversariis, qui omnem generatim notionem *formae substantialis* penitus e medio tollunt, nec tandem ratiociniis «sensus communis» ulla detur fides (Cf. W. James, *The principles of psychology*, 1890, vol. I,

pag. 343), ideo specialia afferenda sunt argumenta ad substantialitatem animae in tuto collocandam apta et captui adversariorum accommodata.

2. Notiones. — I. *Substantia.* — 1. Spectata etymologia vocis, « substantia » significat id, quod *sub* variis mutationibus — quibus subiecta est omnis res mundana — idem continuo *stat.*

2. At notio haec — quippe quae desumpta sit ex solis substantiis *experientiae nostrae* subiectis — proprie non convenit nisi solis substantiis *creatis*; solae enim substantiae creatae possunt esse subiectae mutationibus. Ut inveniatur definitio, quae vere *omni* sine exceptione substantiae conveniat, quaerenda est *ratio formalis* substantiae.

3. Haec ratio formalis sine negotio invenietur, dummodo animadvertatur munus « substandi aliis » necessario involvere et intrinsece *supponere* aliud munus logice prius, scil. « in se existere »: in tantum enim aliquid potest praebere aliis subiectum, in quo ipsa inhaereant — seu, aliis verbis, in tantum aliquid potest *aliis* substare — in quantum *iam* ipsum aliquo tandem modo *in se* existit.

4. At « in se existere », ut sit vere *ultimum*, quod de substantia intelligitur, debet sumi non pro actu II., sed pro actu I. subsistendi i. e. non pro exercitio *actuali* existendi in se (subsistendi), sed pro ipsa *capacitate* radicali et profunda, pro ipsa ordinatione et inclinatione iuncta cuidam *exigentiae* stricte naturali ad existendum per se actu. Quare substantia aptissime definiri potest: *id, cuius quidditati debetur esse in se* vel « id, cuius quidditati debetur esse non in alio ». — Definitio haec ultima, licet exprimatur *verbis* negativis, minime tamen constituitur formaliter mera negatione (negatione inhaerendi subiecto), ut falso putat *Porphyrius*; sed dicit positivam perfectionem, cum « non esse in alio » idem in nostra definitione significet atque « esse in se ».

In definitione modo lata substantiae verba: « id quod » (res, essentia) constituunt quasi genus; verba vero reliqua constituunt quasi differentiam specificam. Definitio *proprie dicta* (sensu Logicorum, def. metaphysica) substantiae dari nequit, ut patet, quia substantia, utpote genus supremum, respuit genus *superius* se ipsa.

5. Dum asserimus in hac thesi animam intellectivam esse substantiam, minime intendimus affirmare eam posse subsistere tamquam « ens completum » *speciei* (seu ens, quod ex natura sua minime iam ordinaretur ad aliquod novum substantiale componendum); sed hoc *solum* dicere volumus: *anima* intellectiva est realitas, quae gaudet proprie dicta existentia in se et non tantum nomen commune ad designandum sive merum aggregatum factorum seu « phaenomenorum » sive fluxum eorum.

II. *Phaenomenon.* — Phaenomenon a variis vario modo intelligitur.

a) *Spiritualismus* (*subiectivismus*), qualem profitentur *Berkeley, Stuart Mill, Renouvier* etc., intelligit per phaenomenon: repraesentationem ad instar illarum, quae fiunt in somniis et cuius tota realitas consistit in mera modificatione *conscientiae.*

b) *Idealismus transcendentalis*, qualem *Kant* tenet, intelligit per phaenomenon: factum aliquod manifestans rem actu et stabiliter in se existentem, realiter distinctum tum ab ipsa hac re tum etiam a subiecto seu conscientia, cui apparet. Modo sat simili concipiunt phaenomenon *Compte*, *Spencer.*

c) *Positivismus* realisticus *Humii* et *Taine*: phaenomenon est factum nude sumptum essentialiter mobile et transiens quod definitur per solam relationem ad tempus, independenter a *re in se* (stante sub hoc facto) et conscientia, cui apparet.

3. Phaenomenismus. — Adversatur thesi nostrae theoria, quae communiter vocatur hodie *Phaenomenismus.* Secundum ipsum substantia (i. e. res permanens, quae existeret a parte rei, in se ipsa, praeter phaenomena, quibus vulgo creditur manifestari) vel simpliciter non existit vel saltem incognoscibilis est.

A. — *Conspectus Phaenomenismi systematicus:*

1) Phaenomenismus *totalis* (monisticus) et *partialis*: primus negat omnem omnino substantiam creatam — ita v. g. Renouvier; ultimus negat tantum substantiam materialem (non autem substantiam spiritualem) — ita Berkeley.

2) Phaenomenismus *absolutus* seu dogmaticus et *relativus* seu agnosticus; prior praeter phaenomena nullam substantiam admittit — ita *Neo-Criticistae*, insuper *Renouvier*,

Hodgson; alter tenet substantiam, si quae daretur, esse homini incognoscibilem — ita Kant et Spencer.

3) Phaenomenismus *realisticus* seu obiectivus et *idealisticus* seu subiectivus. Primus tenet phaenomenon prater ipsum « apparere » conscientiae *aliquam* realitatem habere. Alter affirmat phaenomenon absolvi solo « apparere » conscientiae.

4) Phaenomenismus *realisticus* iterum duplex potest esse: *positivisticus* et *transcendentalis*, prout rationibus positivismi propriis (Taine) aut philosophiae transcendentalis (Kant) imperatur.

B. — *Conspectus phaenomenismi historicus.*

Iam in medio aevo *Roger Bacon* (« doctor mirabilis ») adeo urgebat valorem experientiae, ut dicere non dubitaverit: « sine experientia *nihil* sufficienter sciri potest » (*Opus Maius*, pars VI, cap. 1).

Hobbes posuit tamquam principium: « nulla est animi conceptio, quae non fuerit antea genita in *aliquo sensuum*, vel tota simul vel per partes. Ab his autem primis conceptionibus omnes postea derivantur ». Sed substantia, qua talis, non attingitur in se ipsa, ut constat, a sensibus. Ex quo concludit: « substantia . . . ut quae est materia subiecta accidentibus et mutationibus, sola ratiocinatione evincitur nec tamen concipitur aut ideam ullam nobis exhibet ». (*Obiect. in Cart. medit.*, pag. 87).

Locke initium sumit ex adagio scholastico: « nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu ». At secus atque Scholastici — qui intellectui adscribunt *activitatem* circa data sensuum (cf. th. XXV.) abstrahentem ex eis quidditates immateriales — Locke docet (cf. th. XIX, pag. 170) intellectum in formatione idearum ex datis sensuum habere se modo prorsus *passivo*; quo fit, ut non obstantibus combinationibus, quas postea intellectus perficiet circa haec data (ideae compositae etc.), elementa *intellectiva* maneant semper omnino *homogenea* elementis mere sensitivis. Unde impossibilitas perveniendi ad cognitionem entis, quod non esset ratione sui *sensibile* sed sensibilium *substratum* reale seu *substantia*. Notio igitur nostra substantiae est productum nostrum, est fictio. En quomodo oriatur: quaedam ideae « simplices » (determinatus color, figura, calor etc.) apparent nobis constanter se-

Locke: intellect is Passive

cum unitae in synthesim; porro cum nesciamus, quomodo hae ideae simplices possint per se ipsas subsistere, sponte ipsis supponimus realitatem, quae sub ipis stet et eas sustentet (unde etiam nomen « substantiae »), quam concipimus ad modum entis simplicis per se stantis, licet revera non sit ibi nisi cumulus idearum![1]

Hume: reiicit substantialitatem animae, quia omnem generatim substantiam reiicit. Substantia, qua talis — hinc omnis — non est pro eo nisi collectio seu congeries idearum simplicium unitarum per imaginationem et designatarum nomine, quod permittit revocare eam in memoriam. Ipsa anima non est nisi collectio diversarum perceptionum in perpetuo fluxu et motu[2].

Kant: facultates nostrae speculativae attingunt illa sola elementa, quae experientiae nostrae subiacent, hinc tantum « phaenomena ». Praeter phaenomena dantur quidem noumena i. e. res in se (Ding an sich) existentes independenter a cognitione; at a nobis cognosci nequeunt.

Quia experientiae nostrae non subiacent nisi *actus* psychici, hi soli a nobis cognoscuntur. Eorum fundum ontologicum, videl. *substantia animae* est facultatibus nostris *speculativis* prorsus impervia; tenetur a nobis tamquam postulatum rationis practicae.

Stuart Mill: quod vulgo vocatur corpus seu « materia », non est nisi « possibilitas permanens sensationum ». Spiritus vero non est nisi mera *successio* seu series nostrarum sensationum, quales se reapse actu manifestant *conscientiae* addita possibilitate illimitata *sentiendi* semper aliquid novi in conditionibus novis. (*Examination of Sir W. Hamilton's Philosophy*, ch. 11, 12).

Renouvier: non possumus cognoscere nisi ea, quae nobis in aliqua repraesentatione exhibentur seu quae nobis « apparent » i. e. phaenomena; quae autem nobis non « apparent » seu res, prout sunt in se (noumena), sunt pro nostra

[1] « The complex ideas, that our names of species of substances properly stand for, are collections of such qualities as have been observed to coexist in an unknown substratum, which we call substance » (*Ess.* IV, ch. 6, § 7).

[2] A bundle of perceptions in a perpetual flux and movement, (*A Treatise of Human Nature*, IV, sct. 2, 6; cf. III, § 4; II, § 6; I, § 6).

cognitione ac si non essent. — Renouvier fuit primus, qui *nomen* « phaenomenismi » in philosophia maxime propagavit et forte ipse primus illud invenit.

Bergson: non existunt res stabiles (des choses), neque status fixi, permanentes (des états); omnes res sunt in perpetuo fluxu, in continuo fieri seu motu (incessante mobilité) vel — strictius loquendo — omnes res constituuntur ipso fluxu continuo, ipso fieri. Apparens discontinuitas, quam nobis testatur vita psychologica, provenit ex eo, quod nostra attentio intellectualis figit se actibus discontinuis in nostro fluxu psychico continuo. — Sed eadem attentio, postquam ita (artificialiter) divisit, quod ontologice est realiter unum, connectit singula fragmenta huius discontinuae seriei ope novae imaginis, quam fingit, ope τοῦ ego « immobilis », « informis », « indifferentis ». Sola *intuitio*, quae apprehendit immediate realitatem fluentem, detegit hunc errorem intellectus[1].

[1] « Je change... sans cesse... Mon état d'âme, en avançant sur la route du temps, s'enfle continuellement de la durée qu'il ramasse; il fait, pour ainsi dire, boule de neige avec lui-même... L'apparente discontinuité de la vie psychologique tient donc à ce que notre attention se fixe sur elle par une série d'actes discontinus... Mais, comme notre attention les a distingués et séparés artificiellement, elle est bien obligée de le réunir ensuite par un lien artificiel. Elle image ainsi un moi amorphe, indifférent, immuable, sur lequel défileraient ou s'enfileraient les états psychologiques qu'elle a érigés en entités indépendantes... qui se juxtaposent comme les perles variées d'un collier: force lui est de supposer alors un fil non moins solide, qui retiendrait les perles ensemble... Ce substrat incolore... est pour nous dans son indétermination comme s'il n'existait pas... A vrai dire, ce « substrat » n'est pas une réalité; c'est, pour notre conscience, un simple signe destiné a lui rappeller... le caractère artificiel de l'opération par laquelle l'attention juxtapose un état à un état... Si notre existance se composait d'états séparés, dont un « moi » impassible eût a faire la synthèse, il n'y aurait pas pour nous de durée. Car un moi qui ne change pas ne dure pas, et un état psychologique qui reste identique a lui-même tant qu'il n'est pas remplacé par l'état suivant ne dure pas davantage... Pour un être conscient, exister consiste à changer, changer à se mûrir, se mûrir à se créer indefiniment soi-même ». (Cfr. *Evolution créatrice*, pag. 1-8). « Il y a des changements, mais il n'y a pas des choses qui changent; le changement n'a pas besoin de support. — Il y a des mouvements, mais il n'y a pas nécessairement des objects variables qui se meuvent: le mouvement n'implique pas un mobile». (*La perception du changement*, pag. 24).

Phaenomenismum profitentur *communiter Psychologi moderni.* (James, Wundt, Titchener, Ebbinghaus, Ziehen, Jodl etc). Cum tamen insufficientiam eius clare perspiciant, eum variis modis emendare conantur. Ita v. g. cum sola series (multiplicitas) actuum non explicet unitatem propriam conscientiae, *James* (secutus hac in re Kant) affirmat actus posteriores complecti in se tamquam suum obiectum actus anteriores, atque hoc modo actum praecedentem transmigrare in posteriorem. — Ribot (*Maladies de la person.* 167-73), Ostwald (*Vorles. über die Naturphil.* 410) et alii quaerunt hoc vinculum religans phaenomena in *organismo.*

Phaenomenismus, quatenus *diserte* docet animam consistere in activitate (in actibus, in fieri, in processu), proprio nomine « theoriae actualitatis » (actualismi) hodie insigniri consuevit.

4. Minime intentionis nostrae est probare in *hac* thesi animam, quae phaenomenis psychicis praebet substratum, esse substantiam spiritualem, unicam et ita porro. Quare minime veniunt tamquam adversarii thesis *praesentis* Alexander Galenus medicus, Empedocles, Dinarchus, de quibus S. Thomas (*C. Gentes* c. 62-64). Nullus enim horum substratum substantiale pro actibus psychicis simpliciter negavit, sed tantum *naturam* eius falso explicaverunt.

Probatur thesis.

ARG. I. EX NECESSITATE SUBSTRATI PRO ACTIBUS PSYCHICIS. Qui tollit substratum substantiale pro actibus psychicis, tollere etiam debet ipsos hosce actus.

A. Phaenomenistae tollunt substratum substantiale pro actibus psychicis.

E. Tollere etiam debent ipsos hosce actus.


Ad Mai. Actus psychici habent esse aut *a*) in alio, aut *b*) in se.

A. In utraque hac hypothesi tolli debent, si tollitur eorum substratum substantiale. *E.*

Mai. ult. continet disiunctionem completam. Hi enim duo modi, utpote contradictorie oppositi, dividunt adaequate ens.

Probo min. ult. per partes.

Ad *a*) Actus, qui habent esse *in alio*, supponunt necessario rem habentem esse *in se* seu substantiam.



Nec iuvat ad *seriem* entium in alio recurrere. Haec enim series est aut finita seu clausa aut infinita. Porro utraque series sine ente *in se* seu substantia repugnat.

Repugnat series clausa (finita) *entium in alio*; in hac serie *A* inhaeret in *B*, *B* inhaeret in *C*, ac tandem *C* inhaeret in *A*. At quia *A* in tantum existit, in quantum inhaeret in *B* seu in quantum dependet ab actuali influxu *B*, *B* iterum in tantum existit, in quantum dependet ab actuali influxu *C*, evidenter patet ipsum *A* dependere ab actuali influxu *C* proindeque *A* esse natura *posterius* quam C. — Sed ex altera parte *C* in tantum existit in quantum inhaeret in *A*, proindeque *A* est natura *prius* quam *C*. *Idem* igitur *secundum idem* est et natura posterius et natura prius, quod repugnat. — Alio modo: *A* pendet realiter (mediante *B*) a *C*. Sed ipsum *C* pendet realiter ab ipsissimo *A*. Ergo unum idemque *A pendet* realiter a *se* ipso.

Repugnat etiam series infinita entium in alio. — Infinita series entium in alio constituit, ut patet, infinitam seriem causarum « per se » subordinatarum (nam unumquodque ens huius seriei in tantum existit, in quantum *actu* inhaeret alteri enti, seu in quantum *actu* recipit influxum ab altero). Porro talis series infinita repugnat. Ratio:

Cum unumquodque membrum huuis seriei pendeat ab actuali influxu praecedentis et hoc praecedens iterum a suo praecedente et ita in infinitum, ideoque unumquodque membrum pendet *actu* a tota *infinita* serie causarum, vel strictius loquendo, pendet — mediantibus infinite multis membris — ab *ultimo* membro hujus infinitae seriei. Sed cum series infinita — ut terminos intelligenti per se patet — *pertransiri* simpliciter non possit, nec intelligibile sit membrum *ultimum* seriei infinitae, ideoque omnia membra huius seriei erunt *conditionata* sine *conditione* — quod repugnat.

Ad b): Actus psychici habent esse in se.

Crisis. — In hac hypothesi effugiuntur quidem difficultates modo citatae — reapse enim in hac theoria actus psychici *eriguntur* iam *in* proprie dictas *substantias* (Cf. supra 2, 2-4), quidquid sit de nomine, quo insigniuntur.

At nec ita possibiles sunt in suppositione negante substratum substantiale. Ratio:

Actus singuli non sunt ens absolutum, necessarium sed contingens.

A. Ens tale debet esse causatum.

A rursus. Stante doctrina Phaenomenismi non potest esse causatum. *E.*

Probatur ult. min. α) Phaenomenistae negando principium causalitatis negant eo ipso influxum realem unius phaenomeni in alterum.

β) Etiam dato — non concesso — tali influxu unius actus in alterum, actus causans deberet habere *virtutem infinitam*; deficiente enim omni *subiecto* mutationis subeundae capaci, phaenomenon non posset oriri nisi proprie dicta *creatione.*

γ) Sed etiam data — non concessa — virtute infinita (creatrice) in uno actu ad producendum actum alium, adhuc repugnat phaenomenon unum produci ab alio, nam quando subsequens phaenomenon oritur, praecedens iam « fluxit », iam *non* existit.

Ex conscientia

Arg. II. Ex conscientia.

Negato substrato substantiali actuum psychicorum explicari non potest unitas conscientiae, quae unicuique nostrum attestatur se sub diversis actibus continuo eundem *permanere* (licet homo sibi tamquam proprio *auctori* actus suos adscribat, nihilominus se prorsus ab ipsis distinguit).

Prob. antc. — Negato substrato substantiali actus illi nullo intrinseco vinculo inter se *iunguntur* (non communicant in uno esse). Sed si ita res se habet, conscientia unius actus remanet necessario extra conscientiam actus alterius, proindeque nec conscientia unius alteri tradi potest nec conscientia utriusque in conscientiam unam colligi valet.

N.B.

Quodsi hi actus *sibi succedunt*, nova impossibilitas surgit: quando sequens incipit existere, prior iam existere cessavit; cum nunquam *simul* existant, neque alter alteri conscientiam suam tradere potest (conscientia non est virtus transiens, quae posset migrare).

Dices cum James (*Princ. of. Psychology*, ch. 12): unitas conscientiae per hoc obtinetur, quod semper actus subsequens priorem cognoscit eumque in se quodammodo recipit seu

adoptat, fere sicut globulus unus motus ab alio globulo motum huiusce ultimi recipit.

Rs. 1) Actum praesentem continere omnes praecedentes, quotquot habui in vita, est manifesto contra testimonium conscientiae (non quolibet momento scio omnia, quae unquam cognovi). 2) Unio actuum — teste conscientia — non in eo consistit, quod unus actus alium contineat, sed quod uni eidemque subiecto inhaereat. 3) Suppositum sententiae huius scil. cursum conscientiae esse ininterruptum est gratuitum. 4) Actus praesens, cui scientia omnium actuum praeteritorum communicaretur, non posset affirmare: « *ego antea volui* » sed: « scio, quid alius antea voluerit ».

Dices cum Ribot et A. Lehmann: unitas conscientiae habetur per hoc, quod omnes actus psychici in uno *organismo* adsunt.

Rs. a) ipsae partes organismi continuis mutationibus subsunt; *b*) haec sententia, ut patet, Materialismum olet ad eumque recta via ducit.

Dices cum Ebbinghaus: unitas conscientiae explicanda est simili modo ac unitas plantae. Sed haec *constituitur* summa partium suarum (*Grundz. der Psych.* I, 1919, S. 12).

Rs. Nego paritatem. Partes enim plantae *sunt substantiae* — Caeterum nec hae partes plantae darent substantiam vere unam seu substantiam per se, nisi daretur substantia una uniens partes (sc. forma substantialis totius).

Quare non desunt Phaenomenistae, qui sincere fatentur « nullam spem adesse » explicandi unitatem conscientiae. Ita expresse v. g. Hume (*Treatise on Human Nature*, I), qui initio conatus est unitatem subiecti cogitantis explicare per *illusionem* similem illi, quae habetur, quando res aliqua celerrime rotatur, et quae nobis, ut notum est, exhibet speciem unius rei per se stantis et immobiliter permanentis. (Debilitas huius argumentationis nimis apparet ex argumentis modo allatis).

Dices cum H. Taine (*De l'intelligence*, tom. II, pag. 212, 215-216): phaenomena psychica, licet multum differant, tamen conveniunt omnia in hoc, quod praeseferunt semper formam eventuum *internorum*: haec forma, utpote *communis omnibus* phaenomenis particularibus, semper nobis manet praesens, non obstante fluxu continuo phaenomenorum par-

ticularium. Hanc formam mere, ut patet, abstractam convertimus — decepti loquela, scil. nomine substantivo — in rem ab ipsis eventibus (phaenomenis) distinctam seu in substantiam.

Rs. a) Non intelligitur, cur non omnia phaenomena ad solum τὸ ἐγώ proprium constituendum concurrant; cur quaedam ex ipsis ad constituenda τὰ ἐγώ a me aliena destinentur — cum omnia tamen phaenomena gaudeant illa forma *interna* eventus psychici.

b) Non intelligitur, quomodo in una eademque realitate simplici, quale est omne phaenomenon, possint distingui aspectus « internus » et aspectus « externus », si reapse — ut adversarius affirmat — praeter phaenomenon ipsum *nihil* prorsus existit. — « Interius » enim et « exterius », utpote denominationes *relativae*, essentialiter subaudiunt « aliud », ut patet.

c) Non intelligitur, quomodo actus, qui manifesto conscientiae testimonio sunt inter se distincti (aliud intellectio, aliud volitio huius vel alterius rei!) possint coadunari in seriem reapse *continuam*, si praeter ipsos non existit *substratum*, identice sub hisce actibus permanens ac ipsos omnes (non tantum praesentes, sed etiam praeteritos, immo quodam vero sensu futuros) in unum *motum* continuum colligens. Etenim « motus continuus » nec intelligi quidem potest sine re a motu distincta, scil. sine « mobili » perdurante sub motu.

Dices cum quibusdam: Τὸ ἐγώ non esse nisi cumulum phaenomenorum patet ex analysi logica propositionum. — Sit v. g. propositio: « ego doleo ». Propositio haec aequivalet logice propositioni « ego sum dolens ». Sed in propositione hac ultima phaenomenon « dolens » refertur praecise ad τό « ego » (ope copulae « est ») tamquam pars ad totum.

Rs. — Arg. hoc non probat, sed supponit veritatem phaenomenismi probandi, cum praecise secundum placita sua interpretetur significationem copulae « est » in iudicio (cf. *Logicam*).

Arg. III. Ex sequelis.

Sentententia adversariorum impossibilem reddit:

1. *vitam moralem*. Haec enim sine sanctione sufficienti impossibilis est. Sed sanctio iterum impossibilis est sine re-

Vita Moralis est impossibilis sine sanctione sufficienti - itaque sanctio impossibilis sine responsabilitate

sponsabilitate (imputabilitate) pro actibus. Porro hanc responsabilitatem penitus labefactat Phaenomenismus, dum asserit subiectum activum cessare pro cessatione uniuscuiusque phaenomeni.

Nec iuvat dicere cum *Wundt*: actus subsequentes sunt consanguinei actuum praecedentium. *Rs.* — Nepotes non sunt naturaliter responsabiles pro *actibus* suorum avorum!

2. *vitam psychicam*, qualis nobis est ex experientia nota:

a) *associationem idearum*: haec enim essentialiter subaudit existentiam subiecti, in quo varia phaenomena *connexionem* conservant *permanentem*.

b) *memoriam et reminiscentiam*: hae enim intrinsece involvunt *conservationem* specierum intentionalium in *uno eodemque* subiecto; hoc subiecto sublato non remanet iam quidquam, quod actum praesentem cum praeterito vel actum praeteritum cum alio actu praeterito iungeret.

c) *influxum mutuum actuum sensitivorum et actuum intellectivorum*: hi enim actus influxum *directum* in se invicem exercere non possunt, ut alibi monstravimus.

d) *iudicium et ratiocinium* (praesertim longius): iudicium enim involvit *comparationem* saltem duorum, quae *ambo* in *uno* eodemque *subiecto* (et quidem simplici) simul adesse debent. — Propter eandem rationem impossibile redditur in theoria adversariorum ratiocinium — praesertim longius — ; hoc enim, ut patet, requirit *permanentiam* subiecti cogitantis; si nonnisi series actuum adesset, posterior nesciret, quae prior cogitavit.

SCHOL. I. — DE SOMNO.

1. *Contra unitatem conscientiae,* de qua in argumento locuti sumus, afferri solet nonnunquam testimonium ex somno desumptum: conscientia videl., quam in somno habemus (conscientia onirica), saepe adeo differt a conscientia status vigiliae, ut non possit spectari tamquam vera eius continuatio sed potius tamquam conscientia re distincta ab ipsa proindeque etiam constituens alterum « ego ».

2. Differentiae, de quibus est sermo, hae sunt praecipue:

1) Conscientia onirica praesentat nobis saepe *facta*, quae manent simpliciter *extra conscientiam vigiliae*, facta sive penitus a nobis oblivioni mandata sive reapse numquam

cognita: haud raro conscientia onirica nobis existentiam quorundam morborum in organismo nostro revelat, qui conscientiam status vigiliae prorsus latent.

2) Conscientia onirica refert *nobis inclinationes* multos diversas ab inclinationibus, quae subiacent conscientiae status vigiliae.

3) « Τὸ ἐγώ » conscientiae oniricae est saepe *infans*, puer, etc., « τὸ ἐγώ » vero conscientiae status vigiliae est *adultus* etc. — Hae duae conscientiae quandoque penitus se ignorant.

3. *Somnus.* — Ut difficultates modo motae, prout decet, solvantur, nec vis factis imponatur, sedulo consideranda est *natura* somni.

1) *A Scholasticis veteribus* definiebatur somnus (ad mentem Aristotelis): *fucultatum intentionalium ligatio plus minusve completa, ad animalium quietem et salutem destinata.*

Definitio haec, ut patet, non exhibet *propriam* essentiam (metaphysicam) somni, sed mere describit eum tum ope quorundam effectuum, qui communiter eum comitantur (litigatio...) tum ope eius causae finalis (quies, salus animalis).

2) Definitio haec somni — ita generaliter enuntiata — adhuc hodie admitti potest. — Reapse somnus omnis prodit se ad extra semper per quandam *ligationem* facultatum cognoscitivarum, appetitivarum, motilis.

Cum litigatione autem facultatum intentionalium (defectu excitationum sensorialium, quietis musculorum etc.) individuo nexu cohaeret etiam quaedam species ligationis operationum vegetativarum (tarditas pulsationum cordis, motuum respirationis etc.), quae iterum pro effectu habet generalem remissionem omnium functionum *physiologicarum*, quae apparet vel in ipsa diminutione consummationis oxygenii.

Quae omnia procurant enti viventi in eius operationibus vitalibus veram quandam « quietem » periodicam a labore, (quietem utique relativam, ut patet), quae maxime favet saluti entis, ut experientia constat.

3) At ligatio facultatem intentionalium, de qua est sermo, non est cum Veteribus sensu nimis rigoroso sumenda. Reapse enim non deest dormienti facultas *simpliciter* sentiendi: ita v. g. strepitus ad aurem dormientis productus saepe repraesentationem tonitrus dat dormienti, tintinnium

auris interni, quod frequenter homini ex imprevisto accidit, dat dormienti imaginem v. g. dulcissimae campanae; puncta rubra, quae homo vigil clausis oculis percipit, in dormiente varias scenas phantasmagoricas producunt, quae iterum in momento expergefactionis in illa rubra puncta sensim sine sensu evolant (ut monstrarunt J. Müller, A. Maury, Corning, Weygandt, G. F. Ladd etc.); candela in praesentia dormientis accensa facile imaginem incendii dat dormienti (oculi dormientis non sunt generatim perfecte clausi); lux continua et dulcis v. g. lunae causat somnia dulcia (ut expertus est Krauss), contactus vestimenti nocturni si forte accidit dormienti in momento, dum somniat v. g. deambulationem, facile ipsi inducit ideam, se parum vestitum apparere in *publico*; dum pes perdit contactum cum cooperimento, facile haec sensatio associari potest sensationi pressionis et fatigationis, quam bracchio causat lectum (tangens), et evolvi in somnium *volandi* (Cf. Bergson, *Le Rêve*); defectuositas, quae forte obvenit dormienti in digestione, in circulatione sanguinis etc. et dolor inde proveniens facile dormienti dat imaginem pugionis eum perforantis; dolores minimi, qui (propter absorptionem attentionis vita practica) tempore vigiliae non percipiuntur conscie, percipiuntur saepe optime a dormiente et ita « prophetisant » futuros morbos graves, qui iam incipiunt. — Propter similem rationem facta, quae iam e conscientia vigiliae exciderunt, in somno reapparent (simili modo ac in febri acuta, intoxicatione, subitaneo periculo mortis).

Haec omnia ostendunt nobis in somno, generatim loquendo, ligationem facultatum intentionalium non esse completam.

4. At perceptiones hae, quae fiunt a dormiente, non fiunt, ut patet, in conditionibus ad bene percipiendum *necessariis*; sensus non sunt, prouti decet, dispositi ad recipiendam *adaequate* excitationem (per scissuram interpalpebralem non percipitur candela, sed sola lux, quae reapse praesefert similitudinem cum luce incendii); insuper patitur dormiens notabilem *diminutionem campi conscientiae* (rétrécissement du champs de la conscience), quae non permittit accurate observare complexum conditionum naturalium, in quibus factum evenit; et per consequens desunt necessario dormienti sensationes antagonisticae. — Quo fit, ut sensationes,

quas dormiens habet, sint *fragmentariae* nec ab imaginibus phantasiae — hisce sensationibus per « associationem imaginum evocatis » — non distinguantur, et ita *hallucinationes* generent.

5. Quae cum ita sint, etiam iudicia *intellectus*, qui ex materia adeo defectuosa elementa (« intelligibilia ») sua sumit, sint necessario *exposita gravi periculo errandi.*

Cum autem intellectus careat conditionibus necessario requisitis ad deliberationem et consultationem debito modo instituendam, ideo fit, ut etiam *voluntas* non sit libera, nec per consequens homo sit responsabilis pro actibus in somno factis.

6. Deficiente autem libertate in somno, deest etiam homini possibilitas, qua in vigilia gaudet, gubernandi (usque ad certum gradum) suas imagines, eis directionem atque orientationem imprimendi.

Iugo rationis semel excusso imagines cum *libertate infrenata* se evolvunt ac sibi adiungunt semper novas et novas imagines secundum *suas* proprias leges i. e. leges associationis imaginum *sensitivarum*; quo fit, ut in connexione factorum praevaleant semper nexus merae coincidentiae irrationalis (fundatae in fortuita contiguitate, similitudine) supra nexum logicum (ab intellectu imaginibus impositum). Unde etiam aggregata (syntheses) imaginum apparent summe instabilia, chaotica, summa celeritate se moventia: saepe res sine ullo valore pro vita occupant in somno locum ante res magni valoris (Theoria Delage'i, V. Robert'i, Freud'i, Bergson'i, secundum quam in somno apparent *exclusive* vel praecipue res, quae in vita vigili non poterant se plene evolvere propter censuram et attentionem datam a homine rebus maioris momenti, est nostra quidem opinione fortiter exagerata.

7. *Somnus psychologice spectatus* nec est « isolatio a mundo externo » — quia sensus operantur, ut diximus — nec est « quies data facultatibus superioribus » — intellectus agens enim semper agit, ut docuimus, hinc semper etiam praesto sunt intellectui possibili species intelligibiles — nec est tandem merum « désintéressement », ut vult Bergson (*loc. cit.*, pag. 110), — secus somnus esset identicus cum absentia actus voluntatis; nam ab ipsa praecise pendet « s'intéresser » vel

non rebus ad vitam practicam pertinentibus. (Hoc reapse diserte concedit Bergson: « vigilare et velle sunt una eademque res ». *loc. cit.*, pag. 110). At hoc minime admitti potest: sunt enim status psychologici, in quibus homo nullum « interesse » monstrat... v. g. in dementia praecoce, et tamen non dormit.

Somnus — psychologice spectatus — est potius dicendus operatio vitae psychicae normalis, at defectuosa, quia in adiunctis defectuosis.

8. Data hac explicatione descriptiva somni, prout *psychologiam* spectat (partem physiologicam Physiologis, ut par est, relinquimus, cf. Geley, *L'être subconscient*, Paris, 1919, IV éd., pag. 21 seq.), non difficile solvi potest quaestio initio posita de continuitate conscientiae in statu somni et statu vigiliae: inter conscientiam oniricam et conscientiam vigiliae adest stricta continuitas, cum facta psychica, quae in somno apparent, ligari possint cum factis psychicis in statu vigiliae in *unum* systema psychologicum sub uno « ἐγώ ».

Rationes:

a) Facta psychica, quae in somnio adsunt, quoad maximam partem (secundum de Sanctis 80 %) desumpta sunt ex *perceptionibus* factis in vigilia.

b) Facta psychica, quae videntur esse omnino nova, sunt nova sive hoc sensu, quod sunt perceptiones impressionum, quae accidunt organismo, *dum homo dormit* (ita v. g. quaedam levissimae perturbationes cardiacae, viscerales, quae nonnisi in somno prima vice percipiuntur), sive hoc sensu, quod mechanismo associationis, qui maiore libertate et intensitate in somno gaudet, resuscitantur etiam imagines tales, quae pro conscientia vigiliae memoria exciderunt; sive tandem hoc sensu, quod dormienti propter eius limitatum conscientiae campum « videntur » tantum novae. At reapse numquam adest in somno cognitio, cuius saltem *elementa* non essent contenta in cognitionibus in vigilia *acquisitis*, ut patet ex experientiis factis a Calkins, Freud, H. Bernheim, Bergson [1] etc.

[1] « Le rêve ne crée généralement rien » (*Le rêve, L'énergie spirituelle*, IX éd., 1925, pag. 99), « il n'est guère qu'une résurrection du passé » (*Ibid.*, pag. 100).

c) Eandem continuitatem arguit ipsa etiam possibilitas revocandi in *memoriam* sub uno « ego » somnia habita; insuper transitio perceptionum ante - somnialium (v. g. punctorum rubrorum, quae videntur clausis oculis) in imagines constituentes proprie somnia — et viceversa, ut antea notavimus; tandem attentio *electiva*, qua fit, ut v. g. mater ex somno statim expergefiat gemitu infantis.

d) Differentiae inter conscientiam oniricam et conscientiam in statu vigiliae explicantur sufficienter ex iis, quae de factis a conscientia onirica praesentatis animadvertimus: inclinationes in somno sunt paulo diversae, quia libertas coaduandi et reprimendi inclinationes ligatur. — Caeterum si examini accurato subicies facta somniorum, saepe deteges tuas profundes inclinationes status vigiliae, quae in somno « sine censura » in sua nativa brutalitate apparent.

Hypermnesia explicatur praecipue eo, quod excussa dependentia, qua intellectus tenet in statu vigiliae phantasiam, possunt iam imagines cum plena spontaneitate opus associandi exercere ac quasdam imagines, quae videbantur omnino oblivioni mandatae, expergefacere. — Adde, quod facta hypermnesiae non sunt talia, quae non possint mediis aptis adhibitis (hypnosi, scriptura automatica vel quandoque mera concentratione attentionis) agnosci tamquam *praeterita*.

e) Nec difficultas inde petita, quod non semper in somno adsunt in nobis operationes psychicae seu somnia, quidquam valet contra assertam a nobis « unitatem » conscientiae; nam α) difficultas haec fundatur in asserto, quod nondum est probatum (reapse in somno *levi* facta experientiae videntur attestari *continua somnia*; in somno autem profundo i. e. tali, qui nonnisi stimulo intensiori interrumpi potest et qui adest post primam horam somni, somnia quidem experientia positive detegi non possunt, at ex analogia cum somno levi facilius supponere ea licet).

β) Sed quidquid sit de hac re, minime ex ea argui potest contra « unitatem conscientiae » a nobis assertae; unitas enim conscientiae non postulat, ut conscientia *semper* attestetur existentiam factorum psychicorum, sed ut, quando ea reapse attestatur, attestetur ea ad unum idemque « to ego » pertinere.

Schol. II. — De conscientia hysterica.

1. *Contra unitatem conscientiae*, de qua in thesi locuti sumus, poni solet quandoque argumentum ex hystericis desumptum: in hystericis adsunt multa facta psychica, quae tamen ab eis vel simpliciter non percipiuntur — ideoque per consequens nec referuntur ad proprium « to ego » — vel si percipiuntur, attribuuntur positive « τῶ ego » diverso.

2. Antequam responsum positivum dabimus, necessarium putamus phaenomena principalia hysteriae paucis describere.

Nomen « hysteriae » habet sat communiter significationem *malam*; hoc procedit inde, quod Veteres secuti Hipocratem hysteriam pro morbo uteri proindeque etiam solis feminis proprio habent (unde etiam nomen: ὑστέρα = uterus).

Hysteria saepe a *vulgo* sumitur pro defectu morali, qui praecipue in superbia, in egoismo, in pronitate ad mendacium vel tandem in perversitate sexuali manifestari dicitur.

At notio haec est prorsus falsa; hysteria est morbus aequo iure ac v. g. psychasthenia vel dementia atque aeque viris ac feminis accidit.

3. *Definitio hysteriae.* — Definitio hysteriae dari non potest propterea quod adhuc hodie *sub lite* est, *quaenam* praecise phaenomena considerari debeant tamquam propria hysteriae.

Secundum *Charcot* phaenomena propria hysteriae sunt: *a*) « stigmata », *b*) « accidentia ». Per « stigmata » hic intelliguntur quidam defectus valetudinis *stabiles* et *fundamentales* at *inconscii* ipsi aegroto (v. g. anaesthesia laryng., partialis anaesthesia variorum sensuum externorum, contractio concentrica campi visionis, abulia, amnesia, catalepsia partialis et temporalis, amyosthenia seu perditio vis muscularis). « Accidentia » autem vocantur quaedam facta *accessoria* et *non durabilia* at aegroto valde ingrata ac per consequens *conscia* (v. g. crises hystericae, paralyses, rigiditas membrorum, contracturae, irregularitates: trophicae, epidermicae, vaso-motoriae, reflexuum, tandem febris, gangrenae, ulcera etc).

Babiński reiecit distinctionem, quam Charcot posuit inter « stigmata » et « accidentia »: omnia phaenomena hysterica — ait ipse — sunt eiusdem naturae i. e. *resultatum* sive

suggestionis sive *autosuggestionis*; immo nota essentialis phaenomeni hysterici in hoc est, quod potest suggestione (persuasione) *evocari* et suggestione (persuasione) *tolli*; unde etiam loco nominis « hysteria » proponit nomen « *pithiatismus* » (πείθω = ἰατός). Multa symptomata hysterica typi Charcot v. g. irregularitates trophicas, vaso-motorias, reflexuum, anaesthesias *spontanee* ortas, contractionem campi visualis reducit ad alios morbos sive organicos sive nervosos: ad epilepsiam, ad dementiam praecocem, ad confusionem mentalem etc.

Secundum *P. Janet* phaenomena propria hysteriae non possunt omnia haberi pro mero effectu suggestionis, et a fortiori suggestionis, qualem Barbiński concipit. Phaenomena proprie hysterica possunt habere originem in *emotione* qua tali; insuper *suggestio* intelligi debet: influxus moralis, quem exercemus in aliquod individuum, convertendo nos *non* ad eius conscientiam personalem et voluntatem, sed ad eius automatismos subconscios.

Secundum *G. Dumas* phaenomena stricte hysterica oriuntur semper via « *autopersuasionis* »: subiectum, cui quaedam operationes cum difficultate veniunt, *persuadet sibi* se esse ad eas exercendas ineptum; emotio per se non provocat phaenomena hysterica, sed iis tantum *parat viam*, introducendo in organismum intoxicationes, et per consequens diminutionem iudicii sani de rebus, quae diminutio subiectum reddit aptum recipiendi suggestionem.

Secundum *nos* emotio ipsa potest producere phaenomena proprie hysterica; at debet intelligi modo alio, ac intelligunt eam hi auctores. Emotio est elementum partis affectivae, quod inseparabiliter adnexum est cognitioni tamquam eius internus et immanens dynamismus in ente psycho-physico (Cf. *La Psychophysique humaine*, pag. 128-150). Quare cognitio etiam fere omnino *imperceptibilis* sufficit, ut determinet emotionem, cuius intensitas augebitur ulterius tota synthesi recordationum, habituum et associationum, quae parva initia eius evolvunt in magna.

4. *Signa.* — Antequam « signa » hysteriae recenseamus, apprime notamus nos recensendo ea minime velle affirmare ea *constituere* hysteriam vel ea nonnisi hysterico (omni et

soli) convenire posse, vel ea omnia *eodem ordine* ac intensitate semper accidere debere; reapse in hysteria adsunt non tantum plurimi *gradus* sed etiam plurimae *species*.

1. *Crisis* (attaque) *convulsionum*: *a*) magna, *b*) parva.

a) *Crisis magna* saepe praeceditur mutatione characteris seu temperamenti: inquietudine, agitatione, oppressione, motu musculorum; deinde dolore surdo epigastri vel unius lateris, sensatione globi ascendentis ad laryngem et reddentis difficilem respirationem (— anaesthesia — iuncta cum spasmo aesophagi et pharyng.!) Tandem visus obscuratur et perditur conscientia. Tunc sequitur quandoque:

I. — *Phasis epileptica*, possidens (sicut epilepsis vera) periodum tonicam i. e. contractiones diversas membrorum et periodum « clonicam » seu convulsiones.

II. — *Phasis contorsionum,* in qua aegrotus exequitur varios gestus, contorquet corpus, clamat.

III. — *Phasis figurarum passionalium:* subiectum magis quietum, sub praepotenti influxu hallucinationum assumit figuras correspondentes hallucinationi.

Haec crisis durat a 15 minutis ad plures horas. Tandem subiectum recuperat conscientiam sui, ridet vel flet...

b) *Crisis parva* fit modo simili, sed minus vehementi; generatim subiectum habet tempus eligendi locum commodum pro crisi appropinquante et raro vulneratur.

2. *Anaesthesia.* — Consistit in hoc, quod « ego » psychologicum non percipit quaedam facta psychologica, quae homines normales percipiunt. Distinguitur duplex:

a) *generalis*: quae videl. privat hominem *omnibus* sensationibus; *raro* accidit.

b) *particularis* (systematica): quae videl. privat hominem *quibusdam* sensationibus vel — praecipue — quodam *systemate* sensationum vel *imaginum* (v. g. non videt certam aliquam personam vel rem).

Notae characteristicae anaesthesiae hystericae:

a) *mutabilitas*: anaesthesia modo *adest*, modo (in statu hypnotico, emotionis subitaneae, ebrietatis, attentionis concentratae in membro anaesthetico) *disparet;* modo adest in *hac* parte, modo in *alia* (v. g. in tota media parte vel in uno corporis membro).

b) *localisatio* non est organica (anatomica) sed *logica* (i. e. non respondet reali dispositioni nervorum in corpore sed ideae): « zonae anaesthetícae ».

c) *indifferentia*, cum qua detrimentum sensibilitatis subiectum subit (saepissime nescit quidquam de eo).

3. *Diminutio* (contractio) *campi visionis.* — Comitatur eam saepe etiam amauroris (debilitatio vel totalis perditio vis visivae), dyschromatopsia (daltonismus), immo nonnunquam etiam achromatopsia (impossibilitas percipiendi colores).

4. *Hyperaesthesia.* — Generatim loquendo, non est ipsa adeo extensa ac anaesthesia; limitatur ad aliquot « zonas », quarum contactus producit dolorem, immo etiam crisim convulsionum (zonae spasmogenae seu hysterogenae); ratione suae vehementiae et localisationis possunt prae se ferre similitudinem morborum organicorum coxalgiae, morbi Pott. etc.

5. *Amnesiae.* — Cum defectibus sensibilitatis individuo nexu coniucti sunt defectus memoriae, quae communi termino « amnesiae » comprehenduntur. Amnesia distingui potest:

a) Dysmnesia: difficultas vel impossibilitas conservandi facta observata (qualis adest etiam in idiotis, in senibus — dementia senili — in confusione mentali).

b) Amnesia proprie dicta: imago erat bene conservata, sed deinde est perdita. Amnesia haec potest esse:

α) *simplex*: factum aliquod cum *omnibus* suis circumstantis simpliciter oblivioni est mandatum.

β) *localisata*: i. e. tota determinata aliqua *epocha* vitae memoria excidit.

γ) *systematica*: quaedam specialis *categoria* recordationum, quae *systema* formant, memoria perditur.

δ) *retrograda*: comprehendit facta *anteriora* (per respectum ad accidens, quod amnesiam provocavit).

ε) *anterograda* (continua): *nova* facta oblivioni continuo mandantur.

ζ) *retro-anterograda* notas amnesiae tum retrogradae tum anteretrogradae accumulat.

η) *generalis*: *omnia* facta oblivioni mandantur.

6. *Contractiones corporis.* Contractiones determinati alicuius membri apparent saepe post vulnerationem vel *fatigationem*

eiusdem membri. Sed saepe localisatae sunt in pedibus (paraplegia hysterica). Quandoque disparent in somno.

7. *Paralysis.* — Distinguitur:

a) *hemiplegia:* i. e. paralysis *totius* partis sinistrae vel dexterae corporis. — Notae eius characteristicae: *facies* generatim non comprehenditur paralysi; contractio membrorium inferiorum vel praecox vel e contra nulla; tonicitas (tensio permanens muscolorum) intacta; reflexus musculorum (rotul., Achill., olecran.) non modificati; reflexus cutanei (abdomin., cremaster., digitorum pedis, signum Babiński) — immutati.

Hemiplegiam hystericam comitatur saepe hemianaesthesia i. e. anaesthesia inferioris partis corporis. Apparet saepissime post crisim («apoplexiam») hystericam.

b) *paralysis systematica* i. e. comprehendens v. g. solam manum vel musculos moventes pedes in eundo (astasia, asbasia) vel motus gutturis et labiorum (mutismus hystericus).

8. *Abulia* seu debilitas voluntatis notabilis.

9. *Hallucinationes* i. e. perceptiones rerum tamquam praesentium, quae reapse praesentes non sunt.

10. *Scriptura automatica.* Immitte pennam ad scribendum hysterico, dum attentio eius distracta est in aliam partem. Si tunc hysterico ita distracto ponis quaestionis — at caute, ne attentio eius ad has quaestiones attrahatur — hystericus responsa saepe dabit, quin ullam eorum conscientiam habeat.

Cum responsa haec prodant saepe intensum laborem intellectualem proindeque conscientiae operationem involvant, videntur prima fronte adesse in ipso *duae* conscientiae.

Hae duae conscientiae saepe nihil de se sciunt atque ita *duas* personas videntur constituere. Dum enim una affirmat se nihil sentire in parte aliqua (anaesthetica) corporis, altera clare percipit hanc sensationem eamque ope scripturae automaticae denuntiat.

5. *Solvitur problema de unitate conscientiae.*

Positis eis, quae de natura hysteriae diximus, patet facta psychica conscientiae in variis statibus, in quibus invenitur forte hystericus, formare veram continuitatem, nam: *a*) dum «persona I» dicit: «nescio hoc», quod tamen percipitur bene a persona II, locutio personae I. aequivalet locutioni: «*non habeo* conscentiam sciendi hoc». Nulla igitur datur realis

contradictio inter affirmationem utriusque « personae », proindeque nulla impossibilitas *a priori* reducendi phaenomena personae II ad personam I. — Possibilitas autem affirmationis: « non habeo conscientiam sciendi hoc » explicatur sufficienter per distractionem inductam sive per suggestionem sive per absorptionem attentionis alia re. Quod ideo fieri potest, quia « alius est actus, quo intellectus intelligit lapidem, et alius est actus, quo intelligit se intelligere lapidem et sic deinde ». S. Th. I, g. 87, a. 3, ad 2.

b) si examini subiicis materiale, quo utitur « persona II » (anormalis), nihil invenies vere *novi*, quod videl. non esset acquisitum a « persona I » (normali).

c) Si dantur in hysterico *plures* conscientiae, *una* ex eis cognoscit generatim optime facta psychica « aliarum » conscientiarum.

d) Aliquando quaedam facta psychica attribuntur indiscriminatim pluribus « ego ».

e) Fieri potest, ut plures conscientiae ad unum « ego » reducantur (Cf. de la Vaissière S. J., *Eléments de psychol. expér.*, 1921, V éd., pag. 267).

Schol. III. — De hypnosi.

1. Hypnosis vocatur status quidam psychologicus *somno analogus*, qui producitur sive spontanee (fatigatione — praesertim psychica — emotione forti, intoxicatione) sive — ut plurimum — quibusdam mediis artificialibus, quae distractionem et fatigationem in subiecto producunt et per consequens aptum illud reddunt recipiendi varias suggestiones.

Talia media *artificialia* sunt: attenta consideratio puncti (globuli) lucentis, pressio (mulsio) punctorum « hypnogenorum » (variorum apud varios: frons, radices digiti magni, regio vicina oculorum, facies, manus, bracchia), gestus exerciti ab « hypnotisante » supra corpus subiecti (incipiendo a facie, deorsum) at sine contactu (« passes ») vel tandem simplex imperium hypnotisantis.

Cum conditio generatim requisita ad producendam hypnosim sit *attentio* prolongata supra eadem re et *fiducialis* expectatio status « somni » (trance), ideoque tum *infantes* infra 4 annos et *idiotae* (defectu « attentionis » necessariae) tum *scrupulosi* et *psychasthenici* (defectu fiducialis expecta-

tionis propter criticismum, dubia, agitationem, quibus continuo moventur) incapaces sunt omnino hypnosis subeundae.

Facillime (et forte unice) hypnosis sunt capaces personae plus minusve *hystericae*.

2. Status hypnosis *psychologice* consideratus, magnam praesentat *analogiam* cum statu *transitionis* ex vigilia ad somnum naturalem, cui cotidie succumbimus. Unde etiam nomen « graecum » hypnosis « (ὕπνος) et latinum « somnambulismus ». At exagerare videntur, qui hos duos status *identificare* intendunt. In hypnosi enim non necessario adest « somnolentia » mentis, e contra adest saepe « claritas » mentalis omnino non ordinaria; ipsa autem somnolentia, quae reapse in hypnosi saepe habet locum, est potius tantum *psychologica expressio* seu *imitatio* hominis dormientis (« l'attitude du dormant ») inducta « fiduciali expectatione status somni ». — Quod autem homo hypnotisatus sibimetipsi relictus aliquando reapse cadit in somnum naturalem, nihil in hoc miri: ipsa expressio (imitatio) psychologica dormientis optime disponit ad somnum naturalem, ut communiter constat.

3. *Phaenomena hypnotica:*

a) *Suggestibilitas*: subiectum hypnotisatum *credit* facillime verbis sui hypnotisatoris seu sui « operatoris » eiusque iussa fideliter executioni mandat, exceptis iis, quae nimis characteri suo repugnant. In hoc enim casu opponit subiectum resistentiam obstinacem, quae ire potest usque ad crisim hystericam; si autem quandoque (sine ulla fere emotione) exequitur etiam gravissima tentamina criminosa sibi iniuncta (quae certo non correspondent suo characteri v. g. tentamen homicidii), hoc ideo facit, quia bene videt agi de homicidio ficto (unde in momento executionis criminis subridet ironice); alia imperia exequitur subiectum curiositate quadam et desiderio ludendi vel placendi ductum.

b) *Hallucinationes et illusiones* variorum sensuum (visivae, auditivae, gustativae, olfactivae ect.). Ita si dices subiecto hypnotisato se esse puerum vel militem, imitabitur perfecte in toto modo agendi puerum resp. militem; si dices ei elephantem intrare in cubiculum, horrorem terribilem monstrabit etc... (Hallucinationes — ut ex hoc patet — possunt esse valde nocivae et periculosae pro valetudine et vita hypnotisati !).

Imagines hallucinatoriae hypnoticae — ut tradunt quidam auctores — possunt habere similem omnino «contrastum subsequentem» (Cf. th. X, pag. 96, sub 4) ac sensationes reales (James), possunt quoad figuram augeri vel multiplicari, prout augetur vel multiplicatur res (point de repère), quam (propter suggestionem ab operatore iniectam) hallucinatorie percipit (v. g. prout punctum, quod hallucinatorie sumit pro homine, augetur vel multiplicatur per prisma, ita etiam imago hominis (Ita Binet, Férée etc.). — At phaenomena modo mentionata non semper adsunt! (immo potius raro; forte unice sub influxu « tressurae »).

c) *Anaesthesiae*: sola suggestione possunt sensationes (visivae, auditivae, etc.) aboliri sive totaliter (i. e. nihil videt, nihil audit etc.) sive partialiter: v. g. tantum determinatam aliquam rem (personam) ab operatore indicatam non sentit. Anaesthesia hoc modo systematisata vocatur « anaesthesia systematica » vel etiam « hallucinatio negativa ».

Anaesthesia supprimere potest etiam *memoriam* pro aliqua periodo vitae hypnotisati.

At anaesthesia minime *supprimit* reales sensationes periphericas — ut patet tum ex « contrastu consequenti » tum ex « scriptura automatica » (subiectum hoc, licet dicat se non sentire, scribit automatice se sentire) tum ex eo, quod ex pluribus schedulis ornatis simillimo prorsus signo v. g. asterisco subiectum hypnotisatum semper indicabit infallibiliter tamquam privatam illo asterisco hanc praecise (solam) *in individuo* schedulam, pro qua factum est anaestheticum. Porro talis modus discriminandi supponit aliquam tandem (inconsciam) discretionem, hinc sensationem; ignorantia igitur in casu anaesthesiae non est realis, sed ficta, *volita* (Janet, Binet, James).

d) *Hyperaesthesia*: sola suggestione potest acuitas alicuius sensus multo augeri, quod verificari potest vel ipso aesthesiometro; aliquando potest legere textum inspiciendo non in ipsum librum sed in corneam oculi operatoris legentis librum.

Hyperaesthesia potest esse *systematica* circa determinatam personam: tunc potest contactum huiusce personae etiam oculis clausis saepe dignoscere a contactu proveniente ab aliis personis, motus eius etiam celatos accuratissime percipere etc.

Hyperaesthesia potest subsistere simul cum anaesthesia: subiectum hypnoticum e longiquo audit debilem vocem et a vicino omnino non audit vocem fortem (pro qua anaestheticum est factum).

e) *Effectus physiologici*: vel sola affirmatione operatoris: « nunc non potes aperire manum, oculum vel levare bracchium etc. » subiectum fit incapax harum actionum; simili modo possunt produci *paralyses* variorum membrorum corporis, rigiditas *cataleptica*, in qua subiectum capax est conservandi positiones valde difficiles (v. g. sustinere corpus in positione horizontali nixum duabus extramitatibus corporis — capitis et pedum — in 2 distantibus sediis, tenere per longius tempus bracchia extensa sine modificationibus respirationis, pulsationis et sine undulationibus membrorum extensorum).

Insuper sola suggestione possunt produci variae modificationes vitae *vegetativae:* congestio, cutis irritatio similis irritationi ex ustione provenienti, elevatio temperaturae corporis immo fluxus sanguinis praesertim in locis antea expresse tactu signatis etc.; quandoque vice versa potuerunt hi effectus — etiam quando causis mechanicis erant producti — supprimi sola suggestione (Liégeois, Delboeuf).

f) *Suggestiones post-hypnoticae:* in subiecto, cui in statu hypnotico iniunctum erat imperio aliquid post hypnosim faciendi, tempore assignato *venit idea et impulsus* hoc faciendi, licet minime meminerit imperii, qua talis. At videndo quandoque actionis absurditatem, vel ei simpliciter resistit vel motiva propria invenit, cur eam velit ponere (ergo agit *libere*). — Simili modo produci possunt *hallucinationes post-hypnoticae.*

Tandem suggestione operatoris potest subiectum effici resistens ad omnia tentamina aliorum operatorum hypnotisandi illud.

g) *Amnesia*: hypnosim profundam sequitur, generatim loquendo, pro statu vigiliae amnesia completa eorum, quae in hypnosi acciderant; nisi forte per accidens invenerit res similes eis, quas in hypnosi sentiebat, vel nisi ei in hypnosi operator suggesserit memoriam post-hypnoticam, vel tandem nisi subiectum e hypnosi expergefactum sit, dum aliquam actionem caeptam in hypnosi peragere continuabat (haec actio

communis hypnosi et vigiliae servit pro «medio mnemonico» (point de rèpare) memoriae post-hypnoticae.

Hypnoses *minus profundas* generatim non sequitur amnesia.

In hypnosibus posterioribus facile revocari possunt in memoriam hypnoses praecedentes, dummodo non sint hae hypnoses in conflictu mutuo.

4. Conscientia hypnotica:

1. — Conscientia status hypnotici varia esse potest pro vario statu hypnotico, in quo subiectum invenitur; aliquando — at raro tantum — apparet conscientia « personae II ».

2. — Relatio inter conscientiam hypnoticam et conscientiam vigiliae similis est relationi inter conscientiam hypnicam (somni) et conscientiam vigiliae. Et similiter ac haec explicari debet.

OBIECTIONES.

1) *Non est admittenda hypothesis, quae est* a) *inutilis pro scientia,* b) *nociva ei.*

A. Talis est hypothesis substantialitatis animae. E.

Probo min. — *Ad* a) *Admissa substantialitate animae non eo ipso explicasti melius processus seu facta psychica in se.*

Ad b) *Historia teste, scientia psychologica tunc demum caepit florere, quando substantialitate animae negata observationes accuratae factorum psychologicorum coli caeperunt.*

Rs. Dst. Mai. — . . . . ad *a*) . . . . inutilis pro scientia omni ex parte C; inutilis pro aliqua determinata scientia (non autem pro omni scientia) N.

Ad *b*) . . . . nociva per se C, per accidens (propter malum eius usum seu applicationem ad scientiam) N.

Ctds. min. — Substantialitas animae est inutilis pro scientia (psychologia) mere *descriptiva* Tr.; pro scientia (psychologia) *metaphysica* N.

Dst. Probationem. — Ad *a*) Admissa substantialitate animae non eo ipso explicasti melius processus psychologicos *per causas eorum proximas* C.; per causam *ultimam* N.

Ad *b*) Historia teste, scientia psychologica *tamquam scientia metaphysica* tunc demum caepit florere, quando . . . . N (tunc praecise decadentia caepit florere in psychologia!); scientia psy-

chologica tamquam scientia *mere descriptiva* tunc demum . . . . Sbds. et hoc factum est *per se* (seu salutari influxu negationis substantialitatis animae . . . .) N, per accid. C. — Adversarius committit hic sophisma: « cum hoc, ergo propter hoc ».

2) *Substantialitas animae cognoscitur aut conscientia aut ratiocinio.*

A. Non conscientia — nam haec apprehendit sola facta, non vero fundum, quod sub ipsis latet.

Non ratiocinio — nam hoc exit ex praesupposita notione substantiae, quae praecise primo desumitur ex substantia animae. Ergo.

Rs. C. Mai. - Dst. primam partem minoris. Conscientia non apprehendit nisi sola facta *extracta* ab omni subiecto N. nisi facta, prout *concrete* existunt a parte rei, i. e. tamquam *subiecto inhaerentia*, Sbds. non apprehendit *directe* nisi facta C, non apprehendit ne *indirecte* quidem (mediantibus hisce factis) ipsum subiectum eorum N.

Dst. secundam partem minoris. — Ratiocinium exit necessario ex praesupposita notione substantiae: « *reali* » N, ex praesupposita notione substantiae « *nominali* » (i. e. ex cognita notione entis *in se* et notione entis *in alio*) C.

Expl. — Anima intellectiva non potest se cognoscere nisi per suos actus: «Unumquodque cognoscibile est secundum quod est actu, et non secundum quod est in potentia . . . . *Non ergo* per essentiam suam, sed per actum suum se cognoscit intellectus noster » (S. Th. I. q. 87, a. 1 c.). At quia actus suos cognoscit in eorum *concreta* realitate, prouti sunt a parte rei, sunt autem essentialiter *actus subiecti* (entia entis), ergo ita mediantibus hisce actibus *indirecte* et modo *concreto* attingit ipsum eorum subiectum tamquam realitatem aliquam, quae in *mutationibus* continuis (quibus actus sunt subiecti, et quae praeseferunt speciem *motus cuiusdam*) tamquam « aliquid » permanens (« mobile ») stat.

Ampliorem ac distinctam sui notionem anima ratiocinio debet.

3) *Argumenta pro thesi allata hoc solum evincunt: admittenda est* aliqua *tandem substantia, in qua actus psychici inhaereant.*

Sed non ostendunt hanc substantiam non posse esse unicam pro omnibus omnino phaenomenis, qualem Pantheistae adstruunt.

Rs. Dst. Antc. — Arg. I. nostrum hoc solum evincit . . . . C (reapse hoc argumentum ponitur contra Phaenomenismum *totalem* et *absolutum*). Argumenta reliqua hoc solum evincunt . . . . N. — Evincunt enim tot substantias distinctas, quot sunt conscientiae distinctae.

4) *In anima, utpote substantia permanenti, non potest dari mutatio et multiplicitas.*

A. In « ego » datur mutatio et multiplicitas (ego hodie non sum idem atque ante 20 annos). E.

Rs. Dst. Mai. — . . . . mutatio et multiplicitas substantialis C, accidentalis seu quoad actus N.

Ctds. min. — N. cons.

5) *Unio mutua actuum sufficienter explicatur nexu causalitatis, qui unum actum alteri iungit. E.*

Rs. Dst. Antc. — Unio mutua, *qualem* mihi conscientia refert (quae omnes actus tamquam « meos » apprehendit) . . . N. alia Tr.

THESIS XXXV.

Anima intellectiva est spiritualis.

1. Notiones. — 1. *Spirituale* sumi potest sensu *lato* vel *stricto.*

Spirituale sensu *lato* significat: *a*) omne *corpus subtile* v. g. aërem, ventum, halitum. Inde etiam nomen « spiritus » desumptum est (S. Th., *Sent.*, d. X, q. 1. a. 4.); *b*) omnem realitatem elevatam sive supra mundum *anorganicum* in genere sive (et praecipue) supra mundum *vegetativum*: hoc praecise sensu dicebatur saepe a Veteribus species sensibilis impressa « species spiritualis ».

Spirituale sensu *stricto* significat: *a*) *actionem, quae nec producitur ab organo* (materiali) nec ab organo recipitur; *b) substantiam, quae nec in essendo nec in operando intrinsece pendet ab organismo* vel — generalius loquendo — *a materia.*

In ordine *ontologico* spiritualitas substantiae praecedit (natura) spiritualitatem actionum sicut generatim omne principium praecedit suum actum, omne subiectum praecedit sua accidentia. At in ordine *logico* seu cognitionis spiritualitas actionum praecedit spiritualitatem subiecti. Subiectum enim non cognoscitur nisi praecise ex actionibus secundum illud adagium: quidquid cognoscitur, cognoscitur ex actu.

Substantia est sensu stricto spiritualis, si excludit materiam non tantum ab interna *constitutione* sua — hoc enim in omni forma substantiali, qua tali, obtinetur — sed insuper a ratione organi (conprincipii) vel subiecti (informationis, inhaesionis) necessarii. Minime autem requiritur, ut re-

moveatur a spiritu etiam *extrinsecus* concursus materiae seu concursus ille, quem materia praebere potest in ratione *conditionis* requisitae ad hoc, ut spiritus habere possit *obiectum proportionatum* statui, in quo forte invenitur. Nec insuper debet necessario spiritus in *omnibus* suis operationibus esse a materia intrinsece independens; sufficit, ut saltem *aliquam* operationem possit per se solum exercere; aliis verbis, nihil obstat, quominus ens spirituale praeter actiones spirituales, quas per se solum exercet, *alias* insuper operationes exerceat, quae a materia intrinsece pendent. Nam « habere esse a materia *independens* » non est idem atque: « habere esse a materia *separatum* ». Intelligi enim potest ens, cuius esse est a materia independens, et tamen ei communicatum.

2. Spirituale in sua *notione formali* positivam *perfectionem* dicit; non enim *egere* alio (materia) sive ad operandum sive ad existendum ac proinde sibi ipsi plene sufficere verae perfectionis est.

3. Cum spiritualitas involvat in suo conceptu formali remotionem a materia et independentiam (intrinsecam) ab ea ideo communiter vocari solet *immaterialitas*; proindeque ens spirituale idem sonat ac *ens immateriale*.

4. Cum tandem ens spirituale (immateriale), ut ex modo dictis elucet, existat non beneficio *alterius* (compositi materialis), sed ratione *suae* internae perfectionis (sui proprii « esse »), inde fit, ut vocetur communiter: « *subsistens* ».

Subsistens *duplex* distinguitur: a) completum, b) incompletum.

Subsistens *completum* illud dicitur, quod ita per se est, ut *constituat ens completae alicuius speciei*. E contra subsistens *incompletum* illud vocatur, quod ita subsistit, ut tamen *non habeat esse in completa aliqua specie;* seu illud, cuius esse recipitur in essentia, quae non est completa in ratione speciei (naturae, substantiae).

Animam intellectivam non esse subsistens completum sed *incompletum* probabitur ex professo, ubi de *relatione* inter animam intellectivam et corpus sermo nobis erit.

2. ADVERSARII:

1. *Materialistae*: anima est simpliciter corpus vel proprietas (accidens, effectus, phaenomenon) materiae (Cf. th. VI).

2. *Sadducaei*, de quibus Act. Apost. XXIII, 8.

3. *Tertullianus* (sub influxu Stoicorum materialismo deditorum): « spiritus est corpus sui generis » (*Adv. Prax.* c. 7). Insuper plures alii obscuri nominis, quos expugnat S. Augustinus (Cf. *De Anima et eius origine,* l. IV, c. 12).

4. Moderni *Positivistae*; insuper *Spiritistae*, qui etsi proclament existentiam spirituum nempe animarum (angelos enim non agnoscunt), attribuunt omni spiritui quoddam involucrum tenuissimum (perispiritum), quod dicitur esse essentialis eius proprietas.

Probatur thesis.

Arg. I. — Ex obiecto cognitionis intellectualis.

Actus intelligendi exhibent obiecta abstracta ab omni conditione materiali.

A (1) Actus, qui exibent obiecta abstracta ab omni conditione materiali, sunt et ipsi abstracti ab omni conditione materiali.

A. rursus. (2) Actus abstracti ab omni conditione materiali supponunt facultatem (principium proximum) abstractam ab omni conditione materiali.

A. rursus. (3) Facultas abstracta ab omni conditione materiali supponit animam abstractam ab omni conditione materiali seu spiritualem.

E. Actus intelligendi supponunt animam abstractam ab omni conditione materiali seu spiritualem.

Mai. — Patet ex charactere abstracto, et per consequens necessario, universali, extratemporali, extraspatiali, qui proprius est cognitionis intellectualis. (Cf. th. XIX. pag. 174 seq).

Min. (1) — Per actum cognoscitivum cognoscens communicat obiecto cognito suum « esse » — per cognitionem enim res trahitur ad cognoscentem, ubi acquirit « esse intentionale ». — Quare si cognoscens habet esse intrinsece affectum conditionibus materialibus, scil. conditionibus individualitatis et singularitatis, non potest suo actu cognoscitivo exibere nisi obiecta intrinsece affecta conditionibus materialibus atque adeo obiecta singularia et individua. Quidquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur (aqua recipit formam, qualem vas recipiens possidet; alimentum convertitur in ossa vel nervos dependenter a parte recipiente illud.).

Min. (2) et (3) — Patent ex principio causal.

ARG. II. — EX TENDENTIIS ANIMA INTELLECTIVAE.

Quales sunt tendentiae (inclinationes) naturales alicuius rei, talis etiam est eius natura propria.

Atqui tendentiae (inclinationes) animae intellectivae sunt ad res spirituales.

Ergo etiam natura animae intellectivae — quae est radix harum tendentiarum (inclinationum) — est spiritualis.

Mai. — Patet ex ipsa notione *inclinationum* et *naturae*. Inter haec duo debet adesse proportio perfecta: unusquisque appetitus non tendit nisi in id, quod est *eius* bonum proprium, et quidem tendit necessario, sic hoc bono ens complete perficitur. « Unumquodque vivens cibis sibi similibus et proportionatis maxime gaudet » (Suarez, *De An.*, l. I, c. 9, § 14, n. 18).

Ad. Min. — Anima intellectiva appetit bona spiritualia, suprasensibilia, quae per se nihil ad commoditatem *corporalem* conferunt: Deum, aeternitatem, sapientiam, honestatem, veritatem, rerum Divinarum contemplationem et ita porro.

Haec bona omnibus bonis sensibilibus anteponit, et quidem cum detrimento bonorum sensibilium. Quo firmius ac plenius anima humana in bona suprasensibilia tendit, eo perfectior homo communiter judicatur.

Haec facta neque adversarii negare possunt. Sed ne consequens admittant, dicunt: tendentia in res spirituales fundatur in fictione, quam mens humana sibi construit circa existentiam honorum immaterialium.

Respondeo: Unde haec proclivitas ad bona immaterialia in natura mere materiali? Potest quidem natura humana multa fingere, sed fictio in re praesenti contradictionem in anima humana ponit. Ens enim mere materiale neque capax est concipiendi rem spiritualem, nec ullam habere potest ad rem spiritualem ordinationem. — Bonum entis omni ex parte materialis est bonum materiale seu bonum, quod intra ordinem corporalem continetur. Cfr. S. Th., *Contr. Gent.*, II 47.

ARG. III. — EX EXPERIENTIA.

Ut patet ex experientia (Cfr. Aristot., *De An.* III, 4, 429 *a*, 31, 429 *b*, 5), sensus, postquam obiecta nimis intensa perceperant, fiunt incapaces percipiendi obiecta minus intensa. Ita oculus, qui directe inspexerat solem, fit incapax per aliquod tempus videndi obiecta lumine ordinario illuminata; auris,

detonatione canonis percepta, fit incapax per aliquod momentum percipiendi vocem minus intensam; idem valet de perceptione odorifera, gustativa, dolorifera. — Praeter haec facta unicuique optime nota ex experientia vulgari citari potest factum bene a Weber notatum: excitatio, quae per se sufficit ad sensationem gignendam, fit huic effectui impar, si (immediate ante hanc excitationem) praecessit excitatio intensior.

E contra intellectus, postquam consideravit obiecta intensissima claritate praedita (evidentissima), minime fit eo ipso incapax attingendi statim alia, quae minore gaudent claritate.

Haec differentia essentialis, quae in activitate sensus et intellectus deprehenditur et quae arguit, ut patet, essentialem etiam differentiam facultatum, non potest explicari nisi hoc modo: sensatio, quae fit — ut probatum est — in organo, involvit semper processum decompositionis (corruptionis) materiae nerveae (quae decompositio est eo maior, quo intensior fuit sensatio); antequam haec decompositio processibus vitalibus assimilationis tollatur, organum (in hoc statu corruptionis) est minus expeditum ad agendum.

Si igitur in intellectione diminutio acuitatis minime habetur, inde concludere oportet intellectum non esse facultatem organicam materialem, sed *immaterialem*. — Sed si intellectus est immaterialis, etiam anima, quae est eius radix, est immaterialis.

ARG. IV. — EX REFLEXIONE PERFECTA.

Reflexionis perfectae est, ut principium intelligens suam propriam essentiam (operatione actuatam!) intellectione apprehendat.

A. Principium, quod suam propriam essentiam intellectione apprehendit, est necessario immateriale. E.

Mai: — Patet ex th. XXVIII.

Min. — Principium, quod suam propriam essentiam apprehendit, habet *se ipsum pro obiecto* suae cognitionis.

A. Principium, quod habet *se ipsum pro obiecto* suae cognitionis, est necessario immateriale. E.

Prob. min. ult. — Ut facultas cognoscitiva — quemadmodum alibi docuimus — aliquid actu cognoscat, debet prius obiectum in eam influxum causalem exercere; proindeque ut facultas cognoscitiva *se ipsam actu cognoscat*, debet prius *ipsa haec facultas in se ipsam* influxum causalem exercere.

A. Ut facultas in se ipsam influxum causalem exerceat, debet esse spiritualis. E.

Prob. min. ult. — Res materialis non agit nisi mediante contactu quantitativo.

A. Mediante contactu quantitativo potest quidem res *una* agere in *aliam* rem (aut una pars rei in partem aliam eiusdem rei), sed nunquam potest *res in se ipsam* agere. E.

Confirm. — 1. Conscientia nobis testatur, nos continuo *identicos* permanere. Iamvero experientia nos docet substantiam materialem (in nobis) continuo mutari. Admitti igitur in nobis debet aliquod principium *substantiale immateriale.*

2. Actus *liber* voluntatis involvit actum reflexionis perfectae. Porro reflexio perfecta arguit immaterialitatem, ut ostendimus.

3. Anima humana a corpore separata ulterius existit et operationes suas intellectuales exercet — est enim immortalis.

A. Ens, quod a corpore separatum ulterius existit et operationes suas intellectuales exercet, est spirituale.

Ergo anima humana est spiritualis.

N. B. Immortalitas animae humanae probabitur ex professo infra; hic licet eam supponere eatenus tantum, quatenus quis thesim de immortalitate independenter a thesi de spiritualitate statuit, ut patet; secus adesset petitio principii.

Schol. I. — De possibilitate materiae cogitantis.

1. *Locke (An Essay concerning human understanding*, l. IV., c. 3. par. 6), qui spiritualitatem animae humanae minime negat nec eam in dubium vocat, putat tamen eam non certo probari ex intellectione, cum — absolute loquendo — Deus efficere possit, ut materia intelligat.

Non–repugnantiam « materiae cogitantis » repetit ex duplici fonte:

1. Non cognoscimus omnes vires materiae; proindeque non licet nobis apodictice statuere, quid materia — absolute loquendo — perficere possit, quid non possit.

2. Non comprehendimus omnipotentiam Divinam; quare nefas est definire terminis exiguis intellectus nostri, quid Deus efficere possit, quid non possit.

Sententiae Locke'i adhaesit Voltaire (*Eléments de la philos. de Newton*) et — suo modo — etiam Bergson (*Matière et Mémoire*. Cf. *Résumé et conclusion*).

2. *Crisis.* — 1. Non cognoscimus quidem *positive* omnes vires materiae, at cognoscimus eas sufficienter *negative*: vires materiae videl. non possunt non esse *affectae intrinsece conditionibus materialibus* individuationis, singularitatis. Sed si ita est, earum actiones — intellectiones — non possunt nobis exhibere obiecta abstracta et universalia.

Ad ostendendam repugnantiam (contradictionem) inter materiam et cogitationem sufficit perspectam habere *unam* solam proprietatem materiae, quae pugnat cum cogitatione; potest quis nescire omnes proprietates circuli et tamen scire circulum quadratum repugnare.

2. Nefas est quidem imponere limites omnipotentiae Divinae; at *nego suppositum* ad omnipotentiam Divinam pertinere *impossibilia* (intrinseca) *efficere.*

Qui omnipotentiam Divinam etiam ad intrinsece impossibilia extendit, eam non defendit, verum potius destruit. (Cf. *doctrinam de possibil.* in *Ontol. et doctrinam de Omnip. Dei in Theod.*).

3. Sententia Locke'i *falso fundamento* — ex philosophia Cartesii desumpto — nititur: *a*) actionem corporum esse eorum modum simplicem; *b*) internam rerum possibilitatem pendere a *voluntate Dei.*

OBIECTIONES.

1) *Quod habet inclinationes naturales in res materiales, materiale est.*

A. Anima humana habet inclinationes naturales in res materiales.

E. Materialis est.

Rs. Dst. Mai. — Quod habet inclinationes naturales in res materiales et *insuper in res immateriales* . . . N. Quod habet inclinationes naturales in *solas res materiales* . . . Sbds. apprehensas *modo mere materiali* sensitivo . . . C; apprehensas *modo immateriali* . . . N.

Ctds. min. — N. Cons.

Etiam homines materialismo dediti desiderant *quaedam* bona immaterialia: scientiam, honorem etc. Qui autem *sola* bona materialia appetunt — si tales generatim possibiles sunt! — appetunt ea sub ratione universali (hinc immateriali) *boni, quo talis* (Cfr. thesim XXXI).

2) *Facultas, quae in exercitio suo pendet ab organo, non est spiritualis.*
A. Intellectus in exercitio suo pendet ab organo.
E. Intellectus non est spiritualis.

PROB. MIN. — *Cerebro laeso laeditur intellectio; pro maiore vel minore perfectione cerebri (pondere relativo, volumine relativo, numero circumvolutionum cerebri etc.) perfectio intellectionis est maior vel minor; prout corpus evolvitur vel senescit, fatigatur, aegrotat vel sanatur, etiam intellectus evolvitur vel senescit, fatigatur, aegrotat vel sanatur; acuitas intellectus potest accurate ipsa physiognomia et phrenologia determinari* (Gall, *Sur les fonctions du cerveau*).

RS. DST. MAIOR. — Facultas, quae in exercitio suo pendet ab organo *intrinsece* . . . C. Facultas, quae in exercitio suo pendet ab organo *extrinsece* seu *ratione obiecti* (quatenus videl. facultas non potest exercere suum actum nisi ei obiectum praesentetur ab alia facultate materiali) . . . N.

CTDS. MIN. — N. Cons.

AD PROBATIONEM MIN. — Cerebro laeso laeditur intellectio *directe in se* N. *indirecte*, quatenus videl. laeditur operatio *phantasiae* subministrantis intellectui obiecta C.

Quod attinet *alia exempla* citata ab adversario, dicendum est: 1) probant tantum dependentiam extrinsecam intellectus a cerebro; 2) haec dependentia extrinseca non est rigorosa, ut monstrare videntur plurima facta experientiae (Cfr. A. Farges, *Le cerveau, l'âme et les facultés*, Paris, IIème éd., pag. 136-157; 186-187).

3) *Anima distincta a corpore — spiritualis — nunquam detecta est scientifice. E.*

RS. DST. ANTC. — . . . scientifice i. e. *experimentis* . . . C (et N. suppositum ens spirituale posse sub microscopio observari vel cultello attingi!); scientifice i. e. *philosophice* . . . N.

4) *Quod non subsistit per se, non est spirituale.*
A. Anima non subsistit per se (sed in corpore).
E. Non est spiritualis.

RS. DST. MAI. — Quod *nec complete nec incomplete* (seu tamquam substantia incompleta) subsistit per se . . . C. Quod non subsistit quidem per se complete, at subsistit per se incomplete . . . N.

CTDS. MIN. — N. Cons.

5) *Facultas, quae ab obiecto corporali movetur ad operandum seu actuatur, est materialis.*

A. Intellectus ab obiecto corporali movetur ad operandum seu actuatur.
E. Est materialis.

Rs. Dst. Mai. — Facultas, quae ab obiecto corporali movetur directe mediante impressione *materiali* . . . C, mediante impressione *intentionali* Sbds. Si haec impressio intentionalis causatur tamquam a sua causa adaequata a solo hoc obiecto corporali . . . C. si causatur a facultate spirituali seu intellectu agente (modo alibi iam descripto) . . . N.

Ctds. min. — N. Cons.

6) *Quod patitur a corpore, est corpus.*
A. Anima patitur a corpore.
E. Anima est corpus.

Dst. Mai. — Quod patitur a corpore passione « propriissime » vel « proprie » dicta . . . C. Quod patitur a corpore passione « late » dicta . . . N.

Ctds. min. — N. Cons. (Cfr. th. XXV, Schol. II).

7) *Immaterialitas est mera negatio, quae aliquid tollit, sed nihil ponit. At ex negationibus non potest fieri realitas* (Paulsen, *Einl. in d. Philos.*, 1920, S. 145). *E.*

Rs. Dst. Mai. — Immaterialitas considerata secundum *id, quod* concipitur . . . N. Immaterialitas spectata secundum *modum, quo* concipitur, Sbds. si attenditur *formaliter negatio*, quam involvit (« non » — materiale) C, si attenditur elementum *positivum*, quod est subiectum huius negationis (positiva realitas) . . . N.

8) *Intellectio est actio hominis.*
A. Homo est compositum ex anima et corpore.
E. Intellectio est actio compositi.

Rs. Dst. Mai. — . . . . hominis tamquam *subiecti attributionis* (suppositi, cui attribuitur intellectio) seu principii « quod » C, . . . hominis tamquam *subiecti elicientis* (seu principii « quo ») N.

Ctds. min. — N. Cons.

9) *Intellectus est facultas animae.*
A. Anima informat corpus.
E. Etiam intellectus informat corpus — proindeque intrinsece pendet a materia.

Rs. Dst. Mai. — . . . facultas animae immersae in materia (qualis est anima vegetativa et sensitiva) N . . . facultas animae superexcedentis materiam seu elevatae supra materiam nec ea comprehensae C.

Ctds. min. — N. Cons.

10) *Si anima humana exercet sola quasdam operationes, est « hoc aliquid » seu persona.*

A. Falsum consequens.

E. Et antecedens.

Rs. Dst. Mai. — . . . . est » hoc aliquid » seu persona *sensu lato* C; *sensu stricto* N.

Hoc aliquid (« persona ») potest sumi sensu *lato*: pro *quocumque subsistente*; et sensu *stricto* pro subsistente *completo*. (Cfr. S. Th., *Qu. Disp. De Spir. creat.*, a. 2 ad 16).

11) *Forma, quae multiplicatur pro multiplicatione corporum, est corporalis.*

A. Anima intellectiva multiplicatur pro multiplicatione corporum.

E. Anima intellectiva est corporalis.

Rs. Dst. Mai. — Forma, quae multiplicatur pro multiplicatione corporum hoc modo, quod ipsum corpus est *subiectum ex quo* educitur haec forma . . . C, . . . hoc modo, quod ipsum corpus est tantummodo *subiectum in quo* educitur haec forma N.

12) *Spiritus non potest superari a corpore.*

A. Anima humana potest superari a corpore.

E. Anima humana non est spiritus.

Rs. Dst. Mai. — Spiritus *purus* i. e. non unitus naturaliter corpori, non potest . . . Tr. Spiritus *unitus naturaliter* corpori non potest . . . Sbds. directe Tr., indirecte N.

Ctds. min. — N. Cons.

Spiritus purus non potest superari a corpore hoc sensu quod corpus omnino non potest attingere sua activitate spiritum; at ex hoc non sequitur corpus non posse spiritui aliquam resistentiam opponere. — Spiritus autem unitus cum corpore, et ipse quidem non potest superari a corpore *directe* i. e. influxu *in se* immediate-recepto; at potest superari *indirecte* i. e. influxu recepto in composito, cuius ille spiritus est *forma* substantialis.

THESIS XXXVI.

Anima intellectiva est simplex.

1. Notiones. 1. — Notio « simplicis », utpote relativa, opponitur essentialiter notioni « compositi » ; proindeque etiam ope notionis « compositi » — quae quoad nos est magis nota — declarari debet.

« Compositum » dicit: *totum constans partibus* seu pluribus. « Simplex » igitur dicit totum, *quod caret partibus.*

Quare simplex minime est confundendum — ut Cartesius fecit — cum spirituali. Dum enim spirituale formaliter dicit: *quod nec in operando nec in essendo pendet intrinsece a materia,* simplex solam compositionem ex partibus ab ente excludit (non autem necessario eius dependentiam a materia).

2. — *Partes – absolute loquendo – possunt esse* :

a) *essentiales* : illae, quae constituunt unam essentiam, i. e. materia et forma.

b) *integrantes* (quantitativae), quae substantiam materialem in spatio extendunt; sunt eiusdem rationis ac totum; sibi invicem iuxtaponuntur.

c) partes in ordine *entis* : illae, quae componunt rem in ipsa ratione entis, i. e. essentia et existentia.

d) *subiectum et accidens,* quae efficiunt totum per accidens.

e) *natura et subsistentia*, quae constituunt suppositum.

3. — *Simples absolutum* omnes hasce partes excludit (Deus). Simplex vero *relativum* excludit eas in aliquo ordine.

Simplicitas, quam *animae humanae* attribuimus, est *relativa*; scil. negat partes *essentiales* (i. e. compositionem ex potentia et actu in ordine essentiae seu ex materia et forma) et partes *integrantes.* Vocatur haec simplicitas : *simplicitas physica.*

4. — Simplicitas in suo conceptu *formali* non dicit meram negationem (compositionis), sed *perfectionem positivam.* Quemadmodum unitas non dicit meram negationem (divisionis) sed significat in recto *ens, quod* est fundamentum negationis divisionis, ita etiam simplicitas dicit formaliter ipsam perfectionem positivam entitatis et negat in ea compositionem et divisibilitatem.

5. — *Simplicitas distingui* potest adhuc duplex: *a*) negativa seu *per modum partis* — qualis competit v. g. puncto mathematico; *b*) *positiva* seu per modum totius (perfectionis). Hanc ultimam attribuimus animae rationali.

Simplicitati animae non obstant potentiae, nam hae sunt — stricte loquendo — eius proprietates non vero « partes ».

2. Sententiae. — Si agitur de simplicitate *integrali* animae intellectivae, haec ab *omnibus Scholasticis* unanimiter tenetur. Immo plures simplicitatem integralem etiam animae sensitivae brutorum (sive omnium sive saltem perfectiorum attribuunt. Cfr. th. VIII. Schol. V, pag. 68-71).

Quod attinet simplicitatem *essentialem*, *veteres Scholastici* multi eam animae humanae denegabant. Secundum *S. Bonaventuram* anima intellectiva constat materia prima, diversa tamen a materia prima corporum, quia non est subiectum *extensionis*, sed tantum subiectum *mutationis*. Sat multi post *Scotum* hanc sententiam usque ad saeculum XVI tenebant appellando ad *S. Augustini* auctoritatem, qui loquitur « de spirituali materia », ex qua anima est facta.

3. Thesis babet duas partes:

I. *Anima intellectiva caret partibus essentialibus.*

II. *Anima intellectiva caret partibus integralibus.*

Probatur thesis.

Pars. I. — Anima intellectiva caret partibus essentialibus.

Arg. — Si quae esset compositio in anima intellectiva ex partibus essentialibus, haec compositio esset aut ex *duplici principio activo*, aut ex uno *activo*, *altero autem passivo*.

Atqui neutrum dari potest.

Ergo in anima intellectiva non adest compositio ex partibus essentialibus.

Prob. min. per partes:

I. — *non datur in anima intellectiva compositio ex duplici principio activo.*

a) Experientia interna teste conscii nobis sumus operationum *omnium* tum intelligendi tum volendi, aliis verbis, unum idemque principium est sibi conscium se intelligere et se etiam velle.

Atqui si in anima essent duo principia activa, utrumque haberet propriam conscientiam intelligendi et volendi. Impossibile est enim, ut quis conscientiam habeat actionis, quam ipse non elicit.

b) Immo nec possent inter se *actus animae* comparari. Ut enim comparentur actus animae inter se, debent *ab uno* comparante cognosci. Sed in hypothesi adversariorum non datur *unus* cognoscens sed plura cognoscentia, quorum unumquodque suam propriam operationem cognosceret, non operationem alterius.

c) Compositio in unam essentiam, si haec fingitur, est ex *potentia* et *actu*, non vero ex *duplici actu*.

II. *non datur in anima compositio ex uno principio activo, altero passivo, seu ex actu et potentia.*

1. — Aut enim supponitur haec potentia esse materialis, aut immaterialis.

Atqui neutrum dici potest. Ergo.

Non I, quia pugnat cum spiritualitate animae. Compositio ex materia et forma habet pro proprietate naturali extensionem. (Cfr. S. Th. I. q. 75. a. 5.).

Non II, quia talis potentia spiritualis est: *a*) incomprehensibilis, *b*) gratis asseritur.

2. — Quod constat potentia et actu, est substantia in specie completa.

Atqui anima, utpote forma corporis, non est substantia in specie completa. Ergo anima non constat potentia et actu.

Min. alibi ostenditur.

PARS. II. — ANIMA INTELLECTIVA CARET PARTIBUS INTEGRALIBUS.

ARG. I. — Actus intellectus et voluntatis sunt inextensi.

Atqui actus inextensi postulant principium inextensum seu simplex.

Ergo anima intellectiva, utpote principium actuum intelligendi et volendi, est simplex.

Mai. — Patet ex thes. XIX, XXX, XXXV.

ARG. II. — Compositio ex partibus integralibus potest enti competere aut per se aut per accidens.

Atqui neutrum dici potest de anima intellectiva.

Ergo anima intellectiva non constat partibus integralibus.

Prob. min. per partes:

I. — *Non per se* — nam ens, cui talis compositio competit, est corpus. Atqui anima non est corpus. Ergo.

II. — *Non per accidens* — nam talis compositio competit formae, quae constituit subiectum actu unum, potentia multiplex.

Atqui subiectum humanum non est potentia multiplex.

Ergo animae intellectivae non competit compositio ex partibus integrantibus per accidens.

Probo min ult.: a) *ratione suasiva*: subiectum humanum non potest dividi in plura eiusdem speciei: b) *ratione convincente*: ex conscientia (cf. th. XXXIV).

Arg. III. — Radix compositionis ex partibus integralibus est materia.

Atqui anima intellectiva nec est nec constat materia.

Ergo anima intellectiva non habet partes integrales.

Confir. — Anima intellectiva capax est reflexionis perfectae.

A. Ens capax reflexionis perfectae non potest esse integraliter compositum. *E.*

Maior et Min. patent ex thes. XXXV.

Si anima haberet partes, tunc dum alia pars in aliam flecteretur, per hoc ipsum induceretur in hac alia parte *nova* modificatio, atque ita impossibile esset modificationem *primitivam* unquam vere attingere; ac proinde impossibilis esset reflexio.

OBIECTIONES.

I. — Contra simplicitatem essentialem.

1) *Ens, quod habet complures actus, non est simplex.*

A. Anima intellectiva habet complures actus (intellectionis, memoriae, volitionis etc.).

E. Anima intellectiva non est simplex.

Rs. Dst. Mai. — Ens, quod habet complures actus, qui constituunt essentiam illius entis vel integrant eius extensionem, non est simplex C. Ens, quod habet complures actus, qui insunt ei tamquam *accidentia* Sbds. non est simplex simplicitate *absoluta* C, *relativa* i. e. essentiali et integrali N.

Ctds. min. — N. Cons.

2) *Anima est substantia, quae ex se habet se ad actus tamquam vera potentia («tabula rasa»), in qua nihil scriptum est.*

A. Substantia, quae ita se habet ad actus, est «determinabile» seu materia. E.

Rs. Dst. Mai. — . . . . ad actus *essentiales* (substantiales) . . . . N. ad actus *accidentales* Sbds. tamquam potentia *mere passiva* N., *activa* (sensu in thes. XXV explicato) C.

Ctds. min. — N. Cons.

II. — Contra simplicitatem integralem.

1) *Anima humana exercet operationes extensas (v. g. vegetationem, sensationem).*

A. Quod exercet operationes extensas, et ipsum debet esse extensum. E.

Rs. Dst. Mai. — Anima humana exercet *unice* operationes extensas N. . . . *etiam* operationes extensas Sbds. Anima humana *sola* eas exercet N, *cum corpore* (per se extenso) C.

Ctds. min. — N. Cons.

Repugnat quidem, ut principium extensum exerceat operationes inextensas. At minime repugnat, ut principium inextensum — coniunctum extenso — exerceat operationes extensas.

2) *Anima intellectiva invenitur in omnibus partibus corporis.*

A. Inextensum non potest esse in omnibus partibus corporis. E.

Rs. Dst. Mai. — . . . corporis per *modum puncti mathematici* N. . . . per *modum totius* C. (Cf. S. Th., *Qu. Disp.*, *Qu. de An.*, a. 10. ad 18).

Ctds. min. — N. Cons.

Anima omnino simplex non est in toto extenso (corpore) totalitate partium sed totalitate perfectionis substantialis et virtualis, quae duo sunt extra genus quantitatis.

3) *Anima movet corpus proindeque illud tangit.*

A. Quod tangit corpus, est extensum.

E. Anima est extensa.

Rs. Dst. Mai. — . . . . tangit *contactu quantitativo* N. contactu *virtutis* C.

Ctds. min. — N. Cons.

Anima rationalis movet corpus non per essentiam suam, sed per potentiam locomotivam mediante appetitu rationali et sensibili (Uberior explicatio in: *La psychophysique humaine d'après Aristote*, pag. 170-189).

4) *Inter materiam et formam debet adesse proportio.*

A. Si anima est inextensa corpus vero extensum, non adest haec proportio. E.

Rs. Dst. Mai. — . . . . proportio *habitudinis* seu proportio in ratione potentiae et actus (perfectibilis et perficientis) C . . . . proportio *aequalitatis* (quoad entitatem seu perfectionem) N.

Ctds. min. — N. Cons.

5) « *Agere* » *sequitur* « *esse* ».

A. « *Agere* » *animae est extensum (v. g. vegetatio).*

E. « *Esse* » *animae est extensum.*

Rs. Dst. Mai. — Agere sequitur « esse » h. e. « agere » debet esse *simile* saltem *analogice* τῷ « esse » causae C. (omne agens agit sibi simile!); debet quoad perfectionem *adaequare* τὸ « esse » causae Sbds. quaelibet actio causae debet eam adaequare N. (v. g. agentia libera possunt effectus diversae perfectionis producere!); quaedam actio . . . . Sbds. si producitur a causa hac tamquam a causa sui *adaequata* . . . . C vel Tr. si producitur a causa hac tamquam a causa sui partiali N.

Ctds. min. — N. Cons.

Quaedam actiones animae, quae a sola anima — et quidem per modum naturae, non vero libere — producuntur (i. e. intellectiones) adaequant virtutem animae, proindeque aeque ac ipsa sunt inextensae. Caeteri effectus, qui producuntur non a sola anima sed a composito (ex anima et corpore), possunt esse extensi.

6) *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.*

A. Anima recipitur in extenso i. e. corpore.

E. Per modum recipientis — hinc modo extenso — recipitur.

Rs. Dst. Mai. — I. e. quidquid recipitur, recipitur semper modo aliquo, qui est *proportionatus* (non contrarius) naturae recipientis C. modo, qui est rigorose *aequalis* naturae recipientis Sbds. spectata natura recipientis in hoc signo rationis, in quo receptio formaliter fit C. in signo alio N.

Ctds. min. — N. Cons.

Expl. — Antequam materia prima recipiat animam, non habet in se ulla accidentia formalia. Receptio igitur animae fit a materia in signo rationis *praevio ad possessionem* extensionis proindeque non recipitur anima a materia « per modum extensionis » — sed tantum tamquam actus substantialis a potentia.

THESIS XXXVII.

Anima intellectiva est immortalis natura sua et de facto in aeternum vivet.

1. St. Quaest. — Quaestio de immortalitate animae maximi est momenti pro homine, cum sit fundamentum tum religionis tum moralitatis. Ubi enim firma convictio de immortalitate animae deest, deest eo ipso firma persuasio de sanctione futura, sine qua non datur vera vita religiosa et moralis.

Genus humanum naturali rationis lumine ductum constanter immortalitatem animae profitebatur; sed speculatio philosophica non eadem constantia eam tenebat.

2. Sententiae :

I. — *Immortalitatem animae negant*:

A) *indirecte*: 1. Quotquot *Materialismum* profitentur; et quidem logice ad sua placita hoc faciunt, nam immortalitas animae fundatur in immaterialitate eius, ut statim monstrabitur.

2. *Phaenomenistae.* — Et ipsi logice ad sua principia procedunt. Si enim anima non est substantia sed tantum fluxus phaenomenorum, pronum est inde concludere fore, ut anima aliquando omnino desinat esse.

3. *Pantheistae.* — Cum enim homo secundum ipsos non sit nisi *modus* transiens unicae substantiae seu Entis Absoluti, immortalitati *individuali*, ut patet, nullus dari potest locus.

4. *Positivistae* (Agnostici), qui affirmant nos de duratione animae in mundo, qui experientiae nostrae non subiacet, nihil scire posse.

Omnes adversarii modo citati non veniunt directe in thesim, cum ex professo non ipsam immortalitatem animae, sed huiusce immortalitatis *praeambula necessaria* expugnent.

B) *directe*:

1. *Averroïsmus* medii aevi (viguit praecipue Patavii et Bononiae a XIV ad XVII saec.): intellectus agens est omnibus homnibus communis, divinus, isque solus est immortalis, caeterae vero « partes » animae humanae (individuales) sunt corruptibiles.

2. *Alexandrismus* (adversarius Averroismi), qui secutus Alexandrum Aphrodis. omnem immortalitatem homini denegabat, etiam eam, quam Averroïstae agnoscebant. « Mihi — ait unus ex Alexandristis, Pomponatius —... videtur, quod nullae rationes adduci possunt cogentes animam esse immortalem » (*De immortal. animae*, cap. 15). Similiter Simon Porta (*De Anima et mente hum.*).

3. Secta Judaica *Sadducaeorum*. — Insuper *Moyses Majmonides* (*saec. XII*): solae animae sapientium sunt immortales (*Doctr, perplex.* III) — Plures *haeretici christiani*: solae animae piorum sunt immortales.

4. *Hypnopsychistae,* haeretici Arabes, quorum doctrinam refert S. Eusebius (*H. E.*, 6, 37) et S. Augustinus (*De haeres.* 83), docebant (saec. III.) animam post mortem hominis usque ad resurrectionem corporum disparere.

5. Plurimi *theologi protestantes* tenent immortalitatem animae esse quidem certam ex Revelatione, minime vero ex philosophia. — In medio aevo praeiverat eis Scotus, qui ait assertum de immortalitate « esse potius creditum, quam scitum, neque posse ad id confirmandum afferri rationes demonstrativas necessarias, sed solum probabiles ». « Nec hoc potest probari per philosophum » addit alibi (4 D. 43, quaest. 2, Schol. III, t. II, 836, col. 2). Opinioni Scoti adhaerent *Nominales* (Henricus Gandavensis, Gabriel Biel, Occam) et quidam alii, inter quos eminet *Caietanus.*

II. — *Immortalitatem animae affirmant*: Plato (*Phaedon, Phaidros, Politeia*), Aristoteles (*De anima* lib. III, c. 5; locus tamen hic est obscurus ideoque multi v. g. Plutarchus, Alexander, Justinus, Caietanus et Moderni contra Theophrastem, Philoponum, Simplicium putant Aristotelem non tenuisse immortalitatem animae).

Patres, qui, ut plurimum, argumenta theologica ad immortalitatem animae probandam afferebant.

Avicenna, Algazel (Gazali), *Scholastici*, quorum sententiam afferendo, haec dicunt Conimbricenses: « ita celebre est saeculo XIV animae immortalitatem demonstrari, ut jure temerarius habeatur, qui nostrae sententiae refragetur » (*De anima separ.*, d. I. a. 3).

Cartesius (*Secundae Responsiones*, n. 207-209), Locke, Leibniz (*Essai sur* etc. I, n. 89), Wolff, Kant (*ex ratione pract.*), *Herbart*, *Lotze* et alii.

3. In thesi praesenti de sola *immortalitate individuali* agimus. — Immortalitatem *alius ordinis* etiam adversarii admittunt, qui continuo loquuntur sive de « duratione perpetua » *generis humani* eiusque *culturae* sive de « memoria immortali » acquisita apud posteros per opera celebra (cfr. Wundt, *System der Philos.* ed. III, 1907, I, 673; Jodl, *Psychologie,* ed. III, 1908, 212) sive de « immortalitate *energiae, materiae cosmicae*» (Materialistae. Cfr. Haeckel, Büchner), de *perennitate*, quam unumquodque individuum habet *in* « *Ente absoluto* » (Pantheistae) vel « in corde et mente humanitatis » (A. Comte, *Catechisme positiviste*, Introd.).

4. — *Notiones.* — 1. — *Immortale* est, *quod non est obnoxium morti.* Mors autem intelligitur *privatio vitae* et quidem *per corruptionem.* — Dari enim potest et alia privatio vitae, quae fit simpliciter per annihilationem. Per annihilationem aufertur res totaliter ex ordine rerum; per corruptionem non ita, ut constat.

Privatio vitae, quae fit per corruptionem, *duplex distingui* potest: *a) per se*; *b) per accidens.*

Prior consistit in eo, quod *principia, quibus essentia entis constat, dissociantur* seu aliis verbis, consistit in separabilitate formae a materia (S. Th. I, q. 50 art. 6). Ita pereunt: homo, brutum, planta. — Secunda consistit in eo, quod amittitur « esse » formae, quae non existit per se seu ratione sui, sed tantum beneficio compositi, et quae per consequens « corrumpitur, in quantum deficit esse compositi ». (S. Th., *Quaes. de An.*, a. 14). Ita pereunt animae brutorum et plantarum, utpote totaliter immersae in materia.

Privatio vitae per annihilationem potest obtineri in ente sive composito sive etiam simplici; fit autem non per actionem positivam, sed per subtractionem concursus conservatricis.

2. Hisce notionibus praemissis, facile intelliguntur variae *divisiones immortalitatis*: *a)* immortalitas *ab intrinseco*; *b)* immortalitas *ab extrinseco.* — Immortalitas *ab intrinseco* adest, si in ente *deest naturaliter principium corruptionis.* Immortalitas *ab extrinseco*, si aut non datur causa, quae possit ens illud vita privare (annihilare), aut habetur certitudo fore, ut haec causa potestate sua numquam utatur.

Quare ens *immortale ab intrinseco*, quod praeterea aut nullam habet causam extrinsecam, quae possit illud vita pri-

vare aut scitur illam causam non usuram ista potestate, habet vitam sempiternam seu est *intrinsece et extrinsece* immortale. Talem affirmamus immortalitatem animae intellectivae. — Affirmamus enim in thesi: *a*) animam humanam nec *per se* nec per *accidens* esse corruptibilem; *b*) animam *exigere* vitam aeternam; *c*) nullam creaturam posse animam vita privare; *d*) licet Deus omnipotentia sua *absoluta* possit annihilare animam, tamen numquam haec faciet Omnipotentia sua relativa i. e. spectatis *aliis attributis* Divinis (diversis ab Omnipotentia).

3. Statuendo immortalitatem animae non dicimus eam esse *absolutam* seu « essentialem ». Immortalitas enim absoluta (« essentialis ») illa intelligitur, cui absolute repugnat cessatio vitae. Porro talis immortalitas soli Deo competit, non autem animae; de conceptu enim animae, utpote entis contingentis, non est existentia.

Sed neque dicimus: immortalitatem animae esse *gratuitam* seu supernaturalem, qualem haberet homo, si per gratiam Divinam *qua homo* (seu qua compositum ex anima et corpore) conservaretur a Deo sine fine. (Talis immortalis erit immortalitas corporis nostri post resurrectionem, et talis fuisset Adami ed Hevae, si non peccassent). — Immortalitas, qualem in thesi animae intellectivae vindicamus, in natura eius fundatur — hinc est sensu proprio « *naturalis* ».

5. Non in admittendo facto sed in *explicatione* facti aliquomodo disconveniunt Scholastici, prout videl. animae *soli* tribuunt *actum essendi* aut tum *animae* tum *materiae primae*. — Secundum primam sententiam actus essendi competit primo animae humanae et tantum per animam humanam competit materiae et composito; quo fit, ut resoluto composito ideo non pereat anima, quia habet in se iam actum essendi. In animalibus vero et plantis actus essendi primo competit composito, hinc destructo composito perit forma, utpote non habens actum essendi *sibi* proprium.

Secundum vero alteram sententiam — quae scil. tum animae tum materiae actus essendi (partiales) tribuit — resoluto composito ideo non perit eo ipso (per accidens) anima spiritualis, quia esse animae non est immersum materiae sed supereminet, utpote esse substantiae *spiritualis*.

6. Quod attinet argumenta pro immortalitate animae, non desunt hodie, qui immortalitatem animae ex factis telepathiae et spiritismi probent. Ita v. g. Meyers, (*Personalité hum.* tr. fr. pag. 219), Schiller (*Humanisme*, tr. fr. chap. 7), James, (*Exp. rel.* 433-434). At ab hisce argumentis abstinendum est, nam — si generatim quid probant — probant ad summum existentiam spirituum malorum, non necessario autem animarum humanarum. (Cfr. Rey, *Phil. mod.* pag. 296).

Omnia argumenta scholastica (nonnulla ex eis sunt desumpta ab Avicenna) reduci possunt ad tria principalia:

1. argumentum « metaphysicum » seu ex charactere metaphysico animae i. e. eius simplicitate et spiritualitate;

2. argumentum « morale » seu ex sanctione perfecta post hanc vitam;

3. argumentum « teleologicum » seu ex tendentiis naturalibus hominis, quibus Deus Sapiens, Iustus et Bonus satisfacere debet.

Probatur thesis.

Passus I. — Anima intellectiva est natura sua immortalis.

Arg. I. (« metaphysicum »).

N. B. Substantia vivens, quae neque *per se* neque *per accidens* corrumpi potest, est natura sua immortalis.

Atqui anima intellectiva est substantia vivens, quae neque *per se* neque *per accidens* corrumpi potest.

Ergo anima intellectiva est natura sua immortalis [1].

[1] Quod attinet argumenta pro immortalitate animae afferenda, iuvat notare, quod ait Jules Simon: « Il ne peut guère être question aujourd'hui d'ajouter quelque chose aux preuves de l'immortalité de l'âme... Il ne nous reste qu'à marcher pieusement sur les traces de nos devanciers, en nous félicitant de trouver la route toute tracée et toute battue » (*De la religion naturelle,* partie III, chap. 1). — « Il faut avouer — dicit Thomas Henri Martin — que, sur la vie future, cette philosophie n'a ajouté aucune considération essentielle ni aucune preuve de quelque importance, à celles qui avaient été données par la philosophie catholique du moyen âge » (*La vie future*, IIème éd., pag. 286).

Probatur minor per partes:

Pars. I. — *Anima intellectiva non potest corrumpi per se*: Corruptio per se habetur per dissolutionem partium essentialium, quibus ens constat.

Atqui anima intellectiva non habet partes essentiales (i. e. materiam et formam), quibus constaret. Ergo.

Mai. ult. — Patet ex ipsa notione « corruptionis per se » superius tradita.

Min. ult. — Patet ex eo, quod anima intellectiva est *simplex*.

Pars. II. — *Anima humana non potest corrumpi per accidens*:

Corruptio per accidens habetur in formis, quae non habent « esse » per se ipsis conveniens, sed in tantum sunt, in quantum compositum est (habent « esse » compositi).

Atqui anima humana habet esse per se ipsi conveniens. Ergo.

Prob. min. ult. — Anima humana est spiritualis seu per se subsistens.

Arg. II. (Morale seu ex sanctione).

Datur immortalitas animae, si sine ea impossibilis est *lex moralis*.

A. Sine immortalitate animae impossibilis est *lex moralis*. E.

Ad. min. — Sine immortalitate animae impossibilis est *sanctio per se sufficiens*.

A. Sine sanctione per se sufficienti impossibilis est lex moralis.

E. Sine immortalitate animae impossibilis est lex moralis.

Ad. Mai. ult. Sanctio per se sufficiens est illa, quae habet *in se* vim *plenam* ad movendum efficaciter hominem, ut faciat bonum (morale) et evitet malum (morale).

A. Sine immortalitate animae non datur sanctio talis. E.

Ad. min. ult. Sine immortalitate animae remanet sola *sanctio huius vitae.*

A. Sanctio huius vitae non habet in se vim plenam ad efficaciter movendum hominem, ut faciat bonum (morale) et evitet malum (morale). E.

Ad. min. ult. — Sanctio huius vitae comprehendit 1) gaudium (resp. remorsus) conscientiae, 2) utilitatem (valetud., divitias), 3) honorem, 4) praemium (resp. poenam) lege humana collatum.

A. Haec 4 non habent in se vim plenam ad efficaciter movendum hominem, ut faciat bonum (morale) et vitet malum (morale). E.

Prob. min. ult. — Ad. 1. — *a*) Qui in acto peccati v. g. voluptatis, in quo passione totaliter absorbetur, subito moritur, *non habet tempus* sentiendi *remorsus* suae actionis malae! Ex altera autem parte miles vel martyr mortaliter plexus *non habent tempus sentiendi gaudium* suae actionis bonae; praesertim quod in hoc supremo momento saepe doloribus torquentur atrocibus. — *b*) Remorsus *non sunt semper eo maiores,* quo quis habet graviora et plura flagitia: turpitudo vitii a multis non sentitur, quia passionibus et habitibus pravis obruitur eorum sensus. Ex altera autem parte homo pius sentit vehementes remorsus etiam pro imperfectionibus levissimis. Sanctio igitur fundata in « gaudio vel remorsibus » est in proportione inversa ad culpabilitatem (eo minor vigor sanctionis, quo maior culpabilitas!). — *c*) Nec in remuneratione humana homicida censetur iuste punitus iam per solos remorsus. — *d*) Tandem ipsi remorsus non habent plenam rationem nisi quatenus aliqua poena post hanc vitam expectatur.

Ad. 2. — *a*) Multi actus morales non producunt effectus *materiales externos* v. g. valetudinem, divitias. Tales sunt actus *pure interni* sive boni sive mali (cogitationes, desideria). — *b*) Homines virtuosi *non habent semper valetudinem* meliorem quam mali; saepe accidunt primis infortunia, aliis fortuna inexpectata. — *c*) *Bona externa sunt communia* omnibus sive bonis sive malis. Immo saepe facilius eveniunt malis, cum mali ea omnibus mediis possibilibus conquirant!

Ad. 3. — *a*) Plures actus fugiunt *attentionem publicam* — ac per consequens — *honores* debitos. Tales sunt actus pure *interni* et *externi secreti.* — *b*) Fama publica, quam sit stupida et iniusta, communiter constat. Saepe glorificantur actus, qui poena digni sunt v. g. victoria a tyrannis reportata supra innocentes!

Ad. 4. — *a*) Legislator humanus non punit nisi actus *externos* et quidem *graves.* — *b*) Eius iudicium est *fallibile*,

praesertim quod non habet perspectam intentionem delinquentis, dispositionem psychologicam, influxum educationis etc. (Cfr. II. *Ad. Timoth.*, III, 12-13; I *ad Corinth.*, XV, 32).

Arg. III. (Ex Absurdis).

1) Si anima est mortalis, datur in homine contradictio inter desiderium naturale ad beatitudinem (de quo in th. XXX) — et legem moralem.

Prob. antec. — Si anima est mortalis, homo debet suum *desiderium naturale*, quod habet ad beatitudinem, satiare plene *iam in hac vita*: conquirendo sibi videl. et accumulando omni, quo potest, modo bona terrestria, et praecipue *conservando ipsam vitam* — fundamentum beatitudinis terrestris. — At ex altera parte *lex moralis*, dum *absolute praecipit* homini exercitium virtutis et prohibet ei malum, imponit ei *privationem* plurimorum bonorum, immo saepe *iacturam* ipsius vitae!

Contradictio haec inter desiderium naturale beatitudinis et legem moralem non evanescit, nisi admissa immortalitate animae!

2) Si anima humana est mortalis, genus humanus non potest ducere vitam homine dignam, nisi recurrendo ad errorem!

Prob. antec. — Non potest genus humanum ducere vitam homine dignam, nisi singuli homines varias privationes — saepe duras — in *hac* vita subeant: retrahendo se a variis actionibus, — quae quidem iucundae sunt individuo at nocivae societati — subiiciendo se auctoritati, servando illaesa aliorum iura etc. — Porro ut hae privationes ab hominibus *constanter* et *universaliter* suscipiantur, opus est necessario suggerere ipsis convictionem firmam et profundam de existentia alterius vitae, de immortalitate animae, quae, ut patet, esset — ex hypothesi — erronea!

Confirmatur. 1. Obiectum proprium intellectus est incorruptibile et a conditionibus *materialibus* — proindeque etiam a *limitata duratione temporali* — absolutum.

Atqui facultas proportionata obiecto incorruptibili et a limitata temporis duratione absoluto est incorruptibilis et absoluta a determinata temporis duratione.

Ergo intellectus est incorruptibilis et absolutus a determinata temporis duratione, proindeque etiam *natura sua* immortalis. (Cfr. S. Th., I, q. 50, a. 5, c.; *Contr. Gent.*, lib. 2, c. 55).

2. « Perfectio . . . animae humanae consistit in abstractione quadam a corpore; perficitur enim anima scientia et virtute; secundum scientiam autem tanto magis perficitur, quanto magis immaterialia considerat; virtutis autem perfectio consistit in hoc, quod homo corporis passiones non sequatur, sed eas secundum rationem temperet et refrenet ». (S. Th., *C. Cent.* lib. II, c. 79. — Cfr. Plato, *Phaedon*, 64a–67). Aliis verbis: mensura perfectionis animae humanae est perfectio facultatum intellectualium. Porro perfectio facultatum intellectualium eo est maior, quo maior fit abstractio a materiarialibus in cognitione, et quo maior independentia a passionibus et dominatio in eas. Quod obtinetur potissimum ex una parte per culturam scientiarum (et praecipue metaphysicae, quae transcendit res sensibiles), ex altera autem parte per pugnam contra « legem membrorum » i. e. contra appetitus sensitivos. Porro quod constituit *formaliter propriam perfectionem* alicuius entis, non potest esse *propria causa* eius ruinae. Ac proinde anima *soluta omnino a materia non peribit.*

Passus II. — Anima intellectiva de facto in aeternum vivet.

Praenota. — Licet anima sit *natura sua* immortalis, nihilominus remanet semper ens *contingens*, et qua tale, potest — absolute loquendo — privari vita, cum semper possit *annihilari.* Ut igitur demonstretur animam *de facto* semper victuram, ostendere oportet, eam *non fore annihilatam.*

Arg. — Nulla creatura animam intellectivam annihilare potest, Deus autem eam non annihilabit.

Ergo anima rationalis de facto vivet in aeternum.

Prob. antecedens per partes.

Pars. I. — *Nulla creatura animam intellectivam annihilare potest.*

Si anima intellectiva annihilaretur ab aliqua creatura, hoc fieret aut 1) media *actione,* cuius effectus proprius esset simpliciter removere animam intellectivam ex ordine rerum existentium, aut 2) media *omissione actionis*, a qua anima intellectiva in esse essentialiter penderet.

Atqui falsum consequens.

Ergo et antecedens.

Prob. min. ad 1. — *Actioni,* cuius effectus proprius esset simpliciter *removere* animam intellectivam ex ordine rerum *existentium*, conveniret proprie *efficientia nihili, qua nihili.*

Atqui *efficientia nihili, qua nihili* manifestam contradictionem involvit. (Terminus actionis positivae est semper « *aliquid* »). *E.*

Ad 2. — Actio, qua omissa cessaret existere anima intellectiva (simplex et spiritualis), non est nisi actio conservatrix.

Atqui actio conservatrix solius est Dei. *E.*

Min. ult. Patet ex Theodic.

Pars. II. — *Deus animam intellectivam non annihilabit.*

Arg. I. (*Teleologicum*). — Deus animam intellectivam non annihilabit, si anima intellectiva naturaliter exigit esse semper.

A. Anima intellectiva naturaliter exigit esse semper.
E. Deus animam intellectivam non annihilabit.
Mai. Probatur. — 1. « *a priori* » (ex Attributis Dei).

Deus, utpote Gubernator Sapientissimus, supponendus est in sua activitate circa creaturas sequi leges, quas ipse instituit; proindeque sicut supponendus est velle destructionem (mortem) creaturarum, quas caducas condidit seu in quarum prima formatione ipse *destructionis (mortis) germen inclusit*, ita ex altera parte supponendus est *velle conservationem aeternam vitae* rerum, quas ipse immortales creavit seu ex *quarum natura germen mortis positive exclusit.* — Sapiens non potest ad nihilum pellere (annihilare) rem, quam ipse *ita* scienter construxit, ut in aeternum durare possit! 2. *a posteriori* (ex analogia). *a)* Si Deus nullam — ne minimam quidem *particulam materiae* vel *vis* materialis annihilat, ut docet lex conservationis materiae et lex conservationis energiae, supponendus est *a pari* — immo *a fortiori* — non annihilare substantias spirituales, quae tum quoad *dignitatem* tum quoad *consistentiam* longe praestant materialibus. — Si Deus satisfacit exigentiis naturalibus creaturarum infimarum, a pari — immo a fortiori — satisfacere debet exigentiis naturalibus «creaturarum primogenitarum», quales sunt creaturae spirituales (Cf. Cousin, *Cours de l'histoire de*

la philos. moderne, pag. 259; Jules Simon, *Religion natur.*, Descartes *Sommaire des 6 méd.*; Malebranche, *Recherche de la vérité*, l. 4. ch. 2; Fénelon, *Lettres sur la religion*, lette. II).

b) Biologia tamquam inconcussum tenet *principium* « *correlationis* » inter organum et functionem: si adest naturaliter organum, adsunt etiam naturaliter conditiones necessario requisitae ad eius functionem seu actum. Ita v. g. si datur ab Auctore naturae oculus, producitur ab Eo necessario in rerum natura etiam lux; si datur ab Eo auditus, producitur ab Eo etiam sonus et ita porro. — Principium « correlationis » non est, ut patet, nisi particularis applicatio legis generalis *finalitatis*, quae gubernat Universum.

Ad mentem huiusce legis « correlationis » arguere licet: si quibusdam entibus data est ab Auctore naturae *capacitas naturalis durandi in aeternum*, datae sunt ipsis ab eodem Auctore naturae omnes etiam conditiones necessariae ad hoc, ut haec capacitas actuetur; proindeque etiam excludi debet annihilatio, cum haec *repugnet intrinsece illis conditionibus*, ut patet.

Ad. Min. — Anima intellectiva naturaliter exigit esse semper.

1. Anima, ut ex I. parte thesis apparet, est natura sua indestructibilis seu habet intrinsecam (naturalem) capacitatem durandi in aeternum. Sed cum omnis capacitas « *clamet ad actum* » i. e. tota essentia sua *ordinetur ad actum*, destinetur ad actum, respiciat actum tamquam necessarium *suum complementum naturaliter* sibi debitum seu aliis verbis, cum capacitas naturaliter « exigat actum », ideoque anima intellectiva habens capacitatem durandi in aeternum, eo ipso *naturaliter exigit*, ut reapse *actu* duret in aeternum seu *exigit esse semper.*

2. « Unumquodque naturaliter suo modo esse desiderat: desiderium autem in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem....; sed intellectus apprehendit esse absolute et secundum omne tempus; inde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper... (S. Th., I, q. 75, a. 6. c.).

Ens videl. intellectu praeditum apprehendit non tantum bona particularia, singularia, individualia, sed apprehendit insuper *necessario* — nam vi suae (intellectualis) naturae (essentiae) — immo praeprimis, ut patet ex thesi de cognitione singularium (th. XXVII), ipsam quoque *rationem formalem boni* seu *bonum qua tale*, bonum ut sic, bonum nulli malo admixtum,

bonum perfectum seu felicitatem, *beatitudinem*. Beatitudo haec constituit, ut data occasione explicavimus (th. XXXI. n. 12), obiectum formale voluntatis proindeque obiectum, ad quod voluntas « pondere naturae » seu vi *innata* — hinc *vi* omnino *antecedenti* ad quamcunque volitionem boni particularis — irresistibiliter, invincibiliter continuo pellitur tamquam potentia ad *suum* proprium et sibi plene proportionatum *actum*, naturaliter sibi debitum *complementum*. Inclinatio igitur entis intellectualis in beatitudinem non est inclinatio ab ipso ente intellectuali *sibi* imposita, sed est *ei imposita cum ipsa natura ab Auctore naturae* (« a Natura naturante »), Deo. Deus ipse, sicut formavit naturam hominis, ita ipse etiam inclusit in ea orientationem profundam, stabilem seu inclinationem invincibilem versus beatitudinem seu dedit homini *desiderium naturale beatitudinis*.

Virtute huius desiderii aptus erit homo desiderandi (et quaerendi) varia bona particularia — at eatenus tantum, quatenus conducere cernentur ad beatitudinem — hinc conditionate, hypothetice, secundario, subordinate; *solum* desiderium beatitudinis est omni ex parte *inconditionatum, absolutum*.

Porro beatitudo, quam homo ita desiderat, includit necessario *sempiternam durationem*; nam beatitudo privata sempiterna duratione, involvit eo ipso *timorem, defectum pacis, non plenam satisfactionem* — quae omnia, ut patet, destruunt ipsam beatitudinem. Beatitudo sine sempiterna duratione est contradictio in terminis.

Dices: Cum Deus possit legibus naturalibus a se semel statutis derogare, supponi potest hac sua potestate reapse uti erga animas damnatorum easque non obstante « naturali exigentia » durandi semper annihilare.

Rs. Ut Deus deroget legibus naturalibus a se semel statutis, debet habere *rationem* suadentem talem exceptionem; quae, ut constat, est semper aliquod bonum *ordinis altioris*, *bonum supernaturale*.

Porro talis ratio pro annihilatione animarum damnatarum haberi non potest. *E.*

Ad min. — Ratio supernaturalis, dictans annihilationem animarum damnatarum, esset utique ratio *gloriae Dei*.

A. Ratio gloriae Dei 1) non tantum non postulat necessario annihilationem damnati sed 2) potius postulare videtur positive conservationem damnati. *E.*

Min. ad 1) Etiam damnatus *potest* Deo reddere gloriam — *sua poena* — ut constat.

Min. ad 2) α) Finis creationis fuit *manifestatio attributorum Dei.* Porro attributorum Dei manifestatio in *hac* vita est valde incompleta proindeque in vita futura *compleri debet.* In specie compleri debet Infinita Dei *Iustitia* et Infinita *Sanctitas* (odium peccati). Porro haec ratio postulare videtur positive, ut animae damnatae pergant existere.

β) Ratio gloriae Divinae postulat, ut legibus a se latis det Deus — quantum est de se — plenam efficaciam instituendo pro laesione earum sanctionem *vere sufficientem.* Porro sanctio vere sufficiens *absolutae* legis naturalis videtur omnino positive postulare, ne damnati annihilentur.

Revera poena temporalis in vita futura non videtur esse motivum efficax ad absolutam legem moralem observandam. Ipsa enim *spes finis* poenae aufert ei maximam partem efficaciae. « Infinitas aetates congere cruciatibus, si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est, quia non quaerimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus » (S. Hieron.). — Et peccator posset impune Deo resistere: « Non timeo — posset dicere — supplicia Dei, quia aut non sunt aut saltem non sunt aeterna, et tandem felix existam vel simpliciter non existam ».

γ) Eiusdem rationis debet esse poena ac praemium. Atqui praemium est aeternum. Ergo.

δ) Idem suadet etiam *analogia* desumpta ex *poena a societate* humana lata. Societas humana punit quaedam delicta exclusione perpetua e vita sociali (per exilium vel mortem). Ergo etiam idem admittendum est pro societate divina, ac proinde Deo attribuendum est ius *excludendi reum a se in perpetuum.* Atqui rursus haec societas divina est ex natura sua *aeterna.* Ergo esclusio haec in aeternum durabit.

Arg. II. — (*Ethnologicum*).

Iudicium sensus communis non potest esse errori obnoxium.

Atqui iudicium asserens immortalitatem animae est iudicium sensus communis.

Ergo non potest esse errori obnoxium.

Ad maior. — Sensus communis intelligitur: *inclinatio rationis* (i. e. non caecus instinctus) et quidem inclinatio *natu-*

ralis (i. e. orta sponte — non studio) ad admittenda quaedam iudicia *constantia* et *universalia* circa quasdam veritates obvias, ad vitam « *humanam* » seu vitam homine dignam ducendam *necessarias*. — Infallibilitas iudicii sensus communis patet ex eo, quod:

1. *Natura non deficit in necessariis*, ut patet ex principio *finalitatis* (sive ex indutione sola sive ex consideratione Providentiae Dei desumpto). Sed si iudicium sensus communis esset falsum, natura deficeret in necessariis.

2. Cum nulla assignari possit causa erroris tam *universalis* et tam constantis, ideoque error, si quis esset, fundaretur in sola *natura rationali* — quod repugnat; nam natura rationalis intrinsece et per se tendit ad veritatem ac proinde iudicium, quod non habet aliam originem nisi *solam naturam*, est necessario verum.

Min. — Patet ex sequentibus: 1. Iudicium de immortalitate animae est *universale* et *constans*. Apparet hoc *ex mythologia, ritibus funebrialibus, poësi, philosophia, monumentis sepulchrorum, inscriptionibus*. (Cfr. Knabenbauer, *Das Zeugnis des Menschengeschlechtes für die Unsterblichkeit der Seele*, 18, 78; W. Schneider, *Das andere Leben*, III et IV; *Origines*, *Contra Celsum*, lib. VIII).

Haec persuasio invenitur: *a*) apud *Sinenses*, quorum antiquissimi libri de modo tractant honorandi continuo animas sive *philosophorum* (v. g. Confucii) sive membrorum uniuscuiusque familiae;

b) apud *Egyptios*, ut optime patet ex « Libro mortuorum » et sepulchris, in quibus repraesentatur saepe iudicium hominum post eorum mortem coram Minos et Radamente (praesidet autem Deus Magnus); post iudicium latum alii poenas luunt, alii post peractas purificationes in purgatorio eunt in coelum Osiris;

c) apud *Assyrios* celebratur descensus Istaris ad inferos. (Cfr. Vigouroux, *La bible et les découvertes*, tom. IV, livre 2, chap. 4; Henri Martin, *La vie future* etc.);

d) apud *Phoenices*: animae meliores (alonim) admittuntur a deis ad felicitatem supremam;

e) apud *Persas*: animae malorum torquentur sub imperio Ahrimani in gehenna obscura a spiritibus immundis (Dar-

wand); animae vero piorum recipiuntur in civitate lucis ab Ormusd et animabus puris (Ised);

f) apud *Indos* aliae animae ascendunt coelos superiores, ubi lucent inter deos aetheris, aliae descendunt in coelos inferiores, ubi purgantur sacrificiis, quae homines pro ipsis offerunt, aliae tandem in corpora hominum vel animalium intrant, ubi manent sub ditione deae malae: Kala. In fine saeculorum animae iustorum ultimatim immergentur in ente absoluto, mali torquebuntur in aeternum;

g) eadem persuasio de immortalitate animae apud *Graecos* et *Romanos*, qui habebant Olympum et tartarum, campos Eliseos et alios, ubi animae praemia reportabant vel poenas dabant.

h) Convictio de vita futura inventa est ab exploratoribus in *Islandia*, *Dania*, *Norvegia*, in *Africa* (Cfr. Livingstone); adfuit apud *Celtos*, *Germanos; Cymbros, Slavos, Lithuanos, Indos Occidentales.*

Persuasionem communem de immortalitate animae testantur *scriptores antiqui*: Homerus, Hesiodus, Plutarchus (*Consol. ad uxor.* 61), Celsus, Philo, Plato, (*Phaedon* 62; *Phaedrus* 245, *Republ.* X, 609; *Tim.* 69, *Meno* 80), Seneca (*Epist.* 56, 63, 65, 93, 102; *ad Marciam C.* 24-25), qui convictionem communem de immortalitate animae vocat: « publicam persuasionem », Cicero (*Tuscul.* lib. 1, 20, 27, 43, 66, *De amicitia*) qui eam dicit « consensum omnium gentium ».

Hunc consensum universalem circa immortalitatem animae neque adversarii negant.

Fides haec in populis barbaris *eo fuit purior, quo anterior* (cfr. Bolingbroke, *Works*, vol. V; Cicero, *Tusc.*, lib. I, c. 12, 13); non fundabatur in sola *spe praemii*, quia explicite poenas maximas in vita futura efferebat (*Aeneid.*, lib. VI, vers. 625; *Andrew Lang* contra *Tylor*, *W. Schmidt*, *Oesterreich*).

2. Haec convictio *universalis* et *constans* de immortalitate animae explicari non potest *a*) universali aliqua *illusione*: non illusione *sensuum*, sicut persuasio constans de motu solis; nam testimonium sensuum *potius* ideam omnimodae destructionis homini suggerit; non illusione *somniorum*, in quibus apparent nobis etiam mortui, nam α) homo — dummodo non sit mentecaptus et quidem in statu valde gravi vel dummodo non supponatur gratuito Evolutionismus

absolutus, in quo homo non multo perfectioris crisis instituendae fuit capax ac animal brutum — bene distinguit inter *realitatem* et *apparentiam* somniorum; β) in somnio etiam mortua *animalia bruta* homini apparent. Cur non ea etiam immortalia censet?

b) *Non fraude vel educatione.* Undenam enim in fraudibus vel educationibus *tanta conspiratio*, ut in *unum idemque* omnibus indulcandum efficaciter tendant. Quomodo pauci homines tam *profundam* persuasionem in *toto* genere humano inculcare potuerint? Quae fiunt fraude vel violentia, cessant generatim, ubi cessat causa.

c) Nisi rationes *obviae pro immortalitate* animae omnibus praesto essent, non intelligitur stabilitas et universalitas convictionis, quae pro *passionibus durum iugum* imponit et ad quam repellendam ipsa natura corrupta impellebat homines.

Corollarium I. — De anima separata.

1. Anima, dum a corpore separatur, *non accipit novum* « *esse* » — nam est spiritus, qui in « esse » non pendet a materia —, *nec mutatur in se*, sed mutatur tantum *quoad modum essendi* et quidem mutatione prorsus *negativa*: nullam enim realitatem novam acquirit; sed simpliciter cessat esse corpori unita seu cessat communicare suum esse corpori.

2. Status separationis non est quidem animae intellectivae, proprie loquendo, *violentus*, sed simpliciter connaturalis etsi status unionis sit ei magis naturalis:

Explico: *I. Status separationis non est violentus.*

Violentum est, quod est *contra alicuius naturam.*

Atqui esse aliquando sine corpore non est *contra animae humanae naturam.*

Ergo esse aliquando sine corpore non est animae humanae violentum proindeque status separationis non est violentus.

Ad. min. — Anima humana est natura sua immortalis, corpus vero est natura sua mortale. Atqui enti natura sua immortali debetur esse semper, enti vero natura sua mortali debetur non esse semper; proindeque non est contra naturam animae esse aliquando sine corpore.

Explico: *II. Status unionis est animae humanae magis naturalis.*

Ratio est: Status, in quo res aliqua *totam* suam virtutem explicare valet, est ei magis naturalis, quam alius, in quo non valet.

Atqui status, in quo anima humana *totam* suam virtutem plene explicare valet, est status unionis. Ergo.

Prob. min. — Anima humana est *forma substantialis* (corporis humani).

A. Status, in quo *forma substantialis* totam suam virtutem plene explicare valet, est status unionis.

E. Status, in quo anima humana totam suam virtutem explicare valet, est status unionis.

Ad min. ult. — Nonnisi in statu unionis anima humana explicare potest suam virtutem sensitivam et vegetativam.

3. *Quisnam status: unionis an separationis sit perfectior?* De hac re multum controvertitur.

Nos cum distinctione respondendum censemus. — Si quis per « perfectum » intelligit id, quod est plene *secundum naturam*, status unionis est perfectior statu separationis, ut patet. Nam nonnisi in statu unionis exercere valet operationes suas *omnes* et quidem *modo naturae* suae *convenienti*, ut ex modo dictis apparet.

Si vero quis per « perfectum » intelligit simpliciter id, quod est « *nobilius* », status separationis dicendus est perfectior. Quando enim anima evadit forma a materia separata, mutatis conditionibus existentiae mutatur etiam *intelligibile* proprium et per consequens totus processus intellectionis. Non iam per conversionem ad phantasmata, sed per conversionem ad *obiectum pure spirituale* omnia intelligit: scil. se ipsam intelligit directe per se ipsam; alia vero a se (sive spiritualia sive materialia) intelligit praecipue per species, quae ei sive a Deo solo sive a Deo mediantibus spiritibus (angelis) infunduntur. Cum haec infusio specierum *debeatur* animae, non reddit intellectionem eius vere « supernaturalem ». (S. Th. I. q. 75, a. 6. ad 3; q. 89, a. 1. c.; a. 2. c; a. 3. c.; a. 6. c.; a. 7. c.; *De Ver.* q. 19. a. 1. et 2.; *De An.* a. 15, 17, 18, 20, 21. - Suarez, *De An.* lib. VI. c. 3, n. 1-5; c. 4. n. 1-3; c. 5. n. 1-2; c. 6. n. 1-9; c. 7. n. 2-8).

4. Quae cum ita sint, patet nec statum *unionis* cum *hoc* corpore *corruptibili* nec statum *separationis* plene congruere animae humanae.

Hac praecise difficultate motus animadverit Suarez « statum maxime consonum inclinationi animae nostrae esse perpetuam cum corpore unionem corruptioni non obnoxiam, et a cognitione perfecta rerum omnium non impedibilem, quem statum habebunt animae beatorum post resurrectionem, quae certe resurrectio, si naturalis esset, cessaret difficultas praesens, diceretur quippe animam quasi ab imperfecto ad perfectum procedere, ut primo naturale ei esset residere in corpore, in quo pro aliquo tempore *non uteretur* ratione, deinde, ut paulatim acquireret corpus, in quo *uti* posset *ratione*, sed adhuc imperfecte et quasi in via ad statum perfectiorem; postmodum vero a corpore separatam, subire naturalem conditionem, maioremque intellectus perfectionem acquirere, ut ita omnem essendi modum experiretur. Denique corpori reunitam a Deo nancisci omnem suam perfectionem... Licet resurrectio eo modo, quo nunc fit, et respectu finis, ad quem ordinatur, sit absolute supernaturalis, attamen etiam inter leges naturae sistendo, videri *naturalem conditionem postulare, ut habeat finem aliquem perpetuum non solius animae, sed totius compositi,* et quod aliqua detur retributio malorum et bonorum, non tantum in animabus, sed etiam in compositis: siquidem *homines* ipsi sunt, qui bene vel male operantur [non sola anima]. Unde consequenter dicendum esset, ad providentiam Dei, ut author naturae est, pertinere reunire animam separatam corpori aliquo modo incorruptibili, in quo possit totam suam naturalem perfectionem obtinere et complete beari ». (*De anima*, lib. VI, c. 9, n. 6).

Similem sententiam exprimit S. Thomas. « Manifestum est — ait — ... quod anima corpori naturaliter unitur; est enim secundum suam essentiam corporis forma. Est igitur contra naturam animae absque corpore esse. Nihil autem quod est contra naturam, potest esse perpetuum. Non igitur perpetuo erit anima absque corpore. Cum igitur perpetuo maneat, oportet eam corpori iterato coniungi; quod est resurgere. Immortalitas igitur animarum exigere videtur resurrectionem corporum futuram » (*Contra Gent.* lib. 4, c. 79). « Debetur ... — ait alibi S. Thomas — hominibus et secundum animam et secundum corpus praemium vel poena ... Necessarium igitur est ponere iteratam animae ad corpus coniunctionem » (Ibid.).

Corollarium II. — De lòcutione spirituum.

1. Indubium est nec animas separatas alias nec angelos nec daemones posse directe «secreta cordis» animae intueri.

Omisso *hic* argumento a S. Scriptura desumpto, quae cognitionem secretorum cordis soli Deo tamquam eius praerogativam propriam tribuit, ipsa independentia et dignitas creaturae rationalis postulat, ne actus, quibus se ad finem ultimum refert, sint subiecti aliorum cognitioni.

Unde necessitas communicationis seu «locutionis» inter spiritus.

2. Quomodo haec locutio intelligenda sit? — Res cum certitudine solvi nequit, cum conceptum proprium spiritus atque adeo eius activitatis non habeamus.

Secundum quosdam Scholasticos unus spiritus alteri ideas suas manifestat per hoc solum, quod hanc manifestationem *vult* seu quod voluntatem suam ad alterum dirigit sine ulla impressione in altero causata. — Secundum alios spiritus unus loquitur alteri imprimendo in illo speciem spiritualem, per quam cognitio rei communicandae in ipso causatur. (Cfr. S. Th., I, q. 107, a. 1; a. 2; a. 4, ad a. 5; q. 117, a. 2, c.; *De Ver.*, q. 9, a. 4, 5, 7; II, Dist., II, q. 2, a. 3; Suarez, *De An.*, lib. VI, c. 6, n. 2, sq.; c. 7, n. 6).

Corollarium III. — Non sunt audiendi, qui affirmant alia argumenta afferenda esse ad demonstrandam permanentiam personae *physicae*, alia vero ad probandam permanentiam personae *moralis*. Persona physica enim et persona moralis non sunt nisi duae formalitates unius eiusdemque rei.

Schol. I. — De potentiis sensitivis in anima separata.

1. Ut habeatur formaliter potentia sensitiva, debet necessario praesto esse corpus, et quidem apte dispositum seu organum, ut alibi (th. VIII) est dictum. Ex quo patet potentiam sensitivam simpliciter perire per omnem « *indispositionem* » corporis, qua simpliciter destruitur dispositio specialis propria organi.

2. Quia anima intellectiva per mortem hominis simpliciter perdit omnia organa, inde clare elucet animam separatam non habere potentias sensitivas formaliter sed tantum radicaliter (Cf. S. Th., I, p., q. 77 a 5).

Idem valet etiam de potentiis vegetativis.

SCHOL. II. — POSSITNE CORPUS HUMANUM DICI INSTRUMENTUM ANIMAE INTELLECTIVAE.

1. Ut aliquid dici possit sensu stricto « instrumentum », debet ab aliquo agente assumi (eo fine), ut eum iuvet in aliqua actione perficienda. Assumptio autem, de qua in praesenti est sermo, fit — ut alibi explicavimus — formaliter per motionem impressam ab agente rei, quae tamquam instrumentum adhibenda est. Vi huius motionis receptae subordinatur res formaliter in ratione instrumenti fitque capax exequendi — simul cum principali agente et in stricta dependentia ab eo — opus aliquod se superius: cultellus, qui ex se (ratione suarum proprietatum physicarum, naturalium) capax est simpliciter *scindendi* lignum, fit capax scindendi ipsum *artificialiter*.

2. Corpus hominis — vel strictus loquendo — materia, qua homo constat, ex se (ratione sui) nullam operationem exequi potest, cum materia nullum actum habeat (operatio seu actus secundus impossibilis est sine actu primo!).

Tantum quatenus recipit in se motionem ab anima « formalem » et mediante ea etiam efficientem, (Cfr. *La psychophysique humaine d'après Aristote*, pag. 58-87), capax fit materia producendi operationes mechanicas, vegetativas et sensitivas. Non exequitur quidem hasce operationes sola materia — ut evidenter patet — ideoque neque est earum causa principalis — at vere in illis profunda vestigia sui concursus efficacis relinquit (cfr. th. VIII); ideoque iuremerito dici potest *instrumentum coniunctum animae sensitivae et vegetativae* in dictis operationibus.

3. Si vero considerantur operationes intellectivae, materia non concurrit iam hic tamquam conprincipium — cum operationes intellectivae sint operationes solius intellectus possibilis —; attamen vere — licet *extrinsece* — eas praeparat, producendo (sub influxu intellectus agentis) speciem impressam in intellectu possibili.

Quare non immerito corpus hominis vocari potest *instrumentum separatum* animae intellectivae, qua intellectivae.

4. Non desunt, qui dicant: corpus in operationibus sensitivis et vegetativis animae concurrit tamquam causa; in operationibus vero stricte intellectivis tamquam instrumentum.

Locutio haec nobis non placet, cum immerito oppositionem realem faciat inter rationem *causae* et rationem *instrumenti*. Instrumentum enim est etiam vera *causa*, licet subordinata causae alteri (principali)!

5. Sunt, qui instrumentum coniunctum vocent omne instrumentum, quod in « substantiali » esse « agentis participat » (v. g. manus, bracchia), nomen vero « instrumenti separati » reservent instrumentis, quae habent esse distinctum ab esse agentis v. g. baculum. — Criterium igitur pro distinctione instrumenti coniuncti ab instrumento separato desumunt, ut patet, ex relatione instrumenti ad *agentem*.

Haec notio omnino recta — immo primaria — est, at non unica. Praeter eam admitti debet alia adhuc notio instrumenti coniuncti et separati, illa videl. quae desumitur ex relatione instrumenti ad ipsam *actionem*, ad quam concurrit. — Hoc praecise sensu superius de instrumento coniuncto et separato nos locuti sumus.

OBIECTIONES.

1) *Quod est compositum, non est immortale.*
A. Anima intellectiva est composita — ex essentia et esse. Ergo.

Rs. Dst. Mai. — Quod est compositum in ordine essentiae . . . C. Quod est compositum in ordine entis, Sbds. non est immortale « absolute » seu « essentialiter » C; non est immortale « naturaliter » N.

Ctds. Min. — N. Cons.

2) *Quod potest destrui, non potest dici immortale.*
A. Anima destrui potest. Ergo.

Rs. Dst. Mai. — Quod potest destrui sive *per se* sive *per accidens* . . . C. Quod potest destrui per solam denegationem concursus influentis esse seu per annihilationem, Sbds. non potest dici immortale « essentialiter (absolute) C, « naturaliter » N.

Ctds. Min. — N. Cons.

Dices: *Cum certitudine sciri non potest, utrum Deus reapse conservaturus sit animas rationales. — Deus enim non tenetur ad reddendum praemium merito.*

Rs. N. Ant.

Ad Probat. — Deus non tenetur ad hoc propter solum meritum humanum C, non tenetur ad hoc propter sua attributa N.

3) *Si anima posset subsistere separata a corpore, non esset forma corporis.*
A. Falsum consequens.
E. Et antecedens.

Rs. Dst. Mai. — . . . . non esset forma corporis *actu* informans C, non esset forma corporis aptitudinaliter et exigitive N.
Ctds. Min. — N. Cons.

Anima separata conservat *relationem transcendentalem* ad corpus — quod actu informabat — in ratione actus ad potentiam! Haec relatio sufficit, ut dici possit forma corporis, sicut sufficit, ut diversificetur ab aliis formis separatis (Cfr. S. Th., *C. Gent.*, II, c. 81).

4) *Morbi disponunt ad mortem proindeque quod est subiectum morbis, est etiam subiectum morti.*
A. Anima intellectiva est subiecta morbis (v. g. dementiae). E.

Dst. Iam partem Mai. — Morbi *corporales* disponuunt ad mortem C; morbi animae . . . N.

Dst. IIam partem Mai. — Quod est subiectum morbis *corporalibus*, est etiam subiectum morti C. Quod est subiectum morbis *animae*, est etiam subiectum morti N. vel, Sbds. si hi morbi essent animae *per se* Tr., si hi morbi sunt animae *per accidens* N.

Ctds. Min. — N. Cons.

Anima subiecta est dementiae non per se seu ratione sui sed ratione perturbationis facultatum inferiorum, quae intrinsece ligatae sunt corpori.

Dices: *Anima perdit aliquando suas proprias intellectivas facultates: conscientiam, memoriam, vim motricem etc.*

Rs. Dst. assertum. — . . . perdit formaliter ipsas facultates *intellectivas* (spirituales) N, earum exercitium Sbds. per se N. per accidens (propter defectum debiti instrumenti scil. corporis) C.

5) *Si anima intellectiva esset naturaliter immortalis, non timeret mortem naturaliter (nam mors ei non afferret finem essendi).*
A. Falsum consequens, ut ex experientia patet.
E. Et antecedens.

Rs. — Si anima intellectiva esset naturaliter immortalis et *non unita corpori naturaliter* in ratione formae corporis . . . C. Si . . . et *est unita corpori naturaliter* in ratione formae corporis, Sbds. non timeret mortem modo *insuperabili* C, nec modo superabili . . . Sbds. . . . per se . . . C, per accidens N. vel Trans.

Anima non est purus spiritus, sed forma substantialis corporis. Qua forma substantialis corporis est corpori naturaliter coniuncta, atque ex hac sua unione *naturaliter varia bona acquirit* (mediante vegetatione, sensatione etc.). Periculum perdendi haec bona vel solum iam explicare posset timorem mortis (adde timorem *responsabilitatis*, poenae futurae, ignorantiam status futuri etc.). At hic timor — secus ac in animalibus brutis — in homine non est insuperabilis — saltem per se (per accidens potest esse insuperabilis, ratione v. g. morbi nervorum, constitutionis psychicae pathologicae etc.).

Instabis. — *Homo, dum naturaliter abhorret mortem, naturaliter appetit vitam in infinitum durabilem.*

A. Hic appetitus non expletur (quia reapse homo moritur).

E. A pari etiam desiderium perennis existentiae simpliciter poterit non expleri.

Rs. Dst. Mai. — . . . . naturaliter appetit *simpliciter vitam* in infinitum durabilem C, *modum huius vitae* perennis, scil. vitam in corpore ducendam N.

Ctds. min. — Appetitus, quo appetitur *simpliciter vita* in infinitum durabilis, non expletur N. Appetitus, quo *modus* huius vitae ducendae appetitur C et N. *suppositum* appetitum hunc esse naturalem.

Cum appetitus naturalis sit pondus seu inclinatio profunda naturae in suum proprium bonum seu in bonum huic naturae apprime proportionatum, homo qui est simul et animal et ens rationale, necessario habet inclinationem naturalem tum in bonum proprium *animalis*, tum in bonum proprium naturae *rationalis*. Porro bonum proprium animalis non est existentia *perennis* — haec enim animali, utpote enti essentialiter composito, naturaliter repugnat — immo nec est existentia (esse) *qua talis*: existentia enim, qua talis, facultatibus sensitivis, quibus solis instructum est animal, attingi nequit.

Quare si animal in periculo mortis ostendit appetitum vitandi mortem, appetitus hic fertur directe non in vitam (existentiam) perennem, immo nec simpliciter in vitam (existentiam), qua talem, sed tantum in malum aliquod particulare (dolorem) — sensibus (praecipue instinctu) apprehensum — vitandum.

Mors sine dolore sensibili seu omnino non violenta, illa v. g. quae accidit propter senium, minime appetitu animalis excluditur, cum cognitione sensitiva minime attingatur.

Prorsus alio modo res se habet cum ente spirituali. Bonum eius proprium est *existentia (vita) perennis.* Talis enim existentia huic enti, utpote spirituali et simplici, naturaliter convenit, et naturaliter ab eo cognoscitur tamquam radix ontologica et fundamentum necessarium suae felicitatis seu beatitudinis perfectae, in quam pondere suae naturae (hinc necessario) fertur.

At ipse *modus huius vitae* (existentiae) perennis, utrum videl. ducenda sit in hac ipsa terra, an alibi, minime cadit sub appetitum naturalem hominis; nam ab homine minime cognoscitur tamquam *necessarium fundamentum* eius beatitudinis perfectae.

Quod vel *experientia* ipsa patet; plurimi sancti abiectis omnibus vitae terrestris emolumentis, mortem sincere exoptant eamque cum gaudio suscipiunt; alii bene multi vitae inordinatae fastidiosi ultro sibi mortem inferunt. Etsi quis — in aliquo casu particulari — de facto iudicet erronee vitam perennem esse sibi necessariam ad habendam beatitudinem perfectam, iudicium hoc non est a natura ipsa determinatum (quod enim a natura est, aeque in omnibus adest), sed ab ipso elicitum.

6) *Homines appetitu naturali aversantur dolores.*

A. Hic appetitus non impletur (ut patet experientia).

E. A pari etiam appetitus vitae (existentiae) perennis poterit non expleri.

Rs. Dst. Mai. — Homines appetitu naturali *proprie dicto* aversantur dolores N. . . . *improprie dicto* C. . . .

Ctds. min. — N. Cons.

Solam *beatitudinem in genere* appetit homo modo *absoluto,* invincibili; hinc sola beatitudo in genere constituit obiectum appetitus *vere naturalis.*

Dolores autem aversatur homo non absolute sed conditionate tantum, quatenus videl. dolores faciunt *impossibilem adeptionem beatitudinis perfectae.* Porro sunt dolores, qui non tantum non impediunt eam, verum potius ad eam — saltem indirecte — ducunt. Dolor (in hac vita) est malum *relativum* non absolutum ideoque etiam ab ente rationali (quod videl. concipit rationes absolutas et relativas) *aliquando* appeti potest; — utique, non sub *formali ratione malitiae,* qua talis; haec enim, utpote directe opposita bono, qua tali, seu beatitudini perfectae, numquam appeti potest — sed quatenus in hoc dolore *quaedam* ratio bonitatis saltem in limitato gradu elucet (v. g. quatenus cavet hominem a maiore malo . . .).

7) *Quod est contingens, tendit ex se in nihilum.*
A. Anima rationalis est contingens. E.

Rs. Dst. Mai. — Quod est contingens *physice* (i. e. in essentia sua compositum e partibus) . . . C. Quod est contingens tantum *metaphysice* (i. e. habet esse participatum) Sbds. tendit in nihilum *sensu proprio* N, sensu *improprio*, quatenus videl. ex se eget continuo causa conservante, ut in existentia perseveret C.

C. min. — Dst. pariter cons. — Tendentia (potentia) realis *proprie* loquendo non est nisi ad « esse » tantum. Ad « non esse » non datur tendentia nisi sensu quodam improprio, ut patet consideranti notiones actus et potentiae.

8) *Ubi deficit finis, propter quem res existit, et ipsa haec res deficiat necesse est.*
A. Composito humano soluto deficit finis, propter quem anima est (scil. informare).

Rs. Dst. Mai. — Ubi deficit finis *adaequatus* et *ultimus* . . . C. Ubi deficit finis inadaequatus et proximus . . . N.

Ctds. min. — N. Cons.

Finis adaequatus et ultimus animae intellectivae est *gloria Dei* et *felicitas* ipsius animae. Informatio corporis est finis tantum secundarium tamquam medium essentialiter subordinatum fini ultimo.

9) *Neque sanctio aeterna est sufficiens, cum non deterreat multos a peccatis. E.*

Rs. Dst. Antc. — . . . non est sufficiens *per se* i. e. *in se* non habet vim capacem deterrendi ens rationale a peccato N. (Reapse multos, illos videl. qui sequuntur fideliter naturam suam rationalem, deterret!) . . . non est sufficiens *per accidens* C. (i. e. eos, qui ductum rationis nolunt sequi, non avertit a malo).

10) *Si omnis appetitus naturalis debet necessario expleri, ergo etiam appetitus beatitudinis perfectae in damnatis existens aliquando expleri deberet.*

Rs. Dst. Antc. — Si omnis appetitus naturalis debet necessario expleri hoc sensu, quod ille, qui eum imprimit (Deus creans naturam), debet ex se realisationem huius appetitus plene *possibilem* reddere C., hoc sensu, quod eam *absolute* in omni hypothesi *de facto* debet conferre N.

THESIS XXXVIII.

Anima intellectiva a Deo creatur.

1. St. Qu. — 1. Thesi praesenti aggredimur problema de *origine hominis*. Quod problema duas partes apprime distinctas complectitur:

a) qualisnam sit *origo singulorum* hominum, quos nasci videmus.

b) qualisnam fuerit *prima* origo *generis humani* seu primorum hominum; puta, utrum protoparentes nostri nati sint mera evolutione materiae brutae vel beluarum an alia via.

Thesis presens primum problema solvendum suscipit.

2. At cum homo constet corpore et anima, problema modo enuntiatum sponte bifariam dispescitur:

α) qualisnam sit origo *corporis* hominis.

β) qualisnam sit origo *animae* humanae.

Primum horum problematum nullam facit specialem difficultatem; constat enim corpus humanum generari ex materia a parentibus subministrata modo simili ac corpus aliorum animalium. (Cfr. quae de generatione th. III. pag. 33 et th. VIII, pag. 65, docuimus).

Solum igitur problema secundum in considerationem venit.

2. Sententiae.

I. *Emanatismus Pantheisticus*: anima emanat e substantia Divina sive *a*) tamquam particula decerpta — ad eum fere modum, quo radius a sole decerpitur, sive *b*) tamquam « modus » (phaenomenon), quo substantia Divina « exprimitur » (manifestatur). — In theoria sub *a*) anima, licet intrinsece constituatur realitate Divina, nihilominus extra Deum in se ipso subsistit. Ita *Stoici*, secundum quos Deus est anima mundi, *Neoplatonici*, *Gnostici*, *Manichaei* et *Theosophi*. In theoria sub *b*), quae est Pantheistarum modernorum (praecipue a Spinozae temporibus) anima humana non est nisi singularis manifestatio seu *expressio* substantiae divinae.

Falsitas Emanatismi Pantheistici ex professo in Theod. demonstratur: anima humana non potest derivari emanatione e substantia Divina, cum haec sit simplicissima et absolute

(physice, metaphysice, moraliter) immutabilis (Cfr. S. August. *Epist.* 166, § 3; *Contra Fortunatum Manich.* Disp. I, § 11).

II. *Traducianismus seu Generatianismus.* — Etymologice rem considerando, Traducianismus venit a « traduce » i. e. a propagine vitis, quae ab una arbore in aliam traducitur. — Secundum hanc doctrinam animae generantur a parentibus ipsis; quod quidem *duplici* modo fieri potest: per semen *corporale* parentum — ita tenet *Traducianismus materialisticus*; per semen *spirituale* ab anima parentum emissum — ita docent fautores Traducianismi *spiritualistici.*

Secundum Traducianismum materialisticum parentes generant animam intellectivam per id ipsum, per quod gignunt corpus: pars videl. materialis a parentibus separata vel simpliciter producit in se animam vel forte iam eam continet. Ita Tertullianus (*De anima*, 19; 27). — Alii vero ita rem explicabant: simpliciter seu per se producunt parentes hominem, animan rationalem vero non producunt nisi per accidens educendo videl. eam e potentia materiae eo fere modo, quo res fit in brutis. — Accedit ad hanc sententiam *Rosmini*, qui dicit: parentes generant solam animam sensitivam, quam Deus deinde illuminat, infundendo illi ideam entis, ut sic. Et ita anima sensitiva evadit intellectiva. Rosminio paraverunt viam quidam Veteres (Cfr. S. Th. I. q. 118, ad 2um), qui docuerunt: eadem numero anima, quae initio est in corpore humano vegetativa, virtute seminis ad hoc perducitur, ut fiat sensitiva, et tandem, ut virtute Dei illustrantis fiat intellectiva (Theoria conversionis).

Secundum Traducianismum spiritualisticum anima generatur ex semine spirituali deciso a patris anima ad eum fere modum, quo una flamma accendit aliam flammam sine sui divisione: « tamquam lucerna de lucerna accenditur, ut sine detrimento alterius alter inde ignis existat » (S. Augustinus, *Ep. 190 ad Opt.*). — In hanc sententiam propendebant praeter *S. Augustinum S. Gregorius Magnus*, *Isidorus Hispalensis*, *Rabanus Maurus*, quia propagationem peccati originalis facillime, ut patet, explicat.

Similem sententiam tenebant *Apollinaristae* post Apollinarem et *Luciferiani*, qui admittebant quendam traducem incorporeum, quem tamen concipiebant ad modum materiae spiritualis. « Haec doctrina — notat Leibniz — docetur etiam

a magna parte theologorum confessionis Ausburgensis » (Theod. *Essais sur le bonté de Dieu*, part. I. n. 86).

Ex catholicis modernis hanc sententiam profitebantur saeculo XIX nonnulli v. g. *Hermes*, *Oischinger*.

III. *Evolutionismus anthropologicus*: primi homines tum quoad corpus tum etiam quoad animam orti sunt aliquando per *evolutionem* ex brutis; etiam hodie animae hominum non creantur a Deo, sed a parentibus generantur similiter ac animae brutorum generantur ab animalibus brutis.

IV. *Creationismus*: anima humana *creatione* oritur. — Quae sententia dispescitur in tres partes: *a*) anima humana creatur ab *angelis*. Ita v. g. *Avicenna*; *b*) anima humana creatur ab ipsis *parentibus*. Ita *Klee* et *Frohschammer*, qui « generatio — ait — actus est naturae humanae, quo aliquid ex nihilo creatur per vim creandi secundariam, quam Deus generi humano communicavit », *c*) anima humana immediate a *Deo* creatur. Ita Scholastici post S. S. Patres: *Hilarium, Ambrosium, Hieronimum* et *Leonem Magnum*.

Hanc ultimam sententiam thesis nostra defendendam suscipit.

3. Explicatio terminorum. — 1. *Creatio* definitur: 1) « productio rei ex nihilo sui et subiecti » ; 2) « productio rei secundum totam substantiam » ; 3) « productio alicuius rei secundum totam substantiam nullo praesupposito ».

Definitio 1. exibet creationem ope termini « *a quo* »; definitio 2. ope termini « *ad quem* » ; definitio 3. ope termini *utriusque*.

Vox « ex nihilo » in definitione 1. non exprimit *causalitatem* materialem. Repugnat enim nihilo, ut patet, esse *subiectum, ex quo* aliqua res construeretur. Sed exprimit simpliciter *ordinem* et quidem non realem, sed tantum *rationis*. Ordo enim realis non potest dari nisi inter duos terminos positivos; inter terminum vero negativum et positivum adesse potest ordo tantum rationis, qualem exprimimus v. g. dum enuntiamus propositionem: « ex nocte fit dies », ordo merae *successionis*: post noctem fit dies. Vel si mavis, potes tenere verbis « ex nihilo » exprimi reapse causalitatem materialem, sed statim adiunge: ita eam exprimi, ut praecise negetur. Dicere enim: « aliquid fit ex nihilo » idem est ac dicere: « non fit ex aliquo ».

2. Cum creatio incipiat a *puro nihilo*, ratio, sub qua creatio primo et per se obiectum suum (effectum) attingit, est « esse » ut sic, « seu » ens, qua ens, absolute et simpliciter.

Per hoc apparet evidenter differentia inter creationem et generationem. Quia generatio essentialiter postulat subiectum (causam materialem) et eo spectat, ut educatur in actum id, quod in subiecto invenitur iam in potentia (unde etiam generatio est quidem productio ex nihilo « sui », sed non ex nihilo « subiecti »), ideo ratio, sub qua generatio primo et per se attingit effectum, non est « esse » ut sic — res enim, circa quam versatur, iam in ordine rerum est — sed *hoc* seu *tale* esse. Aliis verbis, terminus creationis est *totum ens*, generationis vero est ens secundum novam *formam*.

Unde facile etiam intelligitur alia definitio creationis: « creatio est productio alicuius rei secundum totam substantiam, nullo praesupposito ». Verba « secundum totam sustantiam » excludunt praecise a notione creationis illas actiones, quarum effectus sunt solae *formae* introducendae (sive substantiales sive accidentales).

Ex quo patet « creari » proprie posse solas *substantias* (et quidem *completas*); nam accidens, qua tale, natura sua praesupponit semper *subiectum*, cui « inhaereat »; forma substantialis praesupponit subiectum, quod « informet »; creatio autem *nihil subiecti* praesupponit. — Reliqua omnia — quae non « ipsa » sunt, sed « ipsis » aliquid est — dicuntur « concreari », et quidem non hoc tantum sensu, quod simul cum substantia creantur, sed quod supponunt subiectum, cui insint.

Hisce positis facile patet etiam sensus alius definitionis creationis; « adductio rei ex non esse ad esse » —, in qua « esse » sumitur pro actualitate prima entis, quod producitur, « non esse » autem intelligitur simpliciter, hinc tum pro actu tum etiam pro potentia — vel adhuc alius definitionis « creatio est productio entis, in quantum est ens », et non in quantum est *tale* ens. *Nihilo* enim, qua tali, opponitur *ens*, qua ens.

3. Ex hucusque dictis patet creationem non esse *mutationem* proprie dictam. Haec enim involvit rem aliter se habere nunc ac se hubuit prius. Sed res, quae creatione oritur, simpliciter non erat prius, hinc nec aliter se habere potuit. Nihilominus creatio *intelligitur* a nobis ad modum alicuius mutationis et quidem mutationis instantaneae.

4. Thesim praesentem duplici passu absolvemus:
I. *Anima intellectiva non oritur generatione.*
II. *Anima intellectiva creatur a Deo.*

Probatur Thesis.

PASSUS I. — ANIMA INTELLECTIVA NON ORITUR GENERATIONE.

ARG. I. — Quod generatur, generatur per se vel per accidens.

Atqui anima intellectiva nec per se nec per accidens generari potest.

Ergo anima intellectiva non generatur.

Prob. min. per partes:

PARS. I. — Quod generatur per se, constat potentia et actu in ordine essentiae.

Atqui anima humana non constat potentia et actu in ordine essentiae.

Ergo anima humana non generatur per se.

Ad min. ult. — Anima intellectiva est substantialiter *simplex*.

PARS. II. — Quod generatur per accidens, pendet in existendo a composito, cuius est forma.

Atqui anima intellectiva non pendet in existendo a composito, cuius est forma.

Ergo anima intellectiva non generatur per accidens.

Ad. min. ult. — Anima intellectiva est *spiritualis.*

ARG. II. — *Directe contra Generatianismum seu Traducianismum materialem.*

Semen corporeum, quodcumque tandem ipsum fingitur, non est nisi substantia quaedam materialis, viribus materialibus praedita.

Atqui talis substantia nequit producere animam intellectivam.

Ergo semen corporeum, quodcumque tandem ipsum fingitur, nequit producere animam humanam.

Prob. min. — Anima humana est ens spirituale.

Atqui ens spirituale non potest a semine materiali produci.

Ergo anima humana non potest a semine materiali produci.

Prob. min. ult.: a) Ens spirituale non pendet in « esse » intrinsece a materia.

A. (I) Quod non pendet in « esse » intrinsece a materia, neque in « fieri » potest intrinsece ab ea pendere.

A. rursus. (II) Quod non pendet in « fieri » intrinsece a materia, non potest, ut patet, produci a semine materiali.

E. Ens spirituale non potest a semine materiali produci.

Prob. min. ult. (I): *a*) « Fieri » ordinatur essentialiter ad « esse », est enim « via » ad « esse », hinc talis naturae sit oportet, qualis et « esse ».

b) Idem patet ex notione *actionis*. Actio non est nisi communicatio formae. Quodsi haec forma est pars constitutiva corporis, ut fit in omni ente materiali, non potest ipsa se communicare nisi mediantibus accidentibus materialibus (motu mechanico et qualitativo). Sed accidentia materialia non possunt attingere effectum immaterialem seu spiritualem, ut patet ex principio causalitatis.

Min. II. — Patet per se.

Nec iuvat hic ad theoriam s. d. « conversionis » appellare, secundum quam parentes generarent solam animam inferiorem seu organicam, quae deinde sive receptione ideae *entis ut sic* sive quocumque tandem modo in animam spiritualem trasformaretur.

Talis enim receptio accidentis spiritualis in ente materiali nec naturaliter possibilis est, nec — si esset possibilis — substantiam materialem in substantiam immaterialem transformare valet, ut patet. Transformatio enim talis, ut aliunde constat, requirit subiectum commune, quod videl. in utroque termino (« a quo » et « ad quem ») identicum maneat solis dumtaxat formis sibi succedentibus; proindeque locum habere potest tantum in entibus substantialiter compositis, non vero simplicibus.

Insuper quomodo animae inferiori, puta: sensitivae idea abstracta entis manifestari valet? — Deinde si anima sensitiva fieret intellectiva per meram manifestationem ei entis ut sic,

nonne anima dicenda esset spiritualis non per essentiam suam, sed per aliquid a se distinctum? Anima canis fieri posset aequo modo spiritualis ac humana — si videl. Deus ei manifestare velit ideam entis!

ARG. III. — *Directe contra Generatianismum seu Traductionismum spiritualem.*

Anima parentum, quippe quae sit *simplex*, in partes dividi non potest atque adeo « semen spirituale » repugnat.

PASSUS II. — ANIMA INTELLECTIVA CREATUR A DEO.

Arg. — Quale est « esse » entis, tale est etiam eius « fieri ».

Atqui (I) « esse » animae intellectivae est intrinsece independens a materia.

Ergo etiam « fieri » eius est intrinsece independens a materia.

Atqui rursus (II) « fieri » intrinsece independens a materia est praecise creatio.

Ergo anima intellectiva creatur.

A. Iterum (III) solus Deus creare potest.

Ergo anima humana a Deo creatur.

Mai. Patet ex dictis in argumento primo.

Min. (I) — Fluit ex thesi de *spiritualitate* animae humanae.

Min. (II) — Evidens est ex notione *creationis* in St. Qu. tradita.

Min. (III) — Probatur et professo in Theodic.

(Cf. S. Th. I, q. 32, a. 1 ad 2: 45, a. 5 c. et ad 3; 47, a. 1 c.; 65, a. 3 c. et ad 3; 90, a. 3 c.; 104, a. 3, ad 1, 3).

COROLL. — Argumenta modo allata evidenter ostendunt Transformismum non posse ullo modo extendi ad *animam* humanam; haec enim nulla prorsus transmutatione animae bruti oriri potest, sed sola creatione immediata a Deo haberi potest.

SCHOL. I. — ANIMA HUMANA CREATUR IN IPSO CORPORE, QUOD NATA EST INFORMARE.

1. Non desunt, qui doceant animas humanas creatas a Deo praeextitisse corporibus. Ita docuerunt post *Platonem* (Cf. Tim. 41-*b*, 42-*c*). *Platonici, Origenistae* et *Leibniz.*

2. Doctrina haec sustineri non potest propter rationes, quae sequuntur.

1. Quod fit immediate a Deo et sine concursu causarum secundarum, possidet statim ab initio suae existentiae totam perfectionem sibi connaturaliter debitam.

Atqui (I) anima humana fit immediata a Deo et sine concursu causarum secundarum.

Ergo possidet statim ab initio suae existentiae totam perfectionem sibi connaturaliter debitam.

Atqui rursus (II) anima humana non possidet totam perfectionem sibi connaturaliter debitam nisi in corpore, quod nata est informare.

Ergo anima humana creatur in ipso corpore, quod nata est informare.

Mai. — Aliter agere argueret imperfectionem Dei agentis, quod admitti non potest. Cfr. S. Th., I, q. 90, a. 4; q. 118, a. 3, c. *Q. disp.* III, *de Pot.* a. 10.

Min. I. — Modo probata est in thesi praesenti.

Min. II. — Patet ex eo, quod, ut alibi ex professo ostenditur, anima humana est *forma substantialis* corporis humani.

2. In sententia, quae tenet animam humanam creatam esse ante corpus, non intelligitur bene, cur anima nullam prorsus retineat *memoriam* eorum, quae in statu praeexistentiae fecisse dicitur. Si enim naturaliter existebat ante corpus, naturaliter etiam quasdam operationes exercere debebat!

3. Quod est forma (actus) alicuius, *non praecedit* ipsum tempore sed ipsum supponit.

A. Anima est forma corporis humani. E. (Cfr. *C. Gent.* 1, II, c. 83).

OBIECTIONES.

1) *Si anima intellectiva creatur a Deo, parentes non producunt formam hominis.*

A. Qui non producit formam hominis, non generat hominem.

E. Si anima intellectiva creatur a Deo, parentes non generant hominem.

Rs. Dst. Mai. — . . . non producunt formam hominis *quoad substantiam* eius C; *quoad informationem* eius, Sbds. directe C. (directe

producit informationem ipsa causa producens formam, cum informatio sit *formalis* effectus formae); ne indirecte quidem N.

CTDS. MIN. — N. Cons.

Licet parentes sint causa *solius* corporis, iuremerito hominem generare dicuntur. Etenim *a*) dum praebent materiam eique dispositionem dant, quae spectata *lege* a Deo lata — infusionem animae intellectivae naturaliter postulat, parentes sunt vera causa — licet indirecta — ipsius informationis corporis ab anima intellectiva proindeque etiam causa sunt *hominis* (sunt enim causa, cur generatum participet eorum naturam). *b*) Idem patet ex contrario. Ut quis hominem occidere dicatur, minime requiritur, ut ipsam animam occidat; sufficit materiam hominis reddere incapacem, quae ab anima intellectiva informetur. Aliis verbis sufficit disponere materiam ad amittendam animam intellectivam.

2) *Si anima intellectiva producitur a Deo, corpus vero a generantibus, datur in homine generato duplex « actio ».*

A. Si datur in homine duplex actio, datur in eo etiam duplex « esse ».

E. Si anima intellectiva producitur a Deo, datur in homine duplex « esse ».

RS. DST. MAI. — . . . duplex actio *subordinata* et tendens essentialiter in *unum terminum* (scil. ens compositum per se unum) C . . . duplex actio *independens* et tendens in *duplicem* terminum N.

CTDS. MIN. — N. Cons.

3) *Actio, qua novum ens vivens directe producitur, est perfectior, quam actio, qua tantum indirecte materiae dispositio efficitur.*

A. Hoc praecise modo differunt a se generatio beluae et hominis.

E. Generatio beluae est perfectior quam generatio hominis.

RS. DST. MAI. — . . . est perfectior spectato termino actionis *proximo* Tr. spectato termino actionis *ultimo* N.

C. MIN. - DST. PARITER CONS.

4) *Si omnis anima intellectiva a Deo creatur, tunc etiam anima infantis in adulterio nati a Deo creatur.*

A. Si anima infantis in adulterio nati a Deo creatur, Deus concurrit in peccato adulterii.

E. Si omnis anima intellectiva a Deo creatur, Deus concurrit in peccato adulterii.

RS. C. MAI. - DST. MIN. — Deus concurrit *ad materiale peccati* (actionem physice spectatam) C. ad *formale* peccati N.

Dst. pariter Cons.

5) *Generatio hominis dicitur generatio univoca.*

A. Generatio tunc univoca dicitur, quando generans tribuit generato speciem.

A. rursus. Tunc generans tribuit generato speciem, quando tribuit ei formam. E.

Rs. C. Mai. - C. min. I.

Dst. min. II. — . . . quando tribuit ei formam *sive educendo eam de potentia materiae* sive *disponendo materiam* ad hoc, ut naturaliter exigat sibi infundi formam C. necessario educendo formam de potentia materiae N.

6) *Inter filios et parentes existit similitudo etiam quoad qualitates intellectuales et morales, quae explicari non potest nisi communicatione animae infantis ab anima parentum. E.*

Rs. Dst. Mai. — . . . datur similitudo . . . *semper* N., *saepe* Sbds. propter *dispositiones in organismo* depositas (vitae intellectivae inservientes) vel propter *educationem* (exempla) C, necessario propter communicationem animae ab anima parentum N.

THESIS XXXIX.

Systema Reincarnationis, philosophice consideratum, prorsus reiciendum est.

1. Notiones 1. — *Systema Reincarnationis*, generalissime sumptum, intelligitur doctrina, quae docet « transmigrationem » animarum seu quae asserit *unam eandemque numero animam habitare successive in diversis corporibus.* Unde etiam nomen — in lingua latina: Reincarnatio, Transmigratio — et in lingua graeca: Metempsychosis, Palingenesis.

In hac notione generalissima omnes fautores Reincarnationis conveniunt. At ubi ulteriorem expolitionem huius notionis aggrediuntur, maxima diversitas inter eos statim apparet:

a) circa *longitudinem seriei reincarnationum* successivarum et *conscientiam personalitatis* in iis conservandae: α) secundum alios anima humana transit seriem reincarnationum *limitatam* (« purgatorium »), secundum alios vero *illimitatam*; β) secundum alios anima in successivis suis reincarnationibus

conservat plus minusve distincte *conscientiam* suae personalitatis propriae, secundum alios autem eam *non* conservat.

b) Similis controversia existit circa *durationem intervalli*, quod intercedit inter duas incarnationes successivas: dum alii putant hoc intervallum esse longum (1200-1500 annos secundum Reincarnationistas *Theosophiae* et *Occultismo* deditos), alii e contra aut affirmant ipsum esse valde breve (praesertim in casu mortis praematurae: infantes, milites in bello occisi fere statim postquam morti sunt, reincarnantur) aut docent ipsum nulla regula stricte definiri posse.

c) Similis dissensus adest circa *corpora assumenda*: α) dum alii putant reincarnationes successivas monstrare *progressum* constantem et continuum proindeque animam humanam nonnisi in corpore humano reincarnari posse, alii e contra reincarnationem animae humanae in corpore bruti (immo etiam plantae) possibilem tenent; (β) dum alii docent animam reincarnari stabiliter in *eodem sexu*, alii asserunt eam reincarnari in sexibus diversis, ut « ita homo plenitudinem naturae humanae » acquirat. — Non desunt etiam, qui expresse doceant reincarnationes masculinas et femininas sibi *alternatim* succedere.

d) Item controvertitur de *loco* reincarnationum: secundum alios *terra*, secundum vero alios quaecumque *planeta* (vel astrum).

e) Disputatur etiam multum de hoc, *quidnam* praecise *ex anima* humana transeat ex uno corpore in aliud: an *tota* anima (ita fautores moderni Reincarnationis), an tantum *quaedam* eius elementa *psychica*: memoria, imaginatio (ita, ut plurimum, veteres fautores metempsychosis *Phytagoreae* et *Orphicae* et insuper fautores « Transmigrationis » vigentis in Oriente).

2. Conspectus historicus.

I. *Aegyptus*. In « Libro mortis » adest reincarnatio connexa cum notione iudicii post mortem: transmigratio in formas viventium inferiorum apparet tamquam *poena* pro peccato. (Cfr. Herodot. II, 123); ideo praecise eligebantur ad sacrificia ab Aegyptiis determinata quaedam animalia prae caeteris, quia putabantur habitata a personis admodum malignis (ita refert Plutarchus).

Animae ordinariae, ut refert Plato, secundum Aegyptios revertebantur post 10.000 annorum ad formam humanam, animae philosophorum post 3.000 annorum.

Fundamentum theoriae reincarnationisticae Aegyptiorum fuit *pantheismus;* ens individuale est emanatio ab unico principio universali, ad quod debuit reverti post quendam cyclum « necessitatis » (Vestigium huius doctrinae cycli-cosmicae in IV. Eccl. Virgilii invenitur).

2. *India.* — Doctrina de metempsychosi non invenitur in antiquissimis sacris libris Indicis: Veda et Rig-Veda. In posterioribus tamen (Upanishad) apparet tamquam religionis dogma (praesertim in Buddismo).

3. *Graecia.* — Ut refert Pindarus, reincarnatio tenebatur in Graecia a *Musaeo* et *Orphaeo*; constituebat elementum doctrinae « *Mysticae* » et « *Orphicae* ». In philosophiam introducta erat — forte sub influxu scientiae Aegyptiorum — a *Pythagora*, qui etiam se ipsum identicum credebat cum Euphorbo, heröe Troiano.

Plato: animae intellectivae, creatae a Deo supremo (Demiurgo), collocatae erant singulae in singulis astris, in quibus vitam egerunt felicem. Haec tamen felicitas non erat ipsis inconditionate et absolute concessa. Prout « lex necessitatis » (ἀνάγκη) imperabat, dedit eis Demiurgus corpora terrestria, fabricata a diis inferioribus cum hac promissione: quaecumque ex eis bene vixerint, revertentur ad sua astra, ubi beatitudine perfecta et aeterna fruentur; quaecumque vero male vixerint, subibunt reincarnationes successivas assumendo varia corpora inferiora, incipiendo a femina — et pergendo usque ad infima etiam animalia, si forte in malitia perseverarent.

Factum metempsychosis conatur Plato variis considerationibus *ethicis* et *psychologicis* probare. (Cfr. *Tim.*, 41 *b*-42 *e*; 49 e sqq; 92 b; *Leg*, X, *Menon* 81 b. sq.).

Palingenesim profitetur *Accademia* a Platone usque ad ultimum Platonis successorem i. e. Damascium (ad an. 529. p. Ch., in quo clausa est ab imperatore Iustiniano). — Metempsychosim Platonicam tenuerunt etiam Gnostici, ut refert S. Hieronymus.

4. *Iudaei.* — Quidam *Talmudistae* e *Cabbalistae* docuerunt transmigrationes inferiores in poenam pro peccato. Hanc sententiam tenebat etiam *Philo* (Alexandriae saec. I. p. Ch.).

5. *Ex Christianis*: *a*) *Origines* (Περὶ 'Αρχῶν): existentia nostra terrestris est innaturalis, in poenam pro peccatis; reincarnationes aliquando tamen finem habebunt (« restauratio finalis »). Initio omnes animae erat aequales. *b*) *Albigenses* et *Cathari* (« neo-Manichaei ») renovarunt errorem Manichaeorum, qui metempsychosim pro poena aeterna statuebant (Cf. S. August. *De moribus Manichaeorum*).

6. In Europa *revixit metempsychosis* cum Platonismo saec. *XVI*. Tenebant eum Giordano Bruno, Campanelli, Henricus Moore, Lessing, Hume; temporibus posterioribus plurimi poëtae romantici, multi spiritistae (v. g. Hyppolitus Rivail seu « Allan Kardec »); ex philosophis Carolus Renouvier, Wincenty Lutosławski (*Preesistenza e Rincarnazione*, Torino 1931, pag. 1-16).

5. *Nationes barbarae*; *a*) Americae septentrionalis fere totius; *b*) Mexici et Brasiliae; *c*) Australiae. N.B

Probatur thesis.

Arg. I. — Anima humana est forma substantialis corporis humani.

A. Forma substantialis corporis humani non potest migrare ex uno corpore in aliud.

E. Anima humana non potest migrare ex uno corpore in aliud.

Maior. — Alibi probatur.

Minor. — Omnis forma substantialis involvit ordinem transcendentalem ad corpus, cuius est forma, et a quo individuationem suam accipit. Ut igitur forma ex uno corpore in aliud migrare possit, deberet posse amittere hunc ordinem et acquirere alium. Sed hoc impossibile est. Ordo enim ille, utpote transcendentalis, est essentialis formae substantiali; quare eo ipso, quod ordo hic mutaretur, etiam ipsa forma substantialis essentialiter mutaretur, et quidem mutaretur non secundum aliquam tantum ex suis partibus — nam forma substantialis non constat partibus essentialibus — sed mutaretur secundum *totam* suam realitatem; seu quod in idem recidit, simpliciter perderet suam *identitatem*, cessaret esse ipsa.

Sicut ars fabrilis — ait Aristoteles (*De An.* I, 3, 407, b 24-25) — non potest intrare in fistulam, ita aequo prorsus iure — et contra quod asserunt « Pythagorici mythi » — etiam anima non potest ex uno corpore in aliud migrare. (Cfr. S. Th. *De Spirit. creat.* a 11 ad 4um).

Propter eandem rationem — et *a fortiori* — omnino absurda dicenda est sententia « Neo-Spiritualistarum », secundum quam anima humana dicitur posse simul informare *duo* corpora in duabus diversis planetis (adeo, ut si cui in sommo videatur sibi mortem inferri, reapse hoc fiat in alia planeta. — Si quis talia somnia fere cotidie habet?!).

Adde quod doctrina reincarnationis *nullum* habet *fundamentum* in *experientia*, nullam *analogiam* cum rebus, quae observationi nostrae cotidianae subsunt: arbor fuit quidem semen, immo et et nunc producit semina, at ipsa nunquam fit semen! Sufficit pro aliqua re vivente transiisse semel unam formam existendi, ut *non possit* amplius in eam reverti (« processus irreversibiles »).

Arg. II. — *Solutio rationum, quae afferuntur pro reincarnatione.*

Ratio 1. — Inaequalitas animarum, cum qua homines nascuntur, utpote factum contingens, debet habere causam sufficientem. — Porro haec causa sufficiens non potest esse ipse *Deus* — creare enim animas inaequales esset actio *iniusta*, quae repugnat Deo — sed *ipsa anima*: prout videl. meliorem vel peiorem usum libertatis fecit in sua existentia praecedenti, *ipsa seipsam* fecit magis vel minus perfectam.

Crisis: *a*) Quomodo in *principio* potuerunt animae inaequaliter agere, si nulla inaequalitas *antecedens* — saltem quoad potentias et virtutes — in ipsis adfuit? Sed si haec inaequalitas adfuit, tota difficultas contra iustitiam Dei, quam solvere conaris ope theoriae tuae, revenit ex toto, ut patet. (Ratio haec valet contra Reincarnationistas, qui liberum arbitrium negant). — *b*) Ipsum *postulatum aequalitatis absolutae* plane absonum est. Si vere enim iniusta dicenda est qualiscumque tandem antecedens (naturalis) inaequalitas quoad perfectionem inter singula *individua*, iniusta etiam similiter dici debebit omnis inaequalitas quoad perfectionem inter singulas *species* viventium.

Ut introducatur in mundum universum « iustitia », tolli deberent differentiae, quae existunt inter res mundanas; ipsae enim hae differentiae efficiunt, ut *haec* species non sit species *altera*. Sed dum hae differentiae tollerentur, tolleretur e mundo harmonia et ordo et — per hoc ipsum — *conditiones necessariae* pro *vita*, ut patet.

Ratio 2. — *Sanctio moralis* postulat, ut homo pro actionibus malis patratis in vita terrestri puniatur in vita terrestri. Quod multi Reincarnationistae — praesertim, qui *Spiritismo* et *Occultismo* sunt dediti — ita ulterius explicant: « qui peccavit irreverentia in patrem, erit in vita futura claudus in pede dextero; qui vero in matrem, erit claudus in pede sinistro, quicumque alium — etsi per inadvertentiam tantum — occiderit, debet necessario et ipse in *vita altera occidi* ».

Hoc punctum doctrinae Reincarnationistarum vocari solet a *Theosophis* « karma » (appellatio impropria, nam in lingua sanscritica « karma » significat tantum « actio »).

Crisis: *a*) Haec notio sanctionis nec ex ipsa *natura* sanctionis, qua talis, deduci potest, nec ullo argumento *positivo* probari valet; est prorsus *gratuita* et omnino *phantastica*.

b) Ethica, quae super tali notione sanctionis fundaretur, apta esset, quae *desperationem* et *perturbationem* gravissimam hominibus causet. Homo enim in miseria positus *sibi soli* scil. peccatis suae vitae praecedentis attribuere debet adaequatam causam huiusce miseriae nec ullam *spem* habere praemii pro ea in futuro; quicumque aliquid mali in hac vita commisit, nulla *contritione*, nulla poenitentia hoc malum in vita praesenti delere potest, sed *fatalem* eventum expectare debebit in vita *futura*... Et ita porro.

Ratio 3. — Non desunt homines, qui *conscientiam* certam habeant suae vitae, quam ante nativitatem iam duxerunt. Haec conscientia (explicita) apparet sive in *hypnosi* (*de Rochas* invenit in quadam femina memoriam 4 vitarum terrestrium) sive etiam aliquando in statu vigiliae (sed tunc, generatim loquendo, est haec conscientia fragmentaria). Habuerunt eam Pythagoras, Budda, quidam monachus, de quo loquitur Fielding Hall; Laura Raynaud, de qua tradunt nobis G. Durville, Ch. Lancelin, G. Delanne (Cf. W. Lutosławki, *Preesistenza e Rincarnazione*, pag. 44-48; 293-294) et ipse W. Lutosławki (*op. cit.* pag. 1).

Conscientia vitae anteactae est vividissima in *infantibus* — eorum enim cerebrum est magis plasticum ideoque etiam melius reagit ad impressiones psychicas. At proh dolor! — circa annum 7um perdunt eam sub influxu educationis et censurae moralis. (W. Lutosławki, l. c., pag. 46).

Cum conscientia vitae praecedentis eo sit vividior, quo citius fit post mortem reincarnatio, et cum, generatim loquendo, eo citius fit reincarnatio, quo magis praematura fuit ipsa mors, hinc « sperare licet — ait J. Cooper (*La Réincarnation*, trad. Paris 1922, pag. 118), infantes natos ab anno 1914. ad 1918. allaturos secum reminiscentias vividiores Magni Belli. Quod si fiet, reincarnatio erit probata modo tam evidenti, ut nemini futurum sit possibile de ea dubitare ».

Crisis: *a*) Conscientiae subsunt, proprie loquendo, sola *facta* praesentia. Quare vita *anterior* non potest esse obiectum conscientiae sed *memoriae*.

b) Qualem vim probandi habeat in re presenti testimonium huius *memoriae*, optime elucet ex eo, quod teste Dunglas Home (*Les Lumières et les Ombres du spiritualisme*, pag. 124-125) 12 personae se dederint *simul* pro reincarnata Marie Antoinette, 7 personae pro Maria Stuart, 20 personae pro Alexandro Magno vel Caesare (ne unus quidem dedit se pro servo, viro ignobili et obscuro, pro bibulo vel latrone!).

Quo facilius exagerationes huius *megalomaniae* Reincarnationistarum tollantur, *Papus* (reincarnationista) docet nos posse quidem (ope spiritismi) discere « *quaedam* » adiuncta nostrae praecedentis existentiae in terra (v. g. nos vixisse eodem tempore ac v. g. Alexander Magnus, Caesar et ita porro), minime vero *omnia* adiuncta nostrae conditionis vitae anteactae (forte fuimus servi illius clarissimi viri!).

At haec regula *prudentiae practicae* a Papo data ex una parte prorsus est, ut patet, *arbitraria*, ex altera autem parte nec ipsa aufert *periculum dictae megalomaniae*, nam criteria, quae ipse tradit ad dignoscendam nostram conditionem in vita praeterita sunt omnino *futilia* et *vaga* (v. g. ut quis sit reapse ex « appartement du Christ », debet esse maximus aetate in sua familia, pater eius vocari Ioseph, mater Maria! Cf. *La Réincarnation*, pag. 140).

c) « Memoria » vitae praecedentis », quae aliquando ope hypnotismi recuperari dicitur, nullius est valoris, cum possit

facillime explicari suggestione, tressura. — Experimenta celeberrima circa hypnoticos a *Charcot* facta vehementer nos invitant, ne simus creduli in recipiendis testimoniis hypnoticorum, quae saepe non sunt nisi fructus nostrae indagationis (« hineinfragen »). — Linguae aliarum planetarum, praesertim *Martis*, quas possidere dicebantur quaedam personae, erant simpliciter linguae corruptae nostrae, ut scientiae linguisticae periti ostenderunt.

In specie quod attinet facta a *de Rochas* observata, non est ei nimis fidendum, cum fuerit homo sine maiori cultura scientifica et valde credulus.

d) « Memoria » suae praeexistentiae apud Pythagoram et quosdam alios — caeterum ad modum raros — sine ullo negotio explicatur *morbis memoriae*, influxu *suggestionis* vel *autosuggestionis* ortae in fundamento plus minusve profundae desaggregationis psychologicae.

e) Iam « a priori » expectandum est infantes natos annis 1914-1918 reminiscentias Magni Belli habituros « crebiores », cum in ipsa infantia continuas conversationes de Magno Bello audierint!

Ratio 4. — Fautores Reincarnationis optime sentiunt, quantum valorem habeat contra reincarnationem argumentum desumptum ex « defectu memoriae » circa nostram vitam praecedentem. (Cfr. Cooper, *op. cit.*, pag. 100). Ideoque cum non possint memoriam « formalem » praeexistentiae nostrae efficaciter ostendere, ut modo vidimus, conantur monstrare dari in nobis memoriam « virtualem » huiusce praeexistentiae seu « habitus acquisitos in vita praecedenti, qui non sunt nisi quoddam résumé » experientiarum particularium a nobis in illa vita factarum, quarum tamen iam amplius non meminimus. (Exemplum talis habitus: scimus legere, licet non teneamus memoria formali *singulas* experientias, per quas ad hanc habitualem scientiam pervenimus; item nemo nostrum immittet digitum in ignem, quia praesens est nobis « résumé » experientiarum particularium factarum cum igne; idem dic de habitibus moralibua).

Facta, quae probant in nobis existentiam memoriae « virtualis » circa nostram vitam praecedentem, sunt quae sequuntur: dantur in nobis quaedam *indoles* et *inclinationes naturales*,

quae non possunt aliter explicari nisi tamquam *habitus* acquisiti in vita praecedenti: talis est v. g. inclinatio ad diversas *artes* vel *scientias* exercendas: musicam, mathesim etc.; possibilitas *intelligendi intime affectus* paternos in eo, qui reapse *nunc* non est pater (fuit in vita praecedenti pater!); character *effeminatus* in quibusdam viris (fuerunt reapse feminae!) vel character virilis in feminis (fuerunt in vita praecedendi re vera viri!); *facilitas*, cum qua quidam exercent hanc vel aliam *virtutem* vel *proclivitas* ad hoc vel aliud genus vitiorum (in vita praecedenti in hac virtute (vitio) excellebant!); *amicitiae* inter duas personas — saepe vehementes — quae *sponte* oriuntur statim ac prima vice se vident (in vita praeterita reapse erant ligatae amicitia!); *phobiae* inexplicabiles v. g. ignis, aquae (igne vel aqua periit in vita praecedenti!); *aspirationes maiores*, quam potentia executrix (poena pro negligentia in usu talentorum sibi concessorum in vita praevia!).

Crisis. — *a*) Multae *inclinationes*, quae nobis videntur «naturales», sunt reapse tantum fructus *educationis* et specialis *attentionis*: qui a prima aetate discit summam aestimationem pro arte v. g. musicae et concipit «ideale» musicae, facile faciet conatus attentos, ut in ea excellat — et ideo facilius etiam progressus magnos in ea faciet. Similiter character effeminatus est saepe fructus educationis mollis...

b) Multae aliae indoles et inclinationes, cum quibus homines nascuntur, explicari possunt ope *notarum particularium*, quae cum variis individuis variantur; notae hae particulares faciunt individua *naturaliter capaciora* ad quasdam operationes exercendas; et cum omnis capacitas tendat necessario ad suum *actum* — tamquam ad suum finem — facile patet, quomodo capacitas gignat etiam *inclinationem.*

Adde quod *capacitas maior* procurat possidenti eam *maiorem successum*; successus autem dat *gaudium,* quod iterum *stimulat* ad actum. (Cfr. insuper de inaequalitate animarum, th. XLI, sch. I).

c) Quaerere, cur *hic* habeat *has* indoles vel *has* inclinationes, alius alias, est fere idem ac quaerere: cur *hic* sit *hic*, cur alius sit alius. Quae quaestio, ut patet, omni sensu caret.

d) *Amicitiae*, quae sponte et subito oriuntur inter duas personas, quae se prima vice vident, explicantur bene per

theoriam generalem « affectuum », quae in philosophia traditur: unusquisque homo, sicut suum proprium habet characterem (temperamentum), ita etiam suum proprium habet «ideale» amici: cui «ideali», ut patet, nonnisi *quidam* respondere possunt. — Caeterum etiam hae amicitiae saepe teste experientia ostenduntur fallaces et mutabiles. — Inclinatio ad determinatam aliquam personam simili *analogice* modo explicari potest ac aliae inclinationes « instinctivae ». (Cfr. th. XV. pag. 140-142).

e) Similiter explicari possunt etiam *nonnullae* naturales «phobiae». — At plurimae, psychologia pathologica (psychiatria) teste, denotant plus minusve graves perturbationes mentales, praesertim *psychasthenicas.*

f) *Aspirationes maiores* quam potentia executrix bene explicantur sive doctrina generali de *obiecto formali voluntatis* humanae (bonum, qua tale, ideale), sive *defectu experientiae* vel *disciplinae intellectualis* in eo, qui eas fovet, sive tandem *constitutione pathologica* (« rêveur »).

Ratio 5. — Sunt, qui dum aliquam rem *prima vice* sentiunt (vident vel audiunt etc.), *recognoscunt eam tamquam iam sibi optime notam* (« le sentiment du déjà vu »). Phoenomenon hoc vocatur paramnesia. Quod factum optime explicatur in suppositione eos hanc rem reapse — in existentia praecedenti — sensisse.

Crisis. Factum hoc bene explicari potest etiam sine suppositione prae-existentiae:

a) aliquando fit, ut *reapse* res illas viderint, audierint etc., sed actu earum iam non meminerint (praesertim, si fecerunt hoc in statu distractionis, sine attentione, inconscie).

b) aliquando fit, ut non quidem res ipsas, de quibus agitur, sed res *alias ipsis similes iam viderint* (audierint) sive in *vigilia* sive in *somnio.*

c) Reliqua facta «recognitionis», de qua est sermo, explicationem sufficientem habent in theoriis, quae sequuntur:

α) theoria James: homini, dum aliquam rem actu sentit, venit in *memoriam* res similis, sed modo vago i. e. orbata notis accuratis, quae eam axacte localisent in tempore praeterito: haec confusa reminiscentia concomitans sensationem facile cum ea in *unum factum* psychicum copulatur; quo fit, ut sensatio recens apparentiam sumat facti iam bene noti (error memoriae).

β) theoria Ribot: dum homo aliquam sensationem experitur, oritur in eo ex improvisto *imago hallucinatoria*, quae sensationem in planum secundarium (campi conscientiae) expellit. Sensatio ita per momentum (brevissimum) in planum II expulsa characterem induit « reminiscentiae », dum sentiens ad eam iterum venit.

γ) theoria Bergson: dum sensatio aliqua actu sentitur, simul etiam in nostra memoria haec sensatio inscribitur; hinc adest in nobis simul duplex processus: « sensatio » et « inscriptio in memoria ». Generatim attentio praestita processui primo (sensationi) est tanta, ut processus alter non percipiatur a nobis. At si haec attentio in quodam momento minuitur, percipimus processum « inscriptionis »; et cum post hoc momentum (generatim brevissimum), revertimur ad attentionem praestitam *sensationi* (v. g. visioni actuali), habemus impressionem nos iam vidisse hanc rem. — Phaenomenon, de quo est sermo, esset fructus temporalis diminutionis attentionis.

δ) theoria Janet: phaenomenon, de quo loquimur, est *vitium perceptionis*, quae perdit ex parte et per momentum characterem *novitatis*. Subiectum, quod recte exercet aliquam sensationem, *non percipit*, ut par est, *suam propriam actionem* in efficienda synthesi, quae comitatur omnem sensationem. Unde affectus « de vague et d'étrange » in sensatione et illusio eam non esse praesentem (at sine exacta localisatione in tempore praeterito). (Cf. *Les obsessions et la Psychasthénie*, IIIème éd. 1919, t. I., pag. 295-296; 557-558; 29).

ε) *theoria nostra*. — *Cognitio*, metaphysice spectata, est — ut alibi diximus — *forma* obiecti externi in subiecto vitaliter existens. Sed *omnis forma*, qua talis, praedita est finalitate intrinseca; quare etiam forma *intentionalis* gaudere debet *finalitate* (*inclinatione*) sibi proportionata — hinc *intentionali*. Haec finalitas intentionalis, propria entis psychici, nihil est aliud nisi ille status affectivus, qui comitatur nostras perceptiones (Non datur « perceptio pura », Cfr. *La psychophysique* etc. ch. IV, pag. 128-150). Ipse hic status affectivus, dum percipienti tribuit *inclinationem* profundam, vitalem, *transcendentalem* ad obiectum actu perceptum, investit ipsam perceptionem charactere (*psychologico*) *praesentialitas*.

Perturbatio huiusce status affectivi inducit etiam perturbationem praesentialitatis nostrarum perceptionum. Et ita

creantur diversissimae species *illusionum*, *hallucinationum*, pseudo-hallucinationum, semi-hallucinationum etc. sive positivarum sive negativarum (cfr. Th. XXXIV, schol. 1-3) diversae durationis, diversae intensitatis et diversi gradus. — Illusio, qua videmur nobis aliquid *iam* percepisse, quod reapse nunc *prima vice* percipimus, est una ex istis illusionibus. — Defectus igitur non memoriae, non perceptionis sed — saltem primario — defectus in statu affectivo.

Theoria nostra bene cohaeret cum facto, quod illusio, de qua est sermo, praecipue invenitur apud psychasthenicos (quorum praecipue vita affectiva, ut constat, est aegrota).

Scholion I. — De causis successus theoriae reincarnationis.

1. Causae, quae tantum successum theoriae Reincarnationis dederunt, hae sunt praecipue: 1. persuasio intima et universalis *a*) de *distinctione* animae a corpore, *b*) de *immortalitate* animae humanae, *c*) de *remuneratione* futura pro bonis et malis operibus in vita terrestri peractis. — Porro cum homines non facile intelligant existentiam spiritus a corpore separati, (Cf. th. XX) ideo fortiter inclinantur ad attribuendum spiritui a corpore terrestri separato *aliud corpus*. — 2. Necessitas explicandi tum factum *hereditatis* tum similitudinem (quarundam notarum psychologicarum) — quae aliquando deprehenditur sive inter quosdam homines sive etiam inter hominem et brutum animal — tum tandem *inaequalitatem nativam* animarum.

Porro Reincarnatio dat explicationem apparenter facilem et obviam horum omnium factorum, bene adaptatam menti rudi ac primitivae, incapaci considerationum sublimiorum.

Schol. II. — Sitne iudicium asserens Reincarnationem iudicium « sensus communis ».

1. Non desunt fautores Reincarnationis, qui doceant iudicium asserens reincarnationem esse iudicium « sensus communis » proindeque etiam omnino infallibile.

2. Falsitas huius sententiae clare apparet ex eo, quod iudicium asserens reincarnationem nec est *constans*, *uniforme et universale*, nec constituit *fundamentum necessarium* vitae humanae. (Cfr. th. XXXII).

SCHOL. III. — DE ARGUMENTIS THEOLOGICIS PRO REINCARNATIONE.

1. Multi Reincarnationistae ad probandam theoriam Reincarnationis recurrunt ad argumenta « theologica ». Tum S. Scriptura tum S. Traditio primitiva — aiunt — tenent unanimi consensu Reincarnationem.

2. Licet *hic* rem philosophice tractemus, operae tamen pretium erit errorem Reincarnationistarum etiam in hoc puncto vel brevissime indicare. Quod perficiemus, solvendo eorum argumenta:

I. *Ex S. Scriptura*: « Et interrogaverunt Eum discipuli, dicentes: Quid ergo Scribae dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis quia *Elias iam venit*, et non cognoverunt eum.... Tunc intellexerunt discipuli, quia *de Joanne Baptista dixisset eis* ». (Math. XVII, Cfr. Math. XI, 14).

Ex quo Allan Cardec ita arguit: « Cum Ioannes Baptista fuerit Elias, ergo locum habere debuit reincarnatio spiritus seu animae Eliae » (*Le livre des esprits*, pag. 105-107).

Crisis: *a*) S. Scriptura *minime hic dicit*, *quomodo* « Elias iam venit ». Ex loco autem parallelo (S. Luc. I, 17) edocemur S. Ioannem Baptistam vocatum esse Eliam *sensu accommodato* (non proprio), quatenus videl. venit « *in spiritu et virtute Eliae* »; *b*) ipse *S. Ioannes negat formaliter* se esse Eliam: « Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum » (S. Ioan. I. 21); *c*) si Ioannes Baptista fuit Elias reincarnatus, cur in transfiguratione non apparuit S. Joannes Baptista; *d*) secundum Iudaeos Elias non est mortuus, ergo nec reincarnari potuit sensu Reincarnationistarum! (Cfr. R. Guenon, *L'erreur spirite*, Paris, 1923, pag. 223).

Nec melius rem adversariorum evincit argumentum desumptum ex S. Ioan IX, 1-3. « Et interrogaverunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccavit, neque parentes eius », vel ex S. Ioan III, 3. « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei ». — In primo enim loco Christus expresse *negat* caecum a nativitate debere suam caecitatem peccatis suis *per*-

sonalibus. In ultimo autem ipse Christus ita explicat sua verba: « Amen amen dico tibi, nisi quis *renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto,* non potest introire in regnum Dei » (S. Ioan III, 5); agitur ergo de *nativitate spirituali.*

II. — *Ex Traditione Sacra.*

Secundum Reincarnationistas *expresse* docent reincarnationem: v. g. S. *Iustinus* (Cfr. Lutosławki, op. cit. pag. 6, 53-55), *Clemens Alexandrinus* (C. Waker, *Reinc.*, 1888) alii bene multi *tacite* theoriae Reincarnationis favent.

Crisis. S. Iustinus non tantum non tenet Reincarnationem sed eam ex professo et ardenter *expugnat* (*Dialog. c. Tryph.* 4). Idem etiam de Clement Alex. constat (*Strom.* l. III. c. 3; l. IV. c. 12; l. VI. c. 4; *Excer. ex Theodoto* n. 28; *Eclog. ex Script. prophet.* n. 17. Cfr. P. Louis Bukowski S. I., *La réincarnation selon les Pères de l'Eglise,* « Gregorianum », 1928, vol. IX, pag. 65-91).

THESIS XL.

Systema parallelismi psychophysici ad explicandam unionem animae et corporis propositum plane reiciendum est.

1. St. Qu. — Hominem *non solo* principio spirituali constare, sed *etiam* principio materiali apparet vel exinde, quod operationes vegetativae et sensitivae, ut alibi ostendimus, non sunt spirituales sed materiales.

Sed hisce positis sponte exurgit quaestio: *quomodo haec duo* principia spirituale videl. et materiale se habeant ad se invicem, quomodo secum « *uniantur* ».

2. Notio generalis parallelismi psychophysici. — Quaestio de « unione » animae et corporis plurimos philosophos tum antiquos tum etiam modernos occupat. At dum omnes Antiqui, quotquot realem distinctionem inter animam et corpus agnoscebant, unionem, de qua est in praesenti sermo, reponebant in vinculo *causalitatis* proprie dictae inter animam et corpus — quocumque tandem modo ipsa intelligatur — Modernis sat multis visum est ab hac doctrina recedere atque unionem inter animam et corpus collocare *in mero parallelismo psychophysico: realitates psychica et physica — aiunt — a se prorsus independentes currunt modo pa-*

rallelo ad se invicem constituendo ita duas series, quae numquam influxum vere causalem in se mutuo exercent; proprie dicta causalitas tantum *intra singulas* series existit — iungendo in catenam ininterruptam singula seriei membra (actus).

3. Species Parallelismi psychophysici. — In expositione *ulteriori* huius doctrinae fautores Parallelismi Psychophysici in diversas abeunt partes; unde *diversae species* parallelismi psychophysici:

1. Parallelismus psychophysicus *empiricus* et *metaphysicus.* — Primus est, qui admittitur tamquam mera *hypothesis* pro inquisitionibus *scientificis* (empiricis) melius perficiendis, hinc tamquam principium mere « methodicum » (« Arbeitshypothese »). Talem parallelismum tenent Wundt et Münsterberg. — Alter est, qui defenditur tamquam theoria *metaphysica*, metaphysico valore praedita, hinc absoluta et irreformabilis.

In thesi praesenti de solo parallelismo *metaphysico* loquemur. — Parallelismus enim *empiricus*, cum sit mera hypothesis « methodica », cuius finis adaequatus est inquisitiones scientiarum naturalium iuvare, ut semper detegi possit elementum adamussim correspondens in parte corporali elemento psychico — et viceversa — tantum generatim effert inter animam et corpus dari *quasdam* relationes stabiles correspondentiae. Sed statuendo tantum haec minime excludit relationem proprie dictae *causalitatis* inter animam et corpus.

(Si quis in formulam parallelismi « empirici » iam ab initio introducit *exclusionem causalitatis* inter animam et corpus, non est hic parallelismus mere « empiricus », sed metaphysicus).

2. Parallelismus psychophysicus *partialis et universalis.* — Secundum *partialem unicuique* realitati *psychicae* correspondet semper aliqua realitas physica sed non *vice versa*; ideoque coarctatur ad entia vita psychica gaudentia: ad hominem et animalia. — Secundum vero *universalem* sicut omnis realitas psychica habet sibi adnexam realitatem physicam sibi correspondentem, ita etiam vice versa omnis realitas physica habet sibi adamussim correspondentem realitatem psychicam. Quando elementum psychicum videtur deesse elemento physico, hoc ideo fit, quod hoc elementum psychicum

non est perfectum, hinc subconscium vel etiam simpliciter inconscium. Talem parallelismum profitentur v. g. Paulsen, Fechner, etc.

Ex hisce duabus speciebus parallelismi psychophysici prima non meretur, proprie loquendo, nomen *parallelismi* sed potius materialismi stricte dicti. Si enim non omni processui physico (physiologico), sed *quibusdam* tantum correspondent phaenomena psychica, quaestio statim exsurgit: cur cum hisce praecise processibus physiologicis et non aliis illa nascantur? Et nisi velis principium causalitatis laedere, respondere debebis: quia hi processus *materiales* specialem habent *naturam*. Sed ita laberis iam in *materialismum*, ut patet. Tamquam rationem enim adaequatam, quae dat existentiam realitati psychicae, assignas processum *materialem!*

Parallelismus proprie dictus debet iam ab initio *supponere* seriem actuum psychicorum esse prorsus ininterruptam atque adeo omnem absolute processum *materialem semper esse connexum* cum determinato aliquo actu psychico: aliis verbis debet supponere *panpsychismum* radicalem. — Quia eum solus parallelismus universalis admittit, solus parallelismus universalis nomen parallelismi sibi meretur — et de eo solo in thesi praesenti loquemur.

3. Parallelismus psychophysicus *dualisticus* et *monisticus*. Et hic ultimus iterum dividitur: *a*) realistico-monisticus; *b*) idealistico-monisticus.

Parallelismus *dualisticus* putat series psychicam et physicam esse ex aequo reales et primigenias.

Parallelismus psychophysicus *realistico-monisticus* asserit solam seriem physicam (physiologicam) esse primitivam et realem, seriem vero psychicam esse tantum « epiphaenomenon » seriei physicae ac eius quasi umbra.

Parallelismus psychophysicus *idealistico-monisticus*: sola series actuum psychicorum est vere realis; eventus physici non sunt nisi *phaenomena* quaedam rerum psychicarum. Homo est ens *psychicum* — hoc homini vel ipsa experientia interna seu conscientia refert, dum actus internos cognitionis, volitionis et affectuum inspicit — Attamen iidem actus apparent tamquam processus materiales spatialiter extensi (cerebri et membrorum) illi, qui eos ab extrinsecus considerat. — Ita *Schopenhauer, Fechner, Höffding,*

Ebbinghaus, Wundt. (Cfr. L. Busse, *Geist und Körper*, *Seele und Leib*, 1903, qui parallelismum psychophysicum optime expugnat, et Ebbinghaus *Grudz. der Psychologie*, 4 et 5, qui eum ardenter defendit).

4. *Rationes*, quibus Parallelistae nituntur, hae sunt praecipue, quae sequuntur:

1. Parallelismus psychophysicus videtur esse *unicum* systema philosophicum, quod licet ex una parte penitus reiiciat materialismum, attamen ex altera parte intactam relinquit « methodum » propriam materialismi, illam videl. quae iubet explicare omnia facta materialia, quae fiunt in homine, per causas pure materiales (principium causalitatis clausae).

2. Eo ipso, quod omnia phaenomena materalia explicat per causas mere materiales, relinquit Parallelismus in toto suo robore principium *conservationis* energiae, quod tanti habetur a viris scientiae.

3. Quatenus Parallelismus psychophysicus statuit *duas* series realitatis: materialem et psychicam, quae tamquam duae catenae ininterruptae circa se parallelo modo currunt, quin in se umquam verum influxum causalem exerceant, Parallelismus psychophysicus affert tandem mundo *pacem* tam ab omnibus desideratam inter scientiam, cuius « ideale » est esse « materialis » et inter religionem; atque ita conflictum aufert inter postulata intellectus (scientiae) et desideria cordis (fidei). — Physicus potest iam persequi suas inquisitiones sine timore inveniendi in sua via causas *alius* ordinis; ex altera vero parte psychologia et religio possunt in suis studiis suam propriam methodum cum plena libertate sequi, minime attendendo ad leges, quas physicus statuit.

Probatur thesis.

Arg. I. — Parallelistae aut asserunt series psychicam et materialem esse prorsus a se invicem *independentes*, nullis vinculis secum connexas, aut asserunt eas esse sibi ontologice *identicas*.

Atqui utraque assertio repugnat. Ergo.

Prob. min. per partes.

Pars. I. — Si duae series materialis et psychica nullis vinculis sunt secum connexae, earum ordo mirabilis et har-

monia habenda sunt pro effectu *fortuito*. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

Prob. min. ult.

a) Tale assertum pugnat cum *principio rationis sufficientis*, ut patet.

b) Haec assertio *experientiae nostrae* intimae contradicit; haec enim evidenter nobis testatur *verum influxum* voluntatis in facultates nostras materiales v. g. facultatem locomotricem. (Cfr. th. XXXI).

Pars. II. — Quicumque ponit identitatem processuum materialium et psychicorum, eo ipso iam amplectitur *materialismum*. Atqui materialismus, ut alibi iam ostensum est, est falsus. Ergo.

Expl.: Omnia *tentamina* a Parallelistis facta, ut ostendatur, quomodo *una eademque* realitas possit nobis *apparere* iam ut corpus iam ut spiritus, sunt vana. Recurrunt videl. ad varias imagines e. g. *sphaerae* (quae visa ab intrinsecus est concava, visa autem ab extrinsecus est convexa — ita *Fechner*), *capitalis mutuo* dati (quod pro debitore repraesentat *detrimentum*, pro creditore vero repraesentat *lucrum* — ita Kurd Lasswitz), *ideae* (expressae — duabus linguis diversis — ita Höffding), *systematis solaris* (quod visum ex parte terrae videtur esse Ptolomeidicum, ex parte vero solis inspectum videtur esse Copernicanum — ita Fechner).

Attamen hae imagines minime nobis *ontologicam identitatem* realitatis psychicae et physicae illustrant. Rem paucis explicemus.

Si agitur de *sphaera*, facile intelligitur solam mutationem positionis in *homine inspiciente* prorsus sufficere ad explicandam diversitatem imaginis concavitatis et convexitatis. At minime videmus applicationem huius comparationis ad rem nostram; nam minime videmus, quomodo *sola mutatio positionis inspicientis* possit sufficere ad hoc, ut processus *materiales* appareant nobis tamquam realitas *psychica* vel vice versa.

Quod attinet imaginem ex capitali desumptam, tunc 1. capitale non necessario, ut patet, possidet duas partes (lucrum et damnum); 2. si hae duae partes reapse existunt, sunt purae *relationes*, quae capitali adiiciuntur *ab extrinsecus*. Sed possumusne admittere corpus et animam esse puras *relationes superadditas* enti *ab extrinsecus?* — Similibus defectibus laborant reliquae comparationes.

Arg. II. — Ad mentem theoriae parallelisticae omnia opera etiam illa, quae maximam admirationem communem excitant, ut sunt artes, victoriae militares etc. habenda sunt pro effectu simplici elementorum materialium.

Atqui hoc admitti nullo modo potest. Ergo...

Ad mai.: Parallelistae post Spinozam — qui primus iecit fundamenta *metaphysica* pro Parallelismo psychophysico (Cf. L'*âme et le corps d'après Spinoza*) — expresse hoc asserunt. « At dicent [adversarii Parallelismi] — ait Spinosa — ex solis legibus naturae, quatenus corporea tantum consideratur, fieri non posse, ut causae aedificiorum, picturarum, rerumque huiusmodi, quae sola humana arte fiunt, possint deduci, nec corpus humanus, nisi a mente determinaretur ducereturque, potens esset ad templum aliquod aedificandum. Verum ego itam ostendi, ipsos nescire, quod corpus possit... ». (*Ethica*, pars III, th. 2, schol.; cfr. etiam part. IV. th. 59, schol.).

Ad min.: Inter effectum et causam dari debet proportio, quod postulat principium *rationis sufficientis*. Porro si nullum opus *vitale* ne infimum quidem, ut sunt operationes vitae vegetativae (Cfr. I. th.), possunt explicari solis viribus materialibus, a fortiori non poterunt explicari mere *mechanice* — per causas mere materiales — opera vitae *sensitivae* et praecipue opera vitae intellectivae.

Res, de qua est sermo in praesenti, illustrari potest variis exemplis, quae consequentias systematis parallelistici « ad absurdum » deducunt. Napoleon apud Austerlitz non ideo adversarios vicit, quod per intelligentian exercitum suum summa cum *prudentia* et industria rexit, sed simpliciter, quia tales processus mechanicos atomi in eius cerebro perfecerunt. Non ideo discipulus unus in examine profert ore suo recta responsa, quia *intellectu* ea scit, sed quia motus atomorum os eius ad proferenda haec et non alia verba (« sonos animalis ore prolatos ») disponit atque impellit. Non ideo homo librum doctum componit, quia *vult* ideas suas scripto mandare, sed quia ad tales motus digiti eius mechanice excitantur! (Leon Busse, *op. cit.* 1913, pag. 251-255)! — Similiter ad amorem Dei non apprehenso amore Dei, item ad odium peccati non cognita poena determinarentur homines, sed simpliciter motibus atomorum! — Leges morales aeque

ac principia logica non essent nisi leges physico-chemicae atque ipsa vita imtellectiva in mechanismum, associationismum purum converteretur!

Hisce consequentiis absurdis pressi dicunt quidam adversarii: etsi in casibus enumeratis reapse nihil efficiant actus psychici, non eo ipso dici possunt superflui — nam sine ipsis nec processus materiales (qui soli effectum produxerunt) adessent!

Respondeo: *a)* Hac solutione non obstante remanet adhuc tota absurditas non soluta; nam quod ex nostro argumento absurdum est, est existentia effectus materialis *mirabilis* sine ullo influxu vere *causali* actuum *psychicorum*.

Argumentum III. — 1. Quatenus Parallelismus psychophysicus necessario involvit *panpsychismum* radicalem, quemadmodum antea notavimus, expugnari potest argumentis, quae contra panpsychismum in genere proferuntur. (Cf. th. II. pag. 18).

2. Quatenus haeret in *Monismo*, obnoxius est omnibus difficultatibus, quae contra monismum afferri possunt. (Cfr. *L'âme et le corps* etc. chap. V. pag. 163 sqq.).

3. Quatenus supponit animam non esse *substantiam* vere et proprie talem sed meram multitudinem phaenomenorum sibi continuo succedentium, expugnatur ex professo thesi XXXIV.

4. Quatenus cum Fechner — qui primus systema Parallelismi psychophysici verbis explicitis proposuit — ad principium *conservationis energiae* appellat, falsitas parallelismi psycho-physici apparet tum ex eis, quae de hoc principio alibi (th. I. pag. 10) notavimus, tum ex eis, quae de natura animae et eius relatione ad corpus a philosophia Aristotelico–Scholastica traduntur. (Cfr. *La psychophysique* etc. praesertim ch. VII, pag. 190 sqq.).

Schol. I. — De systemate causarum occasionalium.

1. Ad systema Parallelismi psychophysici accedit systema Causarum Occasionalium: anima et corpus sunt duae substantiae completae et perfectae, quae nullam activitatem in se mutuo exercere possunt; unio harum duarum substantiarum a se prorsus independentium efficitur formaliter non ipsis hisce substantiis sed sola *activitate Dei,* qui *data occasione* idearum producit correspondentes motus in corpore et

vice versa: data occasione motuum corporis producit in anima correspondentes ideas. (Cfr. *Traité de morale*, part. 1, ch. 10; *Recherche de la vérité*, l. I, part. 2, ch. 3.; l. VI, part. 2. ch. 3, n. 6.).

2. *Crisis.* — 1. *Suppositum* theoriae est creaturas non posse quidquam efficienter agere sed solum Deum.

A. Hoc suppositum *a*) logice ducit ad *determinismum*; *b*) reddit Deum auctorem *peccati*; *c*) non potest rationabiliter explicare *perturbationes* legum, quae animam et corpus regunt; *d*) sternit viam *pantheismo*: denegata enim creaturis propria activitate denegari eis logice potest etiam propria substantialitas — nam « agere sequitur esse » (Cfr. Leibniz, *ep. ad Hoffmann* 27 sept. 1699; *Essais sur la bonté de Dieu*, partie III, n. 393); *e*) non reddit bene rationem mirabilis *structurae organorum* (si reapse *solus* Deus omnia in homine immediate efficit!) *f*) contradicit testimonio *conscientiae*, quam habemus nostrae activitatis (Cfr. th. XXXI). *E.*

2. Non explicat *unitatem a*) *naturae* hominis — quia negat omnem actionem vere communem animae et corporis; *b*) *speciei* humanae — quia anima, utpote substantia completa, non potest corpori, substantiae item completae, tribuere speciem! *c*) *personae* — quia enima et corpus uniuntur per vinculum ipsis omnino extrinsecum et sibi non communicatum (Cfr. thesim sequentem).

3. Continet *errorem methodicum* — nam non « unio » explicanda est per « concordiam », quae in operationibus animae et corporis elucet, verum potius concordia haec per unionem.

Schol. II. — De systemate « harmoniae praestabilitae ».

1. Ad systema Parallelismi psychophysici accedit etiam aliquo modo theoria, quae explicat unionem animae et corporis ope « harmoniae praestabilitae » a Leibnizio inventae: unusquisque motus — ita rem explicat Leibniz — fluit immediate ex motu antecedenti eiusdem corporis, qui iterum sequitur ex motu praecedenti et ita porro. Omnes motus, qui ita in corpore hominis evolvuntur a nativitate eius usque ad eius mortem, efformant unam seriem ininterruptam.

Similiter etiam quivis animae actus fluit ex pracedenti actu eiusdem animae ita, ut totus complexus actuum animae per totam hominis vitam efficiat unam seriem continuam.

Porro Deus, qui est omniscius, praevidit ab aeterno omnes omnino series tum motuum tum actuum psychicorum; pro sua Omnipotentia unicuique corpori talem animam praeordinavit, in qua actus eius animae cum perfectissima harmonia motibus corporis responsuros praevidebat.

2. *Crisis.* — *Suppositum* huius theoriae scil. doctrina de *monadibus* sese evolventium sola intrinseca immanenti virtute et — quod cum hoc asserto intime cohaeret — negatio omnis actionis *transeuntis* admitti nequit; nam: *a*) destruit *libertatem* — et cum ea responsabilitatem ethicam hominis pro actionibus suis e medio tollit, *b*) favet *Idealismo*: si enim corpora in animam non agunt, quomodo ipsa *ea* cognoscit? Nonne cognitio dicenda est autonoma (subiectiva)?

2. Non explicat unitatem *personae* et *naturae*, ut patet: nam anima et corpus, utpote monades, sunt substantiae completae et sui iuris; porro substantiae tales, etiamsi supponerentur perfecte secum concordare, non faciunt unum *suppositum*, unam *naturam* aeque ac duo horologia, quae indicant eandem horam (Cfr. thes. sequentem).

THESIS XLI.

Anima rationalis ita cum corpore coniungitur, ut ex utriusque unione unum ens substantiale exurgat proindeque anima rationalis sit vere ac proprie forma substantialis.

1. St. Qu. — Ex thesi praecedenti constat inter animam humanam et corpus non adesse relationem *meri parallelismi*, sed intercedere nexum *realis dependentiae* seu *causalitatis* proprie dictae.

At quia causalitas ipsa a variis vario modo concipitur, ideo fit, ut fautores systematis, quod unionem inter animam et corpus formaliter in causalitate reponit, sponte in varias abeant partes.

2. Conspectus historicus.

1. Secundum *Platonem* relatio inter animam et corpus est *accidentalis*, talis videl., qualis habet locum e. g. inter artificem et instrumentum (cfr. *Alcib.*, 129 c, 131 a; *Tim.* 42 sqq.). Homo non est, si proprie loqui velimus, ens *compositum* ex anima et corpore, sed potius *anima utens corpore.*

Doctrinam Platonis secuti sunt multi *Veteres*, inter quos eminent *Themistius*, *Simplicius* et multi *SS. Patres*, praesertim *S. Augustinus*, qui doctrinam — initio a se defensam — secundum quam anima dicitur conferre corpori ipsam existentiam, postea retractavit atque animam et corpus tandem habuit pro duabus substantiis *completis*, quae habent se ad invicem simili modo sicut eques et equus. — Ipsa unio inter corpus et animam illi apparet *mysterium incomprehensibile* pro hominibus: anima tam diversa a corpore et tam superior ipsi habet tamen appetitum naturalem ad unionem!

2. Doctrina *Cartesii* in quaestione praesenti nec *clara* nec *constans* est et hoc quidem ideo, quia: *a*) nullam *actionem* vere *communem* animae et corporis agnoscit: in plantis omnes operationes vegetativae fiunt absque influxu animae, in brutis nulla sensatio stricte dicta adest sed tantum apparentia eius, in homine tandem sensatio aeque ac intellectio est opus solius animae; *b*) essentiam animae reponit in *actuali cogitatione*, essentiam vero corporis in *mera extensione*. Sed quomodo res tam inter se disparatae secum « uniri » possint? Quomodo animae activitas corpus attingere valeat, et quomodo corpus influxum suum exercere possit in animam? *c*) Ut difficultates congestas contra « unionem », qualem ipse docet (cfr. *Med.*, VI), fugiat, affirmat eam esse notionem « *obscuram* » pro intellectu.

Aliquando tamen ita loquitur ac si « unio » consisteret formaliter in *actione mutua* inter corpus et animam (Systema mutuae causalitatis « seu » influxus physici).

Secundum *Locke* eiusque asseclas unio inter animam et corpus consistit in *actione mutua animae in corpus et corporis in animam*. Modificationes ab obiectis externis in organis sensuum productae ope nervorum conductivorum perveniunt usque ad sensorium commune, in quo residet anima, eamque ad intelligendum aliquo modo mysterioso excitant. Ex altera autem parte activitate voluntatis excitatur cerebri fluidum, quod iterum in nervos et musculos influxum exercet atque ita motus desideratos membrorum producit.

Secundum *P. Tongiorgi* unio inter animam et corpus constituitur « per hoc quod anima corpus pervadens (penetrans), vim suam vi corporis propriae associet admisceatque » (*Psych.*, l. II, cap. II, n. 167).

3. Secundum systema *Aristotelico-Scholasticum* unio inter animam intellectivam et corpus constituitur quidem vinculo « *causalitatis* », at tali, qualis inter *formam substantialem* et *materiam* existit.

3. Notiones. 1. *Unio.* — Unio intelligitur communiter *conjunctio plurium ad constituendum aliquod unum* seu relatio, vi cuius plura ita ordinantur, ut ex eis *unum* quid efficiatur.

Unio, ut ex hac *obvia* notione apparet, concipitur ad modum *formae*, quae constituit plura in ratione *unius.* — Quia autem, ut aliunde constat, unum constituitur in ratione unius eodem praecise modo, quo ens in ratione entis (« unum et ens convertuntur ! »), ens autem dicitur ab « esse », ideoque tot distinguendae sunt species unionis, quot distinguuntur species τοῦ « esse », quo plura secum copulantur.

2. *Species unionis.* — Si « esse » hoc est *reale*, habetur unio *realis* (talis est v. g. unio materiae et formae, unio subiecti et accidentis); si vero « esse » hoc est « intentionale », habetur unio *logica* (talis est unio praedicati et subiecti in propositione).

Unio realis distingui potest: *substantialis* et *accidentalis.* Unio *substantialis* illa intelligitur, quae plura ad genus substantiae pertinentia in *unam substantiam* (seu in ens per se unum) colligit.

Unio *accidentalis* autem illa est, quae enti in *primo esse* iam plene constituto affert aliquod *esse secundum* : hoc modo uniri possunt sive duae substantiae completae (navis et nauta — ratione unius loci; sodales eiusdem societatis vel duo homines trahentes navem — ratione unius finis) sive duo accidentia (v. g. quantitas et qualitas — ratione unius subiecti inhaesionis) sive substantia et accidens (v. g. anima et facultas intelligendi).

Unio *substantialis* iterum duplex distingui potest: *essentialis* et *personalis.* — *Essentialis* est, si duae substantiae unam efformant *essentiam* et per consequens unam etiam *naturam specificam* (cum « agere sequitur esse », ideoque ultimum principium essendi seu essentia est etiam ultimum principium agendi seu natura). — *Personalis* est, si duae substantiae ita secum coniunguntur, ut ex eis oriatur unum *suppositum*, una *persona* (ens sui iuris et alteri prorsus incommunicabile, cui

tamquam uni principio «quod» actiones utriusque substantiae adscribuntur).

3. *Unio animae et corporis in homine.* — Doctrina Scholae circa unionem animae et corporis in homine hisce continetur: *a*) homo est ens simpliciter unum (unum per se) seu substantia (essentia, natura) una.

b) Cum homo constet anima et corpore, et cum et anima et corpus sint substantiae proprie dictae, ideoque nec corpus nec anima singillatim sumpta sunt substantiae completae — sed incompletae tantum.

c) Hae duae substantiae incompletae (corpus et anima) habent se ad invicem tamquam «determinabile» seu potentia ad «determinans» seu actum (qui videl. potentiam determinat ad esse primum seu specificum).

d) Quia anima intellectiva ponit corpus (hominis) in specie humana, ipsa est *actus* seu *forma* substantialis, corpus vero est tantum potentia.

e) Haec potentia (corpus) secundum alios (illos videl., qui tenent distinctionem realem inter essentiam et existentiam) non habet *ullum* omnino actum ne entitativum quidem; secundum vero alios (illos scil., qui nonnisi distinctionem rationis inter essentiam et existentiam agnoscunt) habet quidem actum entitativum at *incompletum* in ratione *speciei*.

4. Thesis habet duas partes:

I. *Anima intellectiva et corpus componunt ens substantiale per se unum.*

II. *Anima est forma substantialis.*

Probatur thesis

Arg. I. — Ens, quod *habet unam essentiam*, est ens substantiale per se unum.

A. Anima intellectiva et corpus constituunt ens, quod *habet unam essentiam.*

E. Anima intellectiva et corpus constituunt ens substantiale per se unum.

Ad min. — Essentia est id, per quod formaliter res in certa aliqua specie rerum naturalium constituitur et ab omnibus aliis differt.

Porro praecise per *animam* intellectivam et *corpus* constituitur in sua propria specie rerum naturalium homo (« homo-animal rationale »).

Arg. II. — Conscientia testatur unum idemque ens esse, quod cogitat et sentit.

A. Hoc testimonium conscientiae esset impossibile, si anima intellectiva et corpus non constituerent ens substantiale per se unum. *E.*

Mai. — Per se patet. « Ipse idem homo est, qui percipit se et intelligere et sentire ». (S. Th. I. q. 76, a. 1, c.).

Idem comprobat constans et universale suffragium *sensus communis*, quod uni eidemque *subiecto materiali* (Petro) attribuit operationes *spirituales* intellectionis. — Nec ullam difficultatem hic faciunt quidam casus pathologici (Cfr. th. XXXIV).

Ad min. — Si anima intellectiva et corpus non costituerent ens substantiale per se unum, sed *duo* entia per se, intellectiones — utpote actiones immanentes — pertinerent exclusive ad ens intelligens, sensationes vero item — utpote actiones immanentes — pertinerent exclusive ad ens sentiens. Consequenter unum subiectum non perciperet nisi suas proprias intellectiones, alterum subiectum item non perciperet nisi suas proprias sensationes, at *neutrum* subiectum percipere posset *utrumque* genus actionum: intellectiones et sensationes *tamquam suas* proprias.

Dices: Testimonium conscientiae et sensus communis, quatenus uni eidemque enti adscribunt operationes et materiales et spirituales, sufficienter iustificantur *proximitate* entis utriusque: animae spiritualis et corporis.

Rs. N. *simpliciter*. Nam etsi nauta et navis proxime invicem inveniantur, « non dicimus, quod intelligere nautae sit intelligere huius totius, quod est nauta et navis, sed nautae tantum » (S. Th., *De Unitate intellectus contra Averroistas*).

Dices: Ideo subiecto materiali attribuitur intellectio, quia *movet* (iuvat) *animam intellectivam ad intellectionem.*

Rs. a) Si hoc argumentum quid valet, nimis valet. Nam aequo iure etiam sensibilibus externis attribuenda esset sensatio (actus sentiendi), quia etiam ipsa movent animam ad sentiendum!

b) Tunc tantum operatio alicuius mobilis attribuitur moventi, quando mobile exercet operationem suam tantum virtute communicata a movente. Sed anima intellectiva non intelligit virtute sibi a corpore communicata, ut patet!

I Forma substantialis

PARS. II. — ANIMA HUMANA EST FORMA SUBSTANTIALIS.

ARG. I. — Quidquid est, habet suam rationem sufficientem; proindeque et unitas substantialis hominis, de qua in parte praecedenti egimus, habet suam rationem sufficientem.

Atqui rursus. Haec unitas substantialis non haberet rationem sufficientem, si anima humana non esset forma substantialis hominis. *E.*

Ad. min. ult. — Ortus entis unius ex *duobus* aliis fit aut ita, ut 1. haec duo entia sint perfecta et deinde in composito actu, et *formaliter perseverent*, ut fit in « *mixtura* » — aut ita, ut 2. haec duo entia sint perfecta, sed deinde invicem se transmutent ac proprias *formas amittant* in compositio, ut fit in « *composito chemico* » — aut ita, ut 3. haec duo entia sint *imperfecta* atque ad invicem se habeant tamquam potentia et actus, materia et forma.

Atqui nec I. nec II. modus unionis explicare potest unitatem substantialem hominis, qualem modo vindicavimus.

Ergo admitti debet III. modus; aliis verbis, corpus et anima intellectiva habent se ad invicem tamquam materia et forma, ac per consequens anima rationalis est *forma substantialis corporis humani.*

Ad. min. ult. Non I. modus... Rationes: *a*) ex *duobus* entibus *actu* fieri non potest unum per se, sed tantum unum per accidens; *b*) nec anima nec corpus sunt substantiae *perfectae*, quia nonnisi simul possunt producere operationes « humanas ». (Cfr. S. Th. *C. G.* II. 57).

Non II. modus. — Hic enim supponit illa duo entia physice corruptibilia. Ergo.

II Ratio sufficiens est intrinsecam partem

ARG. II. — Assignanda est ratio sufficiens unitatis, qualem homini in parte I. vindicavimus.

Atqui (I) Talis ratio non assignatur nisi in quantum admittitur animam intellectivam esse *partem* hominis *intrinsecam* (*constitutivam*).

Atqui rursus (II) Anima intellectiva non potest esse pars hominis intrinseca et constitutiva nisi sit eius forma substantialis.

Ergo anima rationalis est forma substantialis.

Ad min. (I) Aliqua actio tribui potest homini v. g. Petro vel 1. *secundum se totum*, hoc videl. sensu, quod principium huius actionis est *tota essentia* Petri; vel 2. *secundum partem*: hoc videl. sensu, quod principium eius est aliqua *pars* Petri; vel 3. *per accidens*, sicut architectus per accidens medetur morbis.

Atqui *intellectio* non tribuitur Petro *per accidens*, nam tribuitur ei, quatenus est *homo* — hinc essentialiter; 2. non tribuitur Petro *secundum se totum*, nam *idem ipse* homo est, qui percipit se *intelligere* et se *sentire*. Porro sentire non est sine corpore. Ergo intellectio tribuitur Petro *secundum partem*; proindeque anima intellectiva est *pars hominis*.

Atqui iterum haec pars est Petro intrinseca. Ergo.

Ad. min. ult. Si anima intellectiva non esset pars intrinseca hominis, eius operatio (intellectio) non posset tribui homini essentialiter. (S. Th., I, q. 76 a. 1. c.).

Arg. III. — Forma substantialis est id, quo res physice ponitur individuum determinatae speciei seu entis simpliciter.

Atqui praecise anima rationalis est, qua homo ponitur individuum determinatae speciei seu entis simpliciter.

Ergo anima rationalis est forma substantialis.

Ad min. — « Species uniuscuiusque rei ex eius operatione ostenditur. Propria autem operatio hominis, in quantum est homo, est intelligere: per hanc enim omnia animalia transcendit... Oportet ergo, quod homo secundum illud speciem sortiatur, quod est huius operationis principium » (S. Th., I, q. 76, a. 1. c.).

Coroll. I. — Ergo anima intellectiva definienda est: *spiritus essentialiter ordinatus ad informandum corpus.* — Vox « spiritus » in hac definitione exprimit rationem genericam; verba vero reliqua exprimunt differentiam specificam.

Coroll. II. — Ergo falsa est 1. theoria « influxus physici » (Platonis, Cartesii, Locke), 2. theoria « commixtionis virium » (Tongiorgi).

anima est - spiritus essentialiter ordinatus ad informandum corpus!.

1. *Falsa theoria* « *influxus physici* » nam: *a*) si unio inter animam et corpus consistit in *influxu* (efficienti) mutu o unius in alterum, tunc haec unio non est essentialis, sed mere accidentalis.

A. Falsum consequens.

E. Et antecedens.

Prob. min. — *a*) Unio, quae consistit in influxu mutuo animae et corporis, est unio *motoris et mobilis*. Porro talis unio est, ut constat, accidentalis (talis unio etiam inter nautam et navim existit).

b) Spectata notione *activitatis* corporis alibi explicata, inintelligibilis — immo impossibilis — redditur influxus corporis in animam — quae est spiritus — nisi velis incidere in materialismum crassum (Cfr. *La psychophysique* etc., pag. 42-57; 197-201).

2. — *Falsa est etiam theoria* « *commixtionis virium* » nam:

a) Commixtio virium est commixtio accidentium.

A. Commixtio accidentium non efficit nisi unionem accidentalem (non substantialem!). *E.*

b) Quomodo anima et corpus possent « commiscere » vires, non patet, cum vires immateriales et vires materiales essentialiter — immo toto ordine — differant.

Coroll. III. — De Theoria « mediatoris plastici ».

1. Ioannes *Leclerc* docuit inter animam intellectivam et corpus existere quandam substantiam mediam, quae constituit utriusque vinculum; ideoque vocata est ab eo: « mediator plasticus ». Haec substantia est quidem immaterialis et activa, attamen nulla conscientia sui — immo nulla cognitione est — praedita. Eius operationes propriae sunt v. g. motus cordis, respiratio etc., haec enim nec ab anima, nec a corpore fluere possunt.

Theoria haec est quaedam applicatio particularis ad problema de unione animae et corporis theoriae *Rudolphi Cudworth'i*, qui ad explicandam activitatem materiae finxit quandam naturam mediam inter Deum et corpora: « naturam generatricem », per omnes res diffusam!

2. *Crisis.* — 1. *Gratuito* asseritur existentia mediatoris plastici.

2. Substantia immaterialis non potest esse sine ulla *cognitione*.

3. Mediator plasticus unitur corpori *accidentaliter* aut *substantialiter*. Si I, unio inter animam et corpus, quae praecise mediatore plastico efficitur, erit accidentalis. Si II, tunc hic mediator plasticus erit actus *primus*, proindeque anima non erit nisi actus *secundus* (forma accidentalis), nec per consequens poterit cum corpore efficere ens *substantiale per se unum*.

4. Mediatori plastico attribuuntur proprietates, quae secum invicem *pugnant*: immaterialitas et materialistas. — Porro ens completum — (entia incompleta non admittit!) — necessario est formaliter immateriale aut materiale; non datur medium.

Coroll. IV. — De theoria Rosmini.

1. Secundum *Rosmini* unio inter animam intellectivam et corpus consistit in *perceptione* immanenti sensationis fundamentalis et perpetuae, qua anima sensitiva sentire dicitur suum corpus — (*Libro dell'uomo* I. c. 7, prol. VIII., pag. 349). — Forma substantialis corporis non est anima, sed potius animae effectus.

2. *Crisis.* 1. — Unio, quae fit ope perceptionis, est *unio cognoscentis* et *cogniti*. Atqui unio cognoscentis et cogniti non est physica sed *intentionalis*. Ergo anima intellectiva et corpus iunguntur nonnisi intentionaliter, proindeque sunt *duo* entia eodem praecise modo, quo subiectum cognoscens et obiectum cognitum.

2. Notio *formae substantialis*, qualem Rosmini tradit, (forma substantialis dicitur esse «effectus» animae!) est omnino falsa, ut ex alibi dictis patet (Cfr. insuper th. XXIII, pag. 208).

Schol. I. — De inaequalitate animarum intellectivarum.

1. Adesse quandam inaequalitatem animarum intellectivarum factum est ex experientia omnino notum. Etenim virtus intelligendi et volendi non eadem est in omnibus hominibus. — Quaestio est tantum: *undenam* sit repetenda.

2. Duplex sententia.

I. — Unice ex *diversitate materiae*: pro meliori dispositione materiae meliores etiam sunt in homine facultates sensitivae sive externae sive internae (imaginatio et memoria), quae concurrunt (modo in th. XXV, pag. 218 sqq. explicato) ad operationes animae intellectivae.

II. — Non unice ex diversitate materiae, sed insuper *ex diversitate ipsius perfectionis intrinsecae* — individuali — *animarum* intellectivarum; « manifestum est enim, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem *sortitur* animam... quia actus et forma recipitur in materia secundum materiae capacitatem » (S. Th. I. q. 85 a. 7. c.). Deus, creando animas — formas substantiales — easque ordinando ad corpora *inaequalia*, producit in eis perfectionem intrinsecam individualem (non specificam!) *inaequalem*.

OBIECTIONES.

1) *Quod exercet in aliud influxum causalem realem, non unitur cum eo in ratione unius substantiae.*

A. Anima exercet in corpus influxum realem causalem.

E. Anima non unitur cum corpore in ratione unius substantiae.

PROB. MIN. — *Anima « regit » seu « movet » corpus.*

RS. DST. MAI. — Quod exercet in aliud influxum realem tamquam causa mere *efficiens*... Tr.; ... tamquam causa *formalis*... N.

CTDS. MIN. — N. Cons.

AD PROBATIONEM. — Locutiones: « anima regit, movet corpus » sunt tropicae (synecdochen): per « animam » designantur facultates *superiores* hominis; per « corpus » vero facultates *inferiores* hominis. — Hoc sensu etiam loquimur: « homo regit semetipsum ».

2) *Forma substantialis constituit actu rem extensam.*

A. Ens spirituale, quale est anima humana, non potest constituere actu rem extensam.

E. Anima humana non est forma substantialis.

RS. DST. MAI. — ... constituit rem extensam hoc sensu, quod ipsa est *formalis* ratio extensionis corporis N. (hoc modo constituit rem extensam quantitas!); constituit rem extensam hoc sensu, quod materiae, quae ex se dicit relationem ad quantitatem seu exigit quantitatem, *dat actualitatem* C.

CDTS. MIN. — N. Cons.

3) *Anima et corpus, utpote entia incompleta, habent proprium « esse ».*

A. Quae habent proprium « esse », non possunt uniri in unam substantiam. E.

Rs. Dst. Mai. — . . . hoc sensu, quod « esse » animae *communicatur corpori* C.; hoc sensu, quod anima et corpus habeant propria « esse » incompleta Tr.

Ctds. min. — N. Cons.

Qui distinctionem realem inter essentiam et existentiam tenent, docent essentiam hominis (compositum ex materia I et anima) existere per existentiam, quae animae humanae, utpote formae subsistenti, convenit. Itaque in homine adest unum « esse ». — Qui vero existentiam identificant cum essentia, in essentia humana, utpote composita ex duplici parte: materia et anima, duo admittere debent «esse» «incompleta», quae se mutuo complent. — Solutionem difficultati dedimus, ut patet, ad mentem suppositionis prioris.

4) *Si compositum humanum existit per existentiam animae, eadem existentia erit simul immaterialis et materialis.*

A. Consequens repugnat.

E. Et antecedens.

Rs. Dst. Mai. — . . . eadem existentia erit simul immaterialis et materialis *sub eodem* respectu N, *sub diverso* C.

Ctds. min. — N. Cons.

Existentia (in sententia tenente distinctionem realem inter essentiam et existentiam) est *actus simplex* (indivisibilis). Prouti hic actus recipitur in essentia *spirituali* (seu actuat essentiam spiritualem), dici potest « immaterialis », prouti vero recipitur in essentia materiali, dici potest « materialis » ; in hoc enim ultimo casu « esse » entis materialis reapse *pendet* a materia. — At ratione sui seu *per se* « esse » nec est spirituale, nec est « materiale » — nam spirituale et materiale sunt divisiones *essentiae*, cui praecise opponitur realiter existentia (tamquam actus potentiae).

THESIS XLII.

Unica est in homine anima — principium vitae intellectivae, sensitivae, vegetativae.

1. St. Qu. — 1. Tum *conscientiae* testimonium tum *experientia externa* vel maxime obvia testantur unumquemque hominem vivere triplicem vitam: intellectivam, sensitivam, vegetativam.

Sed hoc facto posito, exsurgit statim quaestio: proceduntne operationes intellectivae, operationes sensitivae et operationes vegetivae a *triplici* — realiter inter se distincta — anima, an vero ab *unica*, quae tantum triplex munus exerceret: intelligendi, sentiendi, vegetandi.

Rationes ponendi hanc *quaestionem* sunt:

a) Actus vitae intellectivae *essentialiter differunt* ab actibus vitae sensitivae; actus vero vitae sensitivae essentialiter differunt ab actibus vitae vegetativae.

b) Vita vegetativa potest in ordine reali sola i. e. sine vita sensitiva et intellectiva existere (in planta). Similiter vita *sensitiva* existit saepe *sine intellectiva*, videl. in animali bruto.

Porro utrumque est signum *certum* realis distinctionis *principiorum* harum trium vitarum. — Dubium tantum movetur, utrum praeter realem distinctionem principiorum *proximorum* admittenda sit insuper realis distinctio principiorum *ultimorum* seu *animarum*.

2. Conspectus historicus.

I. *Trichotomia* (tridynamismus): in homine dantur 3 animae. Adscribitur haec theoria *Platoni*, qui admisit in homine tria « μέρη « seu »γένη τῆς ψυχῆς » : *a*) τὸ ἐπιθυμητικόν seu animam, quae dirigit operationes vitae vegetativae » manducandi, bibendi, et omnium rerum, quibus naturaliter habet opus corpus » (*Tim.*, 70 *d*; *De Republ.*, l. 4.), et quae residet in hepate (*Tim.*, 70 *c*); *b*) «τὸ θυμοειδές» seu animam, « quae participat in virtute et ardore militari » (*Tim.*, 70 *a*), et quae residet in thorace (*Tim.*, *ibid.*; *c*) τὸ λογιστικόν (νοητικὸν, θεῖον) seu animam rationalem, quae residet in capite.

Utrum haec tria principia sint ex mente ipsius Platonis reapse tres distinctae *animae,* an tres tantum *facultates* unius eiusdemque animae, multum de hoc disputatur inter auctores. Nobis videtur Plato admisisse potius *duplicem* animam: immortalem unam et alteram mortalem, hancque ultimam constare duplici parte: « θυμοειδές » et « ἐπιθυμητικόν » (Cfr. *Tim.*, passim, praesertim 41 *c*–42 *d*; 69 *c*, *d*).

Avicebron (Ibn Gebirol): existunt in homine tres animae et quidem essentialiter sibi subordinatae ita, ut anima vegetativa sit materia animae sensitivae, anima vero sensitiva materia animae rationalis.

II. *Dichotomia* (didynamismus): in homine dantur duae animae:

Manichaei: insunt in homine duae animae *rationales*: *a*) bona, quae a Deo bono creata est et nulli malo morali est obnoxia; *b*) mala, quae a Numine malo condita est, et plena est vitiorum (Cfr. S. Aug., *Lib. de duabus animabus*, c., 12).

Apollinaris et Gnostici item admiserunt duas animas: sensitivam (« animam ») et rationalem (« rationem »). — Similem sententiam admisisse videtur *Clemens Alexandrinus*: homo habet duas animas scil. *a*) sensibilem (carnalem); *b*) rationalem (dirigentem), quae non est creata cum corpore (cf. *Stromata*, VI, 6, 16, M. P. G., IX, 273, 360).

Averroës (Ibn Roschd): unusquisque homo habet duas animas: *a*) animam universalem, communem omnibus, seu « intellectum agentem »; *b*) animam particularem, unicuique homini propriam, seu « intellectum passivum ».

Occam (Quodlibet II, q. 2), *Fr. Mirandulanus* et alii praeter animan immaterialem (spiritualem) a Deo creatam posuerunt in homine animam materialem, quae ex semine oritur. — Huic sententiae accedunt *Baco Verul.*, *Petrus Gassendi* (*Animadvers. de physic. Epicuri*, 555) et *Buffon* (*Discours sur la nature des animaux*), hac praecipue ducti ratione, quod sola theoria « duplicis animae » reddere possit rationem *pugnae* inter facultates hominis superiores et inferiores.

Ant. Günther (1785-1861): in unoquoque homine adsunt duae animae: « πνεῦμα » seu spiritus humanus et « ψυχή » seu principium sensitivum. Anima spiritualis creatione oritur; anima vero sensitiva est naturalis terminus evolutionis continuae fundi vivi seu « naturae », quae in toto universo existit, et quae paulatim transit ex vita anorganica ad vitam vegetativam ac tandem ad vitam sensitivam.

Homo est synthesis cuiusdam antithesis scil. spiritus et *physis* (physis = corpus organicum vita sensitiva praeditum). Huic sententiae, quae, ut patet, haberi potest pro *Apollinarismo* redivivo accedit suo modo Baltzer.

Schola *Montispessulani* duce Barthez: operationes vegetativae procedunt ab anima inferiori (principio « psychoelectrico »), sensatio autem et intellectio procedit ab anima rationali.

N. B. Saepe vox « trichotomia » alio sensu sumitur, videl. significat theoriam, secundum quam *homo* constare dicitur tribus partibus: corpore, anima intellectiva (spiritu) et anima inferiore seu sensitiva. Consequenter ad haec « dichotomia » significat doctrinam, secundum quam *homo* constat duplici parte: corpore et anima rationali (quae est principium omnis vitae: intellectivae, sensitivae et vegetativae).

III. *Doctrina Scholae*: datur in homine *unica* anima seu unum radicale principium, in quo facultates (vires) tum vitae intellectivae tum sensitivae tum vegetativae fundantur (vires vegetativae et sensitivae formaliter sunt tantum in composito, in anima sunt radicaliter!).

Probatur thesis.

Arg. I. — Ex unitate per se hominis.

Homo est ens per se unum.

A. Ens per se unum non habet nisi unam (unicam) animam.

E. Homo habet unam (unicam) animam.

Mai. Patet ex thesi praeced.

Ad Min. Anima est forma substantialis.

A. Ens per se unum non habet nisi unam (unicam) formam substantialem. E.

Ad Mai. ult. — Animam *intellectivam* esse formam substantialem patet ex thesi praeced. — Animam *sensitivam* esse formam substantialem probavimus iam thesi VII. — Animae *vegetativae* competere rationem formae substantialis apparet ex thesi II.

Min. ult. — Patet ex notione *formae substantialis* alibi tradita. — Forma substantialis, qua talis, tribuit materiae « esse simpliciter » i. e. complementum intrinsecum et ultimum in ordine essentiae, complementum *dynamicum*, quod deinde dirigit *ab intra* omnes entis actiones ad ultimum finem internum et ita tribuit enti « esse specificum ». — Quare si in uno eodemque numerice ente plures essent formae substantiales, *eius operationes ad plures fines internos dirigerentur*, quod involveret multiplex « esse specificum » — et sic actum esset de unitate entis viventis.

Quae cum ita sint, in *uno ente per se* — qualis est homo — sicut unum datur esse simpliciter, esse specificum, ita etiam una tantum datur anima, quae — ut patet — non potest esse sensitiva nec vegetativa — *repugnat* enim animae sensitivae vel vegetativae producere intellectionem — sed necessario debet esse anima intellectiva, quae utpote forma superior continere potest in se virtutem formarum inferiorum: sensitivae et vegetativae (Arist., *De An.*, II, 3 414*b* 28–33; S. Th., I, q. 76 a 3).

Pugna autem intestina, qualem experimur inter inclinationes sensitivas et rationales in nobis, minime arguit distinctionem realem principiorum *ultimorum* harum inclinationum i. e. animae sensitivae et intellectivae; nam *a*) similis pugna etiam inter inclinationes *rationales et rationales* saepe observatur; *b*) conscientia teste intime experimur *unum idemque* ens in partes oppositas ferri inclinationibus dictis, non vero *duo*: alterum in bonum sensibile, alterum in bonum intelligibile.

Arg. II. — Ex sequelis.

Si praeter animam intellectivam adest in homine alia anima (sensitiva vel vegetativa), haec alia anima necessario informat hominem.

A. Falsum consequens.

E. Et antecedens.

Ad mai. — Anima sensitiva vel vegetativas, utpote *non subsistens*, non potest, ut patet, existere *nisi informando* actu materiam. Quare si reapse existit in homine, necessario eum informare debet. — Nec valet dicere: potest adesse in homine forma sensitiva vel vegetativa secundum realitatem suam (« entitative », « specificative »), at non necessario secundum suam rationem informandi (« formaliter », « reduplicative » qua forma). Nam si non adessent in homine secundum *rationem informandi*, non posset homo exercere *operationes* sentiendi et vegetandi, ut terminos consideranti patet.

Ad min. — Si anima inferior (sensitiva et vegetativa) informaret corpus hominis, eo ipso homo aut pertineret ad *plures species* aut — quia impossibilitas huius suppositiones patet ex arg. I — non pertinet ad speciem *humanam* et consequenter vita intellectiva in homine non esset nisi quid *accidentale* (Cfr. S. Th., *Qu. disp. De An.*, a. 11.): quod enim advenit enti in suo *esse primo* seu *substantiali* constituto, affert ei *esse accidentale.*

Confir. 1. — Actiones immanentes, quae non radicantur in uno principio ultimo, invicem se impedire non possunt.

Atqui aliquando (licet non primario) operationes triplicis vitae in homine invicem se impediunt.

Ergo operationes triplicis vitae radicantur in uno principio ultimo seu in una anima.

Ad mai.: Actiones immanentes manent in eodem principio, a quo eliciuntur, nec *ad aliud* principium transeunt!

Neque obicias: Actiones ultimi principii « quo » possunt transire ad alterum ultimum principium « quo » per ultimum principium « quod ».

Rs.: Ultimu mprincipium « quod » non agit nisi ultimis principiis « quo ».

Confirm. II. — Operationes trium vitarum in homine ita naturaliter sunt secum connexae, ut 1. nulla vita sine altera existat; ut 2. operationes harum trium vitarum ultimatim ad 1 finem tendant scil. ad perficiendum *ens rationale.*

A. Haec naturalis connexio in existendo et operando non bene intelligitur in suppositione trium animarum in homine. *E.*

Maior. Ad 1. — Productio unius vitae in homine habet tamquam consectarium prorsus necessarium productionem vitae *rationalis* et vice versa. — Item destructio unius vitae infallibiliter inducit destructionem vitae rationalis: numquam ex homine fit brutum animal vel planta; transitus ex homine fit simpliciter ad ens anorganicum (Vide thes. VII.).

Ad 2. — Operationes vitae inferioris construunt corpus aptum ad sentiendum et ad concurrendum modo efficaci ad intellectionem.

Min. Ad 1. — Si in homine darentur tres animae re distinctae, non bene apparet, cur una orta, necessario oriatur vita rationalis; cur una destructa, inevitabiliter pereat omnis alia vita.

Ad 2. — Non intelligitur, quomodo ultima principia operationum *immanentium* — quales sunt animae — possint tam mirabilem *conspirationem ad 1 finem* efficere (Cfr. th. VII.).

Coroll. I. — De virtuali distinctione animae intellectivae, sensitivae et vegetativae.

Etsi in homine inter animam intellectivam, sensitivam, vegetativam non existat distinctio realis, existit nihilominus inter eas distinctio *virtualis.* — Distinctio enim virtualis habet locum praecise inter ea, quae licet sint a parte rei unum idemque, tamen ratione perfectionis, quam effectibus suis produnt, aequivalent pluribus entibus, a parte rei distinctis.

Porro anima intellectiva praestat effectus non tantum intellectivos sed etiam vegetativos et sensitivos seu tales, quales ab animabus sensitiva et vegetativa praestantur.

Coroll. II. — De forma corporeitatis.

1. Secundum *Henricum Gandavensem* adest in omni vivente praeter formam, quae affert ei formaliter rationem vitae, alia insuper forma substantialis, qua vivens constituitur *simpliciter corpus* seu realitas, cui essentialiter trina dimensio debetur. — Eandem sententiam tenuit etiam *Scotus*: homo constituitur in ratione corporis non per animam, sed per « formam corporeitatis », quae est forma substantialis imperfecta conferens enti solum *esse genericum* seu esse corporis; quo fit, ut compositum ex materia et forma corporeitatis sit substantia *incompleta*, involvens relationem necessariam ad animam, quae affert huic composito determinationem specificam (*talis viventis*, puta hominis. Cfr. Scoti Supra IV Sent. Dist. II, q. 34). Recedente anima ab ente vivente remanet sola haec forma corporeitatis, quae tunc vocatur *forma cadaverica*.

Falsitas huius sententiae satis elucet ex argumento I.

2. Ad theoriam hanc accedunt illi ex Scholasticis recentionibus, qui dicunt: elementa manent in composito humano sicut manent litterae in syllaba vel syllabae in vocabulo vel triangulum in quadrangulo, in quod transit addito triangulo altero: triangulum tale nihil « realitatis » amittit, nihilominus « realitas geometrica », quae antea erat triangulum, nunc per *solam additionem* novi trianguli seu per meram subsumptionem in quadrangulum cessat esse triangulum (quia formam trianguli propter suppressionem diagonalis amisit).

Secundum hanc sententiam distinguitur in forma elementorum illa *realitas, quae* est forma, et ipsa *ratio informandi*, seu forma « entitative » sumpta et forma « formaliter » sumpta, seu adhuc forma « specificative » et forma « reduplicative » considerata. Quando elementa intrant in corpus vivum, formae elementares non desinunt secundum realitatem suam, sed tantum desinunt esse formae stricto sensu i. e. in organismo vivo iam non dant elementis determinationem internam *ultimam*; hanc ab anima, quae totum informat, recipiunt. — Ita fere P. Tilmannus Pesch, Descocqs et alii, qui pro hac theoria etiam ad auctoritatem S. Alberti Magni, S. Bonaventurae, S. Thomae iunioris appellant. Rationes pro hac sententia (secundum Pesch):

1) In organismo manent eaedem qualitates, quae fuerunt in elementis (etsi paulisper attemperatae et ligatae). Sed si

manent qualitates, manent etiam subiecta, in quibus hae qualitates inhaerent, i. e. elementa, proindeque etiam eorum formae (Pesch, *Psychol.*, pag. 314).

2) In vivente observantur multae operationes, quae propriae sunt elementorum; v. g. *hydrogenium*, quod adest in pulmonibus, arripit *chlorum* maxima cum vehementia, idque in detrimentum totius animalis. Immo ratio, quae inducit mortem animalis nonne est quaerenda in eo praecise, quod elementa, quae sunt in eius organismo, exercent contrariam inter se activitatem? (*op. cit.*, 316-317).

3) Sententia tenens unicam formam substantialem cogitur ad admittendum in momento corruptionis organismi exurgere *novam formam* s. d. *cadavericam*. Porro haec forma, licet in se non repugnet, est tamen aliena a sensu communi, secundum quem corpus vivum trasmutatur substantialiter in cadaver propter *solum* animae discessum (*op. cit.*, pag. 317).

3. *Crisis: Ad rationem 1.* — Nec per se evidens est nec a cl. auctore invicte demonstratur *suppositum* argumenti scil. qualitates in organismo esse reapse *numerice* easdem ac fuerunt in elementis.

Immo neque *specifica* earum identitas apodictice ostendi potest; reapse modus operandi qualitatum in organismo multum differt a modo operandi qualitatum extra organismum (Cfr. th. I, 1).

Ad rat. 2. — *a*) Idem dicendum atque ad arg. praecedens.

b) Determinatus modus operandi competit corpori *ratione formae, qua talis*. Sed si formae elementorum desierunt proprie *informare*, non bene intelligitur, quomodo possint esse ratio permanentiae operationum.

c) Si argumentum quid probat, *nimis probat*. Nam aequo iure ad explicandas similes operationes *vegetativas* in animali et in planta deberemus etiam in animali *duplicem* animam *secundum realitatem* admittere!

Ad rat. 3. — Theoria unicitatem formae substantialis in organismo defendens stare potest, quin necessario etiam forma cadaverica teneatur. Nullus enim nexus *intrinsecus* inter hasce duas res ostendi potest. Etiam in suppositione unius formae substantialis rationabiliter admitti potest post recessum animae ex organismo oriri *statim* formas tum corporum chemice compositorum in via decompositionis tum etiam elementorum. Hoc eo rationabilius teneri potest, quod *homo-*

geneitatem absolutam corporis compositi minime tenemus (Corpus compositum — quale est v. g. corpus vivens — ita est substantialiter homogeneum, ut simul sit accidentaliter *heterogeneum* i. e. in diversis suis partibus diversis etiam afficiatur accidentibus). Plura de forma cadaverica inferius.

Nec efficacius rem probant argumenta petita tum ex *motu browniensi liquidi*, emissione particularum helii ex *radio*, *reflexione radiorum* « X » (quae omnia facta videntur multis Modernis probare structuram discontinuam materiae seu atomos) tum ex proclamata a Modernis « unitate materiae » (corpora dicuntur non esse nisi modificationes accidentales *unius* specifice materiae: electricitatis vel energiae). — Dummodo enim in argumentis allatis accurate distinguantur *hypotheses* Modernorum (plus minusve arbitrariae) a *factis* experientiae nudis, nihil haec argumenta continent, quod unicitati formae substantialis reapse officiat — solvi possunt admissa *heterogeneitate accidentali* compositi substantialis, ut alibi monstratur. — Aliunde theoria multiciplitatem formarum substantialium in uno eodemque ente tenens non bene cohaeret cum fundamentalibus notionibus causae *formalis*, *unitatis* entis, *mutationis* substantialis, ut suis locis ostenditur.

Schol. I. — De sensu definitionis Concilii Viennensis.

1. Concilium *Viennense* sub Clemente V. celebratum definivit anno 1311 « Unigenitum Dei Filium... partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus in se verus Deus exsistens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile, et *animam intellectivam* seu rationalem, *ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem* assumpsisse... Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectiva vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae inimicam fidei, praedicto sacro approbante Concilio reprobamus; definientes, ut cunctis nota sit fidei sincerae veritas ac praecludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod *anima rationalis* seu intellectiva non sit *forma corporis* humani *per se et essentialiter*, *tanquam haereticus sit censendus*. Denzinger, *Enchir.*, n. 409 (481). Quam definitionem confirmavit Concilium Lat. V. sub Leone X. Denzinger, *ibid.* n. 621 (738).

2. *De mente Concilii* multum disputatum est. — Secundum *Palmieri* Concilium voluit solummodo *multiplicitatem* animarum damnare. Secundum *Zigliara* Concilium intendit ipsum *modum unionis* inter animam et corpus, qualem Thomistae asserunt, definire. (Cfr. Palmieri, *Antropol.*, th. 14, pag. 394-416; Zigliara, *De mente Concilii Viennensis*, Romae, 1878).

3. Mens definitionis praesentis determinanda est ex doctrina Petri Ioannis Olivi (1297), nam *nunc* historice constat Concilium errorem huiusce auctoris condemnare voluisse. — Porro Olivi docuit *animam humanam* componi materia spirituali et triplici parte eam informante scil. vegetativa, sensitiva, intellectiva; solam partem vegetativam et sensitivam *informare* corpus; partem autem intellectivam esse formam corporis non ratione sui seu *per se*, sed solummodo *mediante* vegetativa et sensitiva, cum quibus unita est in eadem materia spirituali et quas gubernat (fere sicut nauta navem) influxu activo (« substantialiter » quidem, sed non ut forma!).

Quae cum ita sint, patet Olivi *unionem formalem* animae intellectivae cum corpore e medio tollere, et solam unionem *dynamicam* statuere atque adeo unitatem *naturae* humanae in periculum vocare.

Concilium damnando sententiam P. Olivi inculcat animam rationalem esse *formam corporis* humani:

a) « vere » i. e. non sensu aliquo *metaphorico* vel *analogico* vel *morali* (quo modo loqui solemus de forma v. g. contractus, societatis ecc.), sed sensu proprio, physico.

b) « per se » significat: α) non *per accidens* i. e. non propter factum aliquod contingens, puta aliquod scelus commissum; β) non *per aliud* i. e. non per aliquam realitatem a se realiter distinctam, puta per animam *sensitivam*.

c) « essentialiter » i. e. vi ipsius suae *essentiae* (substantiae) anima rationalis ordinatur ad informandum corpus et non vi tantum alicuius sui effectus, actionis vel facultatis (a se distinctorum). — Ideoque Pius IX interpretando hoc Ecclesiae documentum ponit loco « essentialiter » verbum « immediata corporis forma » (*Litterae Apost. Pii IX, 1857 ad Archiep. Colon.*; Denzinger, n. 1509, 1655).

d) Concilium minime voluit definire animam esse *unicam* corporis formam — secus fuisset damnata forma *corporeitatis,* qualem ante concilium Viennense docuerunt *Doctor Sub-*

tilis (Scotus), *Doctor Seraphicus* (S. Bonaventura), *Doctor Irrefragabilis* (Alex. Halensis), *Doctor Solemnis* (Henricus Gandavensis), *Doctor Solidus* (Richardus a Media Villa), et tempore ipsius Concilii *Doctor Resolutissimus* (Durandus), *Doctor Illuminatus* (Franciscus de Mayronis), Joannes de Baccone († 1346) et multi alii. — Adde quod formula damnationis erat praeparata ab ipsis Fr. Fr. Minoribus S. Fr. — Idem clare apparet ex epistola *Valdimiri Czacki* scripta ex mandato Pii IX ad Univers. Insulensem.

e) Immo secundum communiorem sententiam theologorum Concilium non definivit animam intellectivam esse formam corporis sensu *stricte scholastico* sumptam, quia nec doctrina Cartesii nec theoria Dynamistarum vel Atomistarum formaliter pro *haeretica* habeatur (licet concedi debeat sententiam scholasticam melius cohaerere cum sensu definitionis).

Schol. II. — De forma cadaverica.

1. Forma cadaverica intelligitur illa forma substantialis, quae generari dicitur, dum ens vivens corrumpitur (corruptio unius est generatio alterius!), et quae dicitur facere transitum a forma vivente ad formas elementorum, in quae vivens paulatim dissolvitur.

2. Qui hodie formam cadavericam vult tueri, non potest eam asserere *unicam* in cadavere, quae videl. faceret ens *per se unum*. Reapse enim cadaver non est per se unum — nam eius operationes non tendunt unanimiter in bonum commune *totius* cadaveris — sed est aggregatum corporum plus-minusve complexorum in via decompositionis. Quare admittere debet necessario *multitudinem* formarum cadavericarum, quarum unaquaeque persequitur suum proprium tantum finem ac ita desaggregationem totius paulatim inducunt.

3. Hae formae cadavericae sufficienter *redderent rationem* quorundam phaenomenorum: *a*) conservationis artificialis in « statu quo » partium corporis organici separatarum a toto per plures horas; *b*) facti communiter noti, quod per aliquod tempus capilli et ungues cadaveris crescunt; *c*) motus cordis, qui per aliquot etiam dies post mortem in quibusdam animalibus apparet.

4. Attamen ad haec omnia facta explicanda non sunt formae cadavericae *necessariae.*

Etenim 1. momentum mortis *realis* non est nobis bene notum (certe non coincidit cum momento mortis *apparentis*); 2. facta citata *non* sunt *vitalia*, quare ad ea producenda energiae accumulatae in organismo tempore vitae non videntur esse impares (Rubczyński); 3. sicut vires physicochemicae possunt producere in laboratoriis syntheses, quae nonnisi in corpore vivo naturaliter oriuntur (Cfr. th. I, pag. 5, 11), ita eaedem vires agentes in conditionibus organisationis effectae a principio vitali (nondum plane destructae) possunt effectus producere analogos; 4. ipse collapsus tonicitatis musculorum, quem causat mors, potest dare *apparentiam* maioris longitudinis capillorum barbae.

SCHOL. III. — DE SEDE ANIMAE.

1. *Quoad essentiam seu substantiam anima est* 1) *in toto composito* seu in singulis eius partibus. — Cum enim forma afferat rei, quam actuat, « primum esse » seu « esse specificum », partes, quae non actuarentur ab ea, non pertinerent ad integritatem illius compositi, proindeque non facerent cum toto *unum per se* (S. Th., *C. Gent.*, l. II, c. 12). — Insuper cum vita adsit in toto composito et cum vita non producatur ab anima mere efficienter sed *formaliter* (i. e. informando corpus), anima — causa formalis vitae — debet esse in toto vivente i. e. in singulis eius partibus.

2) *tota* in qualibet parte. — Cum enim anima det perfectionem specificam *cuilibet* parti compositi, debet esse in *qualibet* hac parte *tota* (S. Th., *Q. Disp. de An.*, a. 10). — Insuper anima, utpote essentialiter *simplex*, ubicumque adest, adest tota quoad essentiam. Ergo in *qualibet* parte est *tota.*

Unde axioma: tota in toto et tota in qualibet parte.

2. Estne anima humana tota in *qualibet* compositi parte etiam quoad *virtutem* seu potentias suas? Aliis verbis: suntne omnes facultates animae in qualibet compositi parte?

Rs. 1. — Facultates *intellectivae* — utpote spirituales — non sunt in *ulla* compositi parte.

2. Facultates sensitivae et vegetativae — utpote organicae — sunt in *propriis organis.*

SCHOL. IV. — DE SUBIECTO AD RECIPIENDAM ANIMAM RATIONALEM APTO.

1. Scholastici antiqui successionem animarum in uno eodemque individuo communi consensu tenebant: animam rationalem praecedere dicebatur anima mere sensitiva (hanc iterum anima pure vegetativa — Cfr. th. IX, pag. 42-43), quae utique non creatur, sed a parentibus generatur. Demum quando corpus influxu animae sensitivae apte dispositum est ad vitam rationalem exercendam, creari dicebatur anima rationalis et infundi corpori (non ante 40um diem post conceptionem, si agitur de masculis — non ante diem 80um post conceptionem, si agitur de femellis).

2. Haec sententia, quae fuit etiam S. Thomae (I. q. 118. a. 2.) et Suarez (*De an.*, l. II. c. 8.) tenetur adhuc hodie tamquam probabilis a nonnullis Scholasticis (v. g. Liberatore, de Maria, de Backer, Mercier), qui in favorem sententiae suae citant: 1. *embryogeniam* — quae in cellula fecundata per aliquod tempus nullum vestigium organorum vitae psychicae detegit; 2. *physiologiam* — quae in embryone prius detegit operationes vitae vegetativae e. g. contractionem cordis et circulationem sanguinis, quam indicia sensibilitatis; porro cum de essentiis rerum diiudicandum sit secundum phaenomena experientiae subiecta, nec liceat affirmare plus essentiae, quam quod ipsa phaenomena permittunt, tenendum est — aiunt — vivens vivere primo vitam mere vegetativam, postea sensitivam ac tandem intellectivam; 3. cum *natura* procedat in omni re, quae experientiae directae subest, *gradatim ab imperfectiore ad perfectius* idem a *priori* expectandum est in productione hominis. 4. in generatione hominis *efficacia parentum* humanorum non est minor quam efficacia brutorum animalium in productione bruti animalis. Porro haec attingunt ipsam *animam* Ergo et illi. Sed cum parentes humani non possint producere ipsam animam humanam, producant necesse est animam *inferiorem* scil. sensitivam; 5. *similitudo*, quae observatur *inter parentes et infantes*, videtur melius explicari posse, si admittamus per aliquod tempus adfuisse in embryone animam mere sensitivam a parentibus productam.

3. Sententia *negans successionem* animarum in homine omnino praeferenda videtur. *Rationes* 1. — *Analogia*: sicut non datur successio inter animam vegetativam et sensitivam

in bruto (Cfr. th. VIII, Sch. IV. pag. 67-68), ita nec inter animam sensitivam et rationalem in homine. Par enim ratio valet contra ortum hominis ex bruto ac bruti ex planta.

Dices: Neganda est paritas, nam in casu ortus hominis ex bruto admittitur specialis et immediatus interventus Dei creantis. — Rs. Utique; at fatentibus ipsis adversariis, hic interventus non fit totaliter ad *arbitrarium* Dei, sed secundum *leges naturales* a Deo institutas; per consequens determinatur ipsa evolutione entis sensitivi, quae *naturaliter exigit* iam a Deo infusionem animae rationalis.

2. — Evolutio individui, quae ab *indeterminato procedit ad determinatum* et quidem ita, ut primo ostendat phaenomena vitae vegetativae, deinde sensitivae et tandem rationalis, rem in favorem sententiae adversae non evincit; anima enim, utpote agens *ope potentiarum* et non essentiae, non debet necessario totam suam virtutem agendi in omni momento manifestare; insuper utpote *virtualiter distincta* ab anima vegetativa et sensitiva, potest modo solam virtutem vegetativam, modo vegetativam et sensitivam, modo virtutem triplicis vitae manifestare (non omnis vita debet esse *actu* II!).

Adde quod embryo humanus statim ab initio *nutrit* se *more animalium* i. e. materiis organicis et non more plantarum i. e. materiis anorganicis (at ratio haec tantum *suadet*, minime convincit! Nam etiam plantae, quae partibus viridibus sunt privatae, nutriuntur materiis organicis).

3. — *Organismus humanus* est *tantae perfectionis* (cfr. v. g. systema nerveum), ut non bene intelligatur, quomodo anima inferior possit ipsum construere — vel quoad ipsa etiam eius initia.

4. — Ut anima infundatur enti, minime requiritur, ut *iam actu* adsit organisatio *perfecta*; sufficit initialis quaedam et rudimentalis organisatio, qualis reapse datur vel in ipsa *prima cellula* hominis, (quae differt a prima cellula brutorum!) et quam anima sua vi perficiet (fere, ut fit in casu regenerationum). — Similitudo inter parentes et infantes in hoc praecise fundamento materiali fundatur!

5. — Sententia adversa *non* tam perfecte *cohaeret* cum sensu *Ecclesiae*, quae supponere videtur, ut patet ex festo Immaculatae Conceptionis, animam rationalem adesse statim in momento conceptionis (passivae).

Argumentum vero, quo adversarii conantur ostendere animam non infundi corpori statim ab initio conceptionis (passivae), sed post aliquot dies (Ex. XXI. 22 secundum lectionem LXX) nullum est (ut patet ex textu hebraico eiusdem loci).

« Istae animarum successiones — ait Benedictus Plazza (doctissimus theologus in quaestione Immaculatae Conceptionis) videntur metamorphoses quaedam ovidianis mirabiliores. Ibi enim nonnullos homines legimus casu aliquo mutatos in plantas vel in bruta, ut Daphnen in lauram, Acteonem in cervum. Hic vero legimus hominem stata lege naturae prius plantam quamdam exoticam esse, deinde non minus peregrinum brutum et tandem hominem ». (Cfr. *Act. III*, a. 2, n. 353).

OBIECTIONES.

Cfr. obiectiones ad thesim VII (pag. 57-59). Insuper:

1) *Realiter distinguuntur, quibus contrariae proprietates conveniunt.*
A. Animae rationali et animae sensitivae (vegetativae) contrariae proprietates conveniunt (scil. mortalitas et immortalitas). E.

Rs. C. Maior. - Dist. min. — *Potentiis animae* rationalis et potentiis animae sensitivae contrariae proprietates conveniunt Tr. Ipsis animabus (rationali et sensitivae) Sbds. si anima sensitiva est *sensitiva tantum* C., si est *etiam rationalis* (Cfr. S. Th., I p., q. 76, a. 3 ad 1).

2) *Si in homine esset una anima, non possent in eo adesse eodem tempore tendentiae oppositae.*
A. Reapse adsunt. E.

Rs. Dst. Mai. — . . . si tendentiae elicerentur ab ipsa *substantia* (essentia) animae C. (secus destrueretur intrinseca « finalitas » animae et per consequens ratio « naturae »!); si — ut de facto est — eliciuntur a *facultatibus* realiter ab anima distinctis Sbds. non possent esse oppositae *per se* seu ratione sui C. *per accidens* N.

Ctds. — N. Cons.

3) *Anima intellectiva informat corpus sensitivum.*
A. Corpus sensitivum iam habet animam sensitivam, ut patet. E.
Prob. mai — *Homo dicitur « animal rationale ». Porro « animal » est corpus habens animam sensitivam.*

Rs. Dst. Mai. — . . . hoc sensu quod antecedenter ad ipsam corpus iam est sensitivum N. . . . hoc sensu, quod materiae, cui dat anima intellectiva primo rationem corporis, deinde entis viventis et sentientis, dat etiam rationem entis rationalis C.

Ctds. min. — . . . habet animam sensitivam antecedenter ad accessum animae rationalis (hinc realiter distinctam ab anima rationali) N. . . . habet eandem animam rationalem, sed spectatam secundum gradum eius sensitivum C. . . . (Cfr. S. Th., I p., q. 76, a. 3 ad 1).

Pariter dist. Prob. mai.

THESIS XLIII.

Corpus vivens nonnisi via generationis naturalis oriri potest; quare reiicienda est generatio spontanea.

1. *Vitam in terra aliquando initium habuisse* patet:

a) *ex palaeontologia*: in stratis aetatis geologicae archaicae seu azoicae (excepta ultima eius parte, praecambrica) nullum vitae vestigium invenitur;

b) ex eo, quod (teste tum experientia obvia tum communi peritorum consensu) vita organica *exigit quasdam conditiones necessarias*, atque subsistere non potest nisi intra certos ac determinatos limites temperaturae; ita v. g. certo constat nullum organismum sustinere posse † 200° C.; similiter communiter notum est aquam — quae necessario ad vitam organicam requiritur — penitus decomponi in temperatura † 954°. — Porro scientifice constat terram transiisse in sua formatione periodum « candescentiae », quae possidebat temperaturam multo superiorem illi, in qua aqua decomponitur.

2. *Quomodo vita coepit in terra?* — Dantur plures hypotheses:

I. *Hypothesis vitae primitivae*: totum *universum* fuit olim *unus organismus*, a quo successive separaverunt se organismi minores et corpora anorganica. Verum quidem est ignem possidere nunc proprietatem occidendi vitam; sed probari non potest eum hanc proprietatem semper habuisse. — Ad hanc sententiam fere accedit W. Preyer, qui docet in primitiva massa cosmica ignea extitisse s. d. *pyrozoa* (viventia

ignea), ex quibus decursu temporis evoluta est tota vita *in terra*. Similem — quoad substantiam — sententiam tenet G. T. Fechner, immo etiam O. Hahn, W. H. Preuss, Kerner, O. Schmitz-Dumont.

Hypothesis haec est iam a viris scientiae communiter derelicta, nam 1) involvit *destructionem* totius *scientiae*; scientia enim essentialiter fundatur in uniformitate et *constantia* legum naturae ac earum modi *agendi*. Si haec uniformitas et constantia negantur, iam nullum medium nobis remanet cognoscendi eventus praeteritos, ut patet; 2) suppositum eius, scil. totum *universum* fuisse antiquitus *organismum* unum est prorsus *gratuitum* et cum ipsa notione vitae, qualem antea explicavimus, non bene cohaeret.

II. *Hypothesis statuta a Fr. Cohn et H. Richter*, appellata a du Bois-Reymond « *hypothesis panspermiae cosmicae* »: germina (spermata cosmozoa) viventium magnitudinis microscopicae (0.000,000, l. mm.), quae implent spatia cosmica, venerunt ad planetas nostras sive in meteoris — ita v. g. V. Thompson (lord Kelvin), Helmholtz, E. Quinet, M. W. Meyer, Bunge — sive sub influxu *pressionis radialis* astrorum, *repulsionis electricae* aliarumque causarum similium (ita Arrhenius).

Haec hypothesis: 1. Non cohaeret cum *experientia*, cum in *nullis meteoris* umquam inventum sit *vestigium dictorum spermatum*; insuper scientiae omnino est ignota origo cuiuscumque viventis, cuius germina non essent desumpta ex viventibus *in terra*! 2. Quomodo viventia organica potuissent resistere *frigori*, quod in spatiis intrasideralibus regnat (0° absoluto seu — 273°)? Quomodo deinde sustinere potuissent summum gradum *caloris* in momento videlicet, in quo cadunt in atmosphaeram nostram eamque percurrunt? 3. Quemadmodum Bequerel ostendit, sidera candentia emittunt in abundantia *radios ultraviolaceos*, qui ipsa germina — vel maxima resistendi vi praedita — penitus, un constat, intra aliquot horas destruunt. 4. Problema de *origine* vitae minime *solvit*, ut patet; quaeri enim potest, undenam vita in *aliis* sideribus: ex materia anorganica an a causa superiore? Non enim entia viventia sunt entia *a se*. — Pura igitur fictio haec hypothesis — et ita a viris scientiae etiam iudicatur hodie communiter!

III. *Hypothesis generationis spontaneae:* organismi saltem *primitivi* orti sunt ex *materia anorganica* sive fortuito sive

necessario i. e. ita postulantibus viribus materiae, quae agebant in conditionibus periodo primitivae propriis. Hypothesis haec vocari solet etiam *heterogenesis* (ἕτερος, diversus; γένησις generatio), *abiogenesis* (a, bios = vita), vel tandem post Haeckel *archaeogonia* (archigonia, plasmogonia, autogonia): ex intrinsecis materiae viribus, ita rem explicat Haeckel, oritur primo *archiplasson* (protoplasma primigenium), quod evolvitur in *bioplasson*, quod iam tendit ad construendam primam organisationem atque ita dat originem *monerae*, quae est particula *protoplasmatis* sine organis et figura determinata immo sine nucleo, attamen praedita vita *vegetativa* (nutritionis et reproductionis) immo etiam vita *sensitiva*. —

Theoria de monera, quam Haeckel rationibus « a priori » statuit, videbatur confirmari « a posteriori » a Huxley, quando hic semel extraxit e profundo mari quandam materiam similem monerae Haeckel'i, et quam vocavit: « Bathybius Haeckel'i ».

Generationem spontaneam tenent Büchner, Moleschott, M. Verworn, von Nägeli, Virchow, O. Hertwig, R. Hertwig, Wundt, Roux, Z. Kramsztyk, Nusbaum, A. Brachet, etc.

IV. *Theoria Homoeogenesis*: exceptis illis casibus, in quibus adest specialis omnino interventus Dei, ens vivens oriri non potest nisi proprie dicta « generatione », quae intelligitur: origo viventis a vivente, principio coniuncto in similitudinem naturae (Cfr. th. III. schol. I, pag. 30).

Sententiam hanc iam cum ardore propugnaverunt Swammerdam, Harvey, qui medio saeculo XVII adagium posuit: « Omne vivum ex ovo », quod adagium postea — cognita existentia unicellulariorum, quae simplici *divisione* oriuntur — mutatum est in: « omne vivum ex vivo ».

Nihilominus generatio spontanea usque ad saec. XIX a non paucis viris doctis defendebatur cum haud minore zelo; praesertim quod crescente in dies perfectione instrumentorum opticorum novae in dies detegebantur familiae viventium, quarum ortus non facile poterat explicari ope adagii Harvey'i (v. g. ortus vermium parasitorum viventium in corporibus hominis et animalium, insuper ortus Infusoriorum, Bacteriarum); perfecerunt hoc demum *Siebold*, *Leuckart*, *Spallanzani*, *Claude Bernard*, *Van Beneden* et tandem — ac maxime — *Pasteur*, qui litem inter generationem spontaneam

et theoriam homoeogenesis in favorem huius ultimae definitive composuit.

Theoria *homoeogenesis* est hodie iam prorsus communis inter viros scientiae modernae: « Omnis cellula e cellula » (1853) « Omnis nucleus e nucleo » (1882), « Omne chromosoma e chromosomate » (1903).

Quodsi generatio spontanea a pluribus adhuc hodie tenetur, tenetur non quidem tamquam *factum* — quocumque tandem experimento fundatum — sed tamquam *merum postulatum*, ut videlicet origo vitae in mundo sine interventu Causae extrinsecae mundo seu Dei explicetur (quod expresse ipsi asseclae Haeckeli confitentur); atque adeo restringitur ab eis ad *primam* originem vitae in mundo.

3. Quod attinet *methodum* procedendi, primo ostendemus generationem spontaneam pugnare cum principio *causalitatis*, deinde facta *positiva* afferemus ad ostendendum generationem spontaneam fundari simpliciter in observatione erronea.

Probatur thesis.

Arg. I. — Generatio spontanea pugnat cum principio causalitatis.

Generatio spontanea repetit originem vitae a materia, solis viribus mechanicis instructa.

A. Repugnat materiam talem dare originem vitam. Ergo.

Prob. min. — Omnis causa debet esse proportionata effectui suo. — *A.* Materia solis viribus mechanicis instructa non est proportionata effectui, scil. enti viventi producendo. Ergo.

Prob. min. ult. — Causa proportionata effectui suo est illa, quae effectum sive *formaliter* sive *virtualiter* (eminenter) continet.

A. Materia solis viribus mechanicis instructa vitam nec *formaliter* nec *virtualiter* (eminenter) continet. *E.*

Prob. min. ult. per partes: *Non formaliter,* quia — ut thesi I. ostendimus — materia solis viribus mechanicis instructa caret vita.

Non virtualiter — quia materia praedita solis viribus mechanicis est essentialiter *inferior* ente vivente, ut alibi pro-

bavimus, nec ullo modo phaenomena vitalia eorumque finalitatem intrinsecam explicare valet.

Arg. II. — Generatio spontanea repugnat experientiae. Generatio spontanea, ut ipsum nomen indicat, significat productionem individui viventis sine parente vivo.

A. Tum experientia obvia et communis (quoad animalia perfectiora) tum experientia scientifica (quoad animalia infima) prorsus excludunt productionem viventis sine parente vivo. *E.*

Minor quoad I part. est evidens et a nemine in dubium vocatur.

Minor quoad II part.: ne unum quidem factum generationis spontaneae scientifice inconcussum stat. Omnia, quotquot erant, argumenta pro generatione spontanea ex « experientia » desumpta, progressu scientiae apparuerunt fundata in *errore observationis*: 1. quod attinet *vermes*, probavit hoc iam *Franc. Redi* (Florentiae anno 1668): ex duobus fragmentis carnis eodem loco positis, quorum unum erat velo coopertum, alterum autem eo carebat, in primo quidem inventi sunt vermes, in altero non. Idem postea comprobarunt Siebold et Leuckart. 2. *Apes* non generatione spontanea oriri, sed ex *ovis* ostenderunt Swammerdam et Renamur. 3. Quoad *infusoria* idem monstravit *Pasteur* (contra Pouchet et alios bene multos): liquidum (in quo generatim solent nasci infusoria) inclusum in globulo vitreo ac perfecte undique clauso calefecit usque ad 100° C., ut omnia germina viventium penitus interficerentur. In tali liquido numquam infusoria postea inventa sunt. Sed si globulus aperiebatur, statim etiam infusoria in ipso apparebant. (Idem probarunt etiam Spallanzani, Claude Bernard, Van Beneden etc.). 4. *Monera*, quae ad mentem Haeckeli est massa iam viva in statu nondum plane organisato, est, ut probatum est a viris scientiae, *completa cellula*, cui ne nucleus quidem deest. 5. *Bathybius Haeckeli* erat substantia *anorganica*, quam ad libitum formare possumus ex Ca_2 SO_4, quod miscetur cum alcoholo. — Evidentia coactus *Huxley* sententiam suam de Bathybio Haeckel'i publice retractavit in congressu Associationis Britanicae Sheffield'i. (Cfr. insuper argumenta a Reinke data, *Welt als die Tat*, ed. II, 1901, pag. 312 seq.).

Dices: Conditiones vitae, quae olim extiterunt, magis favebant ortui spontaneo viventium quam hodiernae.

Rs. Hae conditiones non quomodocumque, sed *essentialiter* diversae esse debuissent! Sed, si ita est, admitendum etiam esset leges naturales esse *naturaliter mutabiles!*

Insuper, si organisatio entium viventium est effectus conditionum primitivarum, tunc quam primum hae conditiones cessaverunt, cessare etiam debuerunt organisatio et vita. — Non admittunt enim adversarii finalitatem intrinsecam!

Scholion I. — De sententia Scholasticorum.

1. Generatio *aequivoca*, prout eam post Aristotelem (*De An.* Hist., V, VI) Scholastici (Cfr. S. Th., I, q. 45, a. 8 ad 3; q. 70, a. 3 ad 3; q. 71, a. 1; q. 73, a. 1 ad 3; q. 81, a. 3 ad 2; q. 82, a. 4; q. 91, a. 2 ad 2) admittebant, essentialiter differt a generatione *spontanea* modo exposita. Etenim:

1) ab iis tamquam *lex generalis* communiter agnoscebatur axioma: « quae naturaliter generantur ex semine, non possunt naturaliter sine semine generari » (S. Th., q. 71, a. 1). Generatio igitur spontanea ab ipsis restringebatur ad *sola* viventia *inferiora*, in quibus semina ab ipsis *non detegebantur* (vermes, pulices, muscae, apes, ranae, serpentes etc.).

2) minime putabant *solam* materiam brutam seu materiam solis viribus *mechanicis* instructam posse esse *umquam* causam *adaequatam* ortus entis viventis; sed recurrebant ad influxum causalem sive *spirituum* moventium astra sive *specialium virium*, quibus putabantur praedita ipsa astra, quae habebantur pro causis universalibus et quidem « principalibus » eventuum terrenorum, proindeque etiam « aptis supplendi virtutem generantis proprii ». Leonem — dicebant — generat leo et *sol.*; in entibus inferioribus putabant sufficere posse *solum solem.*

3) agnoscebant in *omni* productione viventis actionem *causae primae* seu Dei, virtute cuius ultimatim materia — disposita sufficienter activitate virium propriarum formae substantialis et influxu causarum externarum — transit de potentia in actum seu formam novam (per eductionem eius).

2. Theoria tamen haec hodie nullo modo teneri potest. Etenim: *a*) *suppositum* eius: influxus corporum caelestium in corpora terrena est falsum, utpote nixum erronea notione corporis caelestis; *b*) sed dempto hoc influxu corporum cae-

lestium theoria generationis aequivocae pugnat cum principio rationis sufficientis.

Scholion II. — De sententia S. Augustini.

1. Secundum S. Augustinum Deus creavit initio materiam brutam, cui dedit « rationes seminales » seu vim, qua decursu temporum variae species entium viventium evolvebantur.

2. Iudicium de ea: 1. haec sententia non continet nisi generationem aequivocam *improprie dictam*: rationes seminales enim erant causae *univocae* entium viventium.

2. Vires seminales erant creatae a Deo *solo* et ab ipso in materia depositae.

3. Attamen nec haec sententia caret difficultatibus gravibus. Quomodo enim vis vitalis potest adhaerere materiae brutae? (Cfr. nostram th. II). Certe ad hoc opus est miraculo! Ergo tot miracula, quot virtutes seminales! Sed tunc qualis ratio praeferendi hanc theoriam theoriae successivi interventus Dei in terram pro creatione singularum specierum?

Immo, quaeri potest, quomodo talis vis seminalis — *accidens vitale* — possit existere sine subiecto *inhaesionis*? Quomodo deinde hoc *accidente vitali* animetur materia bruta etc.?

THESIS XLIV.

Transformatio materialis unius speciei in aliam nullo solido argumento nititur.

1. St. Qu. — Cum quaestione de origine *vitae*, de qua in thesi praecedenti, apprime connexa est altera: *de origine specierum entium viventium, quales nunc in mundo cernimus.*

Veteres communiter censebant species perpetuo fuisse easdem nisi forte excipias *Anaximandrum Milesium* — qui teste Plutarcho (*Quaest. symp.*. VIII, 1, 4) censuit homines et animalia bruta fuisse olim pisces — et *Empedoclem*, qui animalia ex fortuita membrorum concursione repetit, ut refert Aristoteles (*Phys.*, II, c. 8; *De Coelo*, III, 2, 300, b. 28).

Reliquiae vero organismorum petrefactae, quae decursu temporum inventae sunt, initio explicabantur per s. d. *nisum formativum* lapidibus innatum, qui imitabatur formas organicas per quendam « lusum naturae ». (Quod ut facilius expli-

carent, nonnulli ad concursum stellarum cooperativum confugiebant). Postea habebantur hae reliquiae pro fossilibus genuinis, quae tamen dicebantur provenire ab organismis, qui cum nostris nihil habent commune, cum « in diluvio », de quo S. Scriptura loquitur, perierint.

1. — Sententia, quae evolutionem specierum proclamabat, hinc vel illinc — praesertim sub influxu philosophiae *Renaissance* (Lucilio Vanini, Benoît de Maillet) — invalescens suffocata est auctoritate praepotenti *Linnei*, cuius dictum celebre factum est: « Species tot sunt diversae, quot diversas formas ab initio creavit infinitum Ens. Nullae species novae ». — Idem fere ac Linneus docuit etiam *Cuvier* (1769-1831) parens palaeontologiae modernae, qui tamen disparitionem formarum antiquarum ope « *cataclismorum* » explicabat, apparitionem vero formarum novarum in iisdem regionibus ope *immigrationis* organismorum ex aliis mundi partibus. — Eius discipulus *d'Orbigny* doctrinam sui magistri ulterius propagabat cum hac praecipue modificatione, quod apparitiones successivas specierum (quarum fossilia in diversis stratibus terrae inventa sunt) explicabat per novos « actus creatrices », quos 29 invenit. Similem — quoad substantiam — sententiam amplexus est *L. Agassiz*.

Theoria « destructionis per diluvium » et theoria « nisus formativi » tamquam nimis insufficientes iam communiter derelictae sunt, postquam detecta erant *plura* strata geologica sibi superposita, quae *diversas* faunas et floras includebant.

2. — At tentamina constantiam perennem specierum entium viventium defendendi maioribus in dies difficultatibus opprimi caeperunt hac praesertim ratione, quod *organismi* (quorum apparitio ope creationis pluries repetitae vel immigrationis explicabatur) admodum *affines* cernebantur organismis antiquioribus *extinctis*, insuper quod — ut ostensum est a *Ch. Lyell*, 1830 — diversa strata successiva non *violentis* perturbationibus producta sunt, sed potius ordinario causarum naturalium influxu.

Quo factum est, ut hypothesis, secundum quam organismi recentes ab organismis fossilibus via generationis procedunt, magis in dies invalere caeperit (Bonnet, Robinet, Diderot, Goethe, L. Oken, Buffon, etc.).

Hypothesis haec promiscue vocatur: *h. descendentiae, h. transformismi, h. evolutionismi.* Vocatur « h. descendentiae », quatenus docet unam formam entis viventis (typum) *descendere* ab alia; vocatur « h. transformismi », quatenus statuit *mutationem formarum* seu typorum entium viventium, sine qua, ut patet, dari non potest origo communis diversorum; vocatur « h. evolutionismi », quatenus supponit transformationem dictam tendere ad formas *perfectiores* ex imperfectioribus educendas.

3. — Inter descendentiae fautores eminet *Buffon'i* discipulus *Ioh. Bapt. de Lamarck*, Gallus, qui in opere suo: *Philosophie zoologique* (1809) probare intendit omnes species, *homine non excepto*, secundum corpus, ex aliis speciebus inferioribus descendere (et hasce iterum ex materia anorganica).

Initium sumit Lamarck ex facto experientiae, quod *usus* diuturnus organi reddit ipsum organum fortius et maius, e contra *non-usus* reddit ipsum debilius; immo si non-usus prolongatur, omnimodam eius disparitionem causat. — Unde ita ulterius ratiocinatur: prout mutabantur olim adiuncta externa, in quibus vivebant entia, cogebantur entia viventia ad mutandum suum modum vivendi; porro modo vivendi mutato, quaedam organa magis adhibebantur quam alia et per consequens etiam magis evolvebantur, quam alia, quae e contra propter « non-usum » paulatim debilitabantur ac tandem perierunt. En quomodo sint inductae modificationes in organismo!

Attamen non *eodem* prorsus modo in *omnibus* entibus viventibus adiuncta externa modificationes has perfecerunt. In plantis, quae sola « irritabilitate » praedita sunt, ipsa iam mutatio *nutritionis* sufficiebat ad hasce mutationes organismi perficiendas. In animalibus vero, quae vera sensatione gaudent, adiunta externa nova non aeque *immediate* ac in plantis produxerunt modificationes organicas sed tantum *mediate*, mediantibus videl. *sensationibus* internis: mutatis adiunctis externis mutatae sunt *sensationes* internae, hisce autem mutatis novi expergefacti sunt appetitus, qui excitabant ad novas *activitates* (mores), quae tandem induxerunt novas modificationes organicas. — Semper *modificatio functionis praecedit modificationem morphologicam*!

Haec ratiocinia conatur Lamarck argumentis *positivis* probare:

a) Nil afferri potest contra theoriam Transformismi ex notione « speciei », communiter recepta, cum haec notio sit prorsus arbitrarie statuta.

b) Quo magis scientia progreditur, eo plura deteguntur *individua « inter-media »*, quae constituunt quasi « pontes » inter diversas species ita, ut species a se invicem distingui non possint; unde fit, ut v. g.: Hieracium, Geranium, Carex, Euphorbia ab aliis viris scientiae pro diversis speciebus habeantur, ab aliis vero pro eadem.

c) Transitus ex aliis speciebus in alias factus est decursu *temporis longissimi*; unde obiectio inde petita, quod animalia ante 2000 annorum erant hodiernis similia, perdit suum valorem.

d) Evolutio fit non per saltus, sed *gradatim* et *lente*.

Notae particulares ab individuis sub influxu adiunctorum externorum *acquisitae hereditate transmittuntur* proli — et ita *cumulantur*.

e) Praeter adiuncta mere extrinseca, quae stimulant evolutionem, existit *in* omni organismo tendentia *profunda*, *interna* ad perfectionem in dies maiorem organismo procurandam; quae tendentia tam est evidens, ut nulla probatione speciali indigeat.

f) Exempla transformationis ex *experientia praesenti*: Ranunculus aquaticus, qui ex aqua in terram (humidam) transplantatur, adeo diversa accipit folia, ut a nonnullis simpliciter pro diversa specie (Ranunculus hederaceus) habeatur. — Similiter Aspalax, Proteus etc. supponi possunt perdidisse visum propter non-usum eius. Aves, quae inventae sunt casu vel necessitate in terra abundante in aquam, erant coactae ad quaerendum sibi nutrimentum in aqua; unde conatus navigandi, dilatandi digitos pedum — et ita orta est structura pedum apud aves-nautas, batrach., castores etc. — vel conatus praeservandi corpus suum ab aqua (quando quaerebant nutrimentum) elongando pedes suos — et ita orti sunt pedes longi etc.

4. — Transformismo favebant etiam *Stephanus Geoffroy Saint-Hilaire, W. C. Weels, Patricius Matthew, Haldeman, Owen, Isidorus Geoffroy Saint-Hilaire, Herbertus Spencer, Nandin,*

Keyserling, Schaafhausen, Baden Powell, Erasmus Darwin (avus Caroli; descripsit poëtice influxum adiunctorum externorum, hereditatis, selectionis sexualis in evolutionem specierum).

5. — *Carolus Darwin* (1812-1882) Anglus theorias Transformismi in unam synthesim scientificam reddidit, quo factum est, ut *Transformismus* etiam *Darwinismus* appellari coeperit.

Reiecta *finalitate* intrinseca entium viventium affirmat Darwin plantas et animalia decursu immensorum temporum per minima discrimina in linea continua invicem sese excipientia e paucis typis primitivis vel etiam ex aliqua primigenia *cellula* viva esse evoluta. Summa theoriae Darwinisticae ad haec, quae sequuntur, capita reduci potest:

1) Organismus cuiusvis individui *vi legis propriae augmenti* capax est subeundi magnas modificationes non tantum sub influxu hereditatis, sed etiam adiunctorum externorum. Ope *selectionis artificialis* potest homo hasce modificationes in *familiis* viventium *accumulare* et ita novas *stirpes* « races » efformare, ut testantur agricultura, horticultura, cultura animalum brutorum.

2) Quod homo artificialiter (selectione artificiali) perficere potest, perficit etiam natura suo modo: ex entibus viventibus pressis undique continua *lucta pro vita* (the struggle for life) illa manent in vita, quae melioribus praedita sunt characteribus; *entia vero* ipsis destituta necessario pereunt (« selectio naturalis »). — Lucta autem pro vita intelligitur lucta contra omnes conditiones duras vitae: estque consectarium necessarium disproportionis, quae existit inter multiplicationem entium viventium — quae fit secundum seriem geometricam — et quantitatem nutrimenti crescentem secundum seriem arithmeticam. —

En quomodo ipsa natura — quin hoc expresse et conscie intendat — perficiat *selectionem* inter entia viventia.

3) Hisce proprietatibus seu notis, quae viventibus victoriam dederunt in lucta pro vita, accedunt continuo novae proprietates *fortuito* ortae. Notae istae ita paulatim accumulatae efficiunt, ut ens vivens fiat *alius speciei*.

Unde proveniunt modificationes fortuitae? Non bene constat, ait Darwin.

4) Fere eodem modo ac selectio naturalis — sed minori in gradu — perficit evolutionem organismorum *selectio sexualis*, secundum quam feminas melioribus proprietatibus

ornatas nonnisi mares praestantiores accipiunt; hoc modo *individua perfectiora* facilius nascuntur.

5) Praeter hasce leges evolutionis *a se* excultas admittit Darwin etiam leges ab *aliis* stabilitas: legem du *usu* et *non-usu* organorum *Lamarcki*; legem *correlationis mutuae* seu *coëfficientiae Cuvier'i*, secundum quam singula organa entis viventis vel systemata organorum sunt in intrinseca relatione mutua ita, ut e structura unius (v. g. dentium) possit quandoque *a priori* determinari structura alterius (v. g. stomachi); tandem legem *compensationis* seu *oeconomiae* (incrementi) propositam a *Geoffroy Saint-Hilaire* et a Goethe, secundum quam humores organici, cum affluunt abundanter in unam partem organismi, augent eam modo extraordinario, sed simul alia pars, cum sit hisce humoribus proportionaliter privata, paulatim debilitatur et deperit.

Caeterum nec putandum est Darwin in illis, quae ipsi soli attribuuntur, nullum praedecessorem habuisse. Ideam generalem Transformismi a pluribus auctoribus antiquioribus — quorum ipse mentionen expressam facit — excepit; idea pugnae universalis invenitur iam apud *Hobbes*, *A. Smith*, *Malthus*; ipsa « selectio naturalis » invenitur quoad *rem* sat clare in *permanentia entis aptioris*, quam *H. Spencer* (a. 1852) posuit. Immo iam *Heraclitus* dicebat: (Fragm. Mul. I, 44,62): πόλεμος πατὴρ πάντων (bellum pater omnium).

Suam theoriam Transformismi Darwin initio (in opere: *The Origin of Species* by means of Natural Selection or the preservation of favoured races in the struggle for life, a. 1859) nondum ausus est extendere ad hominem; demum anno 1871 sub influxu suorum asseclarum religioni hostilium et postquam opus Haeckeli de hac re explicite tractans prodierat, etiam hominem in sua doctrina comprehendit (in opere: *The descent of man and selection in relation to sex*).

6) Darwin multos quidem invenit adversarios v. g. *Cuvier*, *Flourens*, *de Quatrefages*, *Blanchard*, Fabre, attamen multos etiam invenit sectatores zelantes, inter quos eminent *Carolus Vogt*, *Thomas Huxley*, *A. Wallace*, *W. Szyłło*, *L. Masłowski*, *B. Dybowski*, *F. Rostafiński* et praesertim *Haeckel*, qui conatus est probare theoriam Evolutionismi argumento e *biologia* desumpto, videl. ex s. d. *lege biogenetica* (nota iam quoad suam ideam generalem Stephano Geoffroy-Saint-Hilaire,

J. F. Meckel'o, Serres et Müller'o). Secundum eam embryum, quod inde ex simplici semine ad formam perfectam suae speciei evolutione successiva pervenit, reproducit sua evolutione omnes has formas, quas eius species (φύλη) decursu temporum transierat: *ontogenesis reproducit phylogenesim* atque est eius veluti compendium.

2. Explicantur termini. — 1. « *Transformatio materialis* »: illa intelligitur, quae *adaequatam* rationem evolutionis reponit in *mechanica* modificatione, introducta influxu sive adiunctorum *externorum* sive — cuiuscumque tandem — *selectionis.* Apprime distinguenda est a:

a) *transformatione « ideali »*, secundum quam e materia educi dicuntur (diversis temporibus) formae diversarum specierum viventium per *directum* influxum *Dei* in materiam. — Cum hae formae correspondeant *ideis* diversarum specierum, in mente Dei existentibus, inde nomen « evolutio (transformatio) idealis ».

Quaevis forma inferior immediate praecedens, si forte a palaeontologia in stratis antiquioribus invenitur, dicenda esset secundum hanc theoriam tantum *cooperari dispositive* ad generationem formae superioris, quae proprie nonnisi a *Deo* tamquam a vera sua causa efficiente producta esset.

b) *transformatione « passiva »*, quae theoriae praecedenti apprime est affinis. Secundum eam speciebus viventium imperfectioribus *Deus* indidit *variis temporibus varias vires,* ut deinde in species *perfectiores* novas evolverentur. — Haec theoria a pluribus defenditur v. g.: *Vey*, *Gaudry*, etc.

c) *transformatione « activa »*, quae in eo est, quod Deus omnes species simul creasse dicitur, sed in statu *virtuali,* quatenus videl. dedit materiae diversas vires seu inclinationes similes illis, quae in *semine* inveniuntur, et *quae* decursu temporum evolvendo se plene, diversas constituisse dicuntur species. Quae vires appellantur etiam a quibusdam « virtutes seminales », nam ita in materia adesse dicuntur, ut poscant naturaliter certas dispositiones et conditiones, ut in actum reducantur.

Ad mentem huius sententiae forma specifica, quae datis hisce dispositionibus naturaliter oriretur, esset proprius effectus Dei, nam supradictae vires essent, proprie loquendo, tantum instrumentum Dei. — Possibilitas *talis* evolutionis a

pluribus Scholasticis expresse tenetur v. g. T. Pesch, Hugon (cfr. Suarez, *De opere sex dierum*, l. I, 1, c. 7, n. 11; l. II, c. 10, n. 11).

Hanc sententiam — tenuit iam S. Augustinus. Loquendo v. g. de ortu insectorum, « quae de animalium gignuntur corporibus et maxime mortuorum » affirmat « absurdissimum esse dicere tunc [ea esse] creata, cum animalia ipsa [in quibus vivunt] creata sunt ». Rem ita ulterius explicat: « Inerat — ait in: *De Genesi* ad litt. lib. III, c. 14, n. 23. — iam omnibus animatis corporibus vis quaedam naturalis, et quasi praeseminata et quodammodo liciata primordia futurorum animalium, quae de corruptionibus talium corporum pro suo quaeque genere ac differentiis erant exortura, per administrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore ». — « Sicut autem in ipso grano invisibiliter erant omnia simul, quae per tempora in arborem surgerent, ita ipse mundus cogitandus est, cum Deus simul omnia creavit, habuisse simul omnia, quae in illo et cum illo facta sunt... etiam illa, quae aqua et terra produxit potentialiter atque causaliter, priusquam per temporum moras ita exorirentur, quomodo nobis iam nota sunt in eius operibus, quae Deus usque nunc operatur » (*De Genesi* ad litt. l. V, c. 23, n. 45.) — Sententiam S. Augustini ipse S. Thomas in honore habuit (S. Th., I, p. q. 69, a. 2.) . . .

2. « *Species* » in tenore thesis intelligitur non pure *systematica*, i. e. quae in systematica botanicae et zoologiae divisione hoc nomine insignitur, sed « *naturalis* » seu « physiologia », quae modo generali definiri potest: *collectio individuorum viventium*, *quae possident eandem essentiam seu complexum notarum*, ratione cuius praeseferunt ex una quidem parte *similitudinem profundam* cum individuis, quae dicuntur pertinere ad eandem speciem, ex altera autem *dissimilitudinem non minus profundam* ab individuis aliis. Porro, cum quiquid nobis innotescit, innotescat *ex actu*, notae constituentes diversas species viventium quaerendae sunt in diversis *activitatibus vitalibus* eorum: in nutritione, augmento et generatione — insuper in sensatione, si agitur de animalibus brutis. — Diversitas activitatum vitalium involvit, ut patet, etiam diversitatem organorum seu diversitatem « morphologicam ».

Itaque *adaequata* notio speciei animalis exhibere deberet modum proprium exercendi *omnia* haec 4 genera activitatum vitalium. — Cum tamen cognitio talis *exhaustiva* nec practice nobis possibilis sit nec necessaria ad finem (i. e. ad distinguendum constanter et uniformiter species inter se), contenti sumus aliqua nota *obvia*, facili experientiae pervia (nota difficulter cognoscibilis male ageret partes « notae », cuius est praecise « innotescere » seu manifestare), dummodo sit vere *distinctiva*, i. e. competens *omni* et *soli* i. e. determinatae collectioni individuorum. — Haec nota reponitur communiter in *generatione*. Individua videlicet tunc unam eandemque speciem constituunt, quando similitudinem profundam, quam ad invicem in variis proprietatibus activitatis et morphologiae praeseferunt, valent via generationis naturalis regulariter et indefinite transmittere. Ita Buffon, A. Laurent de Jussieu, Linneus, Cuvier, Isidorus Geoffroy et alii.

3. Speciebus subsunt *stirpes*. Est autem « stirps » collectio individuorum similium ad eandem speciem pertinentium, quae (individua) per viam generationis receperunt et transmittunt peculiares proprietates alicuius varietatis primitivae. «Varietatis primitivae » dico, i. e. *hereditariae* et insuper talis, per quam animalia discrepant inter se et a parentibus differentia discontinua et quidem maiori («Varietas primitiva »... opponitur varietati mere *individuali*, quae est minima nec hereditaria et modo continuo alias varietates attingit).

3. Thesis defendit sententiam, secundum quam dari quidem potest mutatio stirpis unius in aliam, at non speciei unius in aliam speciem. Tenetur a Linneo, Cuvier, Blainville, de Quatrefages, J. Chevalier, A. Jakubisiak, Maur. Thomas (*Le Transformisme contre la Science*, Bruxelles, 1928) et plurimis aliis.

4. Cum notae, quibus a se differunt singulae species, non sint aliquando sufficienter notabiles, ideo facile dubium oriri potest in aliquo determinato casu, sintne hae species vere species naturales an tantum pro talibus habeantur (species systematicae vel stirpes). — Quaestionem hanc solvendam, ut par est, zoologis relinquimus — Nos agimus in thesi de speciebus naturalibus, quales supra definivimus.

5. Transformismus distingui solet duplex: 1) Monophyleticus; 2) polyphyleticus. Prior est, qui *unam* tantum spe-

ciem primitivam admittit adeo, ut non tantum omnia genera, familiae, sed etiam ordines, classes, immo ipsa phyla dicantur provenire ab illa una communi forma primitiva (ut plurimum unicellulari).

Ab hac evolutione non multum differt evolutio *oligophyletica*, quae admittit *paucissimas* formas primitivas.

Evolutio *polyphyletica* est, quae tot formas primitivas admittit, quot nunc phyla, classes, ordines, immo forte etiam *familiae* distinguuntur. Evolutionem polyphyleticam defendunt etiam nonnulli Scholastici v. g. Donat, Wasmann, Frank etc.

Probatur thesis.

1. — Arg. — Non est admittenda thesis, quae nec *per se* est evidens, nec ullis argumentis sive a *priori* sive a *posteriori* invicte probatur.

Atqui talis est thesis, quam in praesenti expugnamus. *E. Prob. Min.* per partes:

Pars I. Thesim hanc non esse « *per se* » evidentem omnes uno ore confitentur.

Pars II. Thesim hanc non posse invicte probari « *a priori* » ostenditur ita:

Ratio « a priori » pro Trasformismo petitur aut 1. ex parte Dei creantis aut 2. ex parte rerum creatarum.

A. Neutra ratio probat invicte intentum. *E.*

Ad Mai. 1. *Ratio « a priori » ex parte Dei* petita haec est praecipue: *Non convenit Deo creare organismos « admodum difformes et foedos »*, quales sunt plures organismi, et praesertim non convenit Deo creare « parasitos » directe ordinatos ad alios organismos perfectiores consumendos et destruendos. *Rs. a)* Suntne reapse organismi vivi, ut arguit obiciens, revera « admodum difformes et foedi » ? Noli confundere pulchrum ontologicum (metaphysicum) cum pulchro mere esthetico essentialiter proportionato facultatibus naturae humanae, — hinc cum pulchro valde *relativo. b)* Organismi, qui vulgo habentur pro foedis (ranae, etc.), sunt, omnibus fatentibus, multo perfectiores protozois et aliis plurimis. Sed si sunt perfectiores, sunt etiam ontologice pulchriores! Quare si Deo non repugnabat creare protozoa vel viventia « inferiora », nec a fortiori repugnabat Deo creare viventia, de quibus est

sermo. *c*) In specie quod attinet productionem parasitorum, nota α) nos evolutionem stirpium et specierum systematicarum minime negare; β) omnia absolute viventia — exceptis solis plantis possidentibus partes *virides* — destinata esse directe (ratione suae structurae organicae) ad consumendos organismos *vivos* sive vegetales, sive etiam sensitivos! γ) difficultatem, quam ope theoriae transformismi evitare intendis, minime reapse evitas. Nam ipsa evolutio regitur necessitate physica seu *legibus cosmicis*. Sed si ita est, quiquid ex eis *necessario* consequitur, attribuendum est directo influxui causae, quae leges illas materiae imposuit!

2. *Ratio a priori ex parte creaturarum* petita haec est praecipue: In omni re — et praesertim vivente — reperitur nisus profundus seu tendentia ad perfectionem continuo maiorem seu expansionem, qua res continuo crescat, acquirendam.

Rs. — *a*) tendentia haec est ad perfectionem continuo maiorem acquirendam mutatione *accidentali*, non essentiali seu substantiali. Reapse tendentia positiva ad mutationem essentialem repugnat, utpote contraria naturae: « inest enim — ait S. Thomas — unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res, quae est in inferiori gradu naturae, potest appetere superioris naturae gradum: sicut asinus non appetit esse equus; qui si transferretur in gradum superioris naturae, iam ipsum non esset . . . » (S. Th., I. q. 63, q. 3, c.).

Hoc principio nixus S. Thomas non timet affirmare angelum non posse — impossibilitate *physica* — umquam appetere fieri aequalis angelo alius hierarchiae, immo ne Deo quidem (*Ibid.*) « Est enim — ait Cicero — vis tanta naturae, ut homo nemo velit nisi hominis similis esse. Et quidem formica formicae » (*De Deor. nat.*, l. I, c. 28.).

b) Facultas generativa — sicuti reliquae facultates vitales — est essentialiter ordinata ad bonum propriae essentiae seu speciei (cf. *La psychophysique humaine* etc., pag. 64-87).

c) Facultas generandi sumit mensuram perfectionis suae a natura seu essentia (anima). Hinc non potest praestare effectum ultra ipsam.

d) Alibi iam explicavimus, quomodo vita consistat in tendentia ad expansionem, in motu (th. III.).

e) Motus omnis seu *actio limitatur* intrinsece per terminum finalem, quo fit, ut motus illimitatus repugnet. — Nec valet obiecto ex mechanico motu recto et uniformi corporum fundato in inertia; nam « ubi », quae successive corpus motum acquirit, sunt « denominationes ab extrinseco », sicuti « esse visum »; realitas vere intrinseca, quam in corpore supponunt tamquam fundamentum suum, est qualitas motrix (sicut realitas intrinseca, quae fundat denominationem « esse visum », est qualitas visiva — color — in corpore praesens!).

III. Pars. *Evolutio non probatur invicte a posteriori seu experientia. — Hoc est praecipuum caput argumentationis nostrae.*

Experientia, de qua hic sermo, intelligitur facta aut in tempore praesenti aut in tempore praeterito.

A. Neutra probat invicte Transformismum. Ergo.

Prob. min. per partes.

I. Non experientia facta *in tempore praesenti*:

1. Species entium, quae hodie vivunt, tantam manifestant constantiam et tenacitatem, ut contra quoscumque influxus indolem suam specificam immutatam semper conservent; variationes non dantur nisi accidentales.

2. Species, quae nunc existunt, videntur esse omnino in statu suo *perfecto, completo*; et nullo modo « in via » ad efficiendam aliam speciem.

3. Selectio artificialis inducit in organismum tantummodo mutationes plus minusve *superficiales*, quae diversificant viventia intra limites angustos. — Cessante autem influxu selectionis artificialis redeunt viventea ad formam pristinam, reapparet typus prior; quod est signum speciem ipsam non fuisse antea mutatam.

Dices. Argumentum ex selectione artificiali desumptum nihil contra Transformismum evincit, nam selectio artificialis est durationis relative valde brevis, et nec comparari potest cum periodis longissimis, in quibus longissima series generationum habuit locum.

Rs. *a*) Hic modus defendendi Transformismum habet, ut patet, valorem pure hypotheticum, problematicum, cum nobis minime ostendat, quomodo *sola ratio temporis* possit tam profundum influxum exercere.

b) Bacteriae, ut notum est, maxima cum celeritate multiplicantur; secundum Cohn in 3 diebus possunt producere 4772 billiones novorum entium. Quapropter quod attinet possibilitatem transformationis, gaudent bacteriae vel brevi spatio temporis prorsus iisdem conditionibus, quibus gavisa esse dicuntur alia entia viventia per longas periodos aetatum.

At notum est ex experientia *speciem* bacteriarum qua talem in hisce longissimis generationibus immutatam perseverare (mutationes, si quae habent locum, sunt accidentales).

4. Argumentum ex lege *biogenetica* pro Transformismo desumptum habet valorem *pure fictitium*, ut monstraverunt plures biologi (v. g. Oscar Hertwig, L. Vialleton, *Un problème de l'Evolution*, 1908). Etenim:

a) Evolutio embryi non praesentat (sua ontogenesi) similitudines *omnium* specierum, *quarum* dicitur esse « brevis recapitulatio ». Ipse Haeckel hoc fateri cogitur; at conatur legem suam salvare ope novae theoriae — item prorsus *gratuitae* — quam nomine « *caenogenesis* (Haeckel adorat « verba » !) exornavit: secundum eam natura nescio qua adaptationis ratione percurrit in sua ontogenesi seriem *falsificationum!*

b) Si lex biogenetica esset vera, necessario admittendum esset extitisse olim vera *monstra*; nam embria mammalium perfectiorum possident diu ingens prorsus et improportionatum *caput* atque initia *dentium* sub carne!....

c) *Similitudo*, quae inter quaedam stadia embryonalia et species animalium ascendentes existit, est α) *superficialis*: reapse embria variarum specierum entium multum inter se differunt iam in primis stadiis; insuper diversum evolutionis ontogeneticae cyclum percurrunt; tandem ad diversas formas terminales tendunt. β) *facile explicatur* lege iam *Aristoteli* nota et deinceps a biologo v. *Baër* comprobata: notae *communes* pluribus entibus evolvuntur in embryo citius quam eorum notae particulares. γ) cum progressus sit semper ab imperfecto ad perfectum, ab indeterminato ad determinatum, hinc necessario accidit, ut embria in suo transitu ad formam perfectam similitudines quasdam praeseferant quarundam formarum imperfectarum (cfr. *Le transformisme*, Paris, 1927, art. L. Vialleton: *Morphologie* etc., pag. 99 sq.). — Similitudo

haec non magis probat Transformismum, quam similitudines quae inter quasdam species adultas reperitur, et quae optime explicantur unitate propositi a Creatore concepti; etiam inter corpora anorganica dantur « affinitates » variae et tamen non adest nexus geneticus inter ea (Cfr. Vialleton, l. c. pag. 118)!

5. Possibilitas *transmissionis hereditariae* notarum ab individuo acquisitarum — lapis angularis Transformismi! — *nulla experientia* certa hucusque comprobata est; immo videtur ipsi positive *prorsus repugnare*, ut ostenderunt Weismann, Cuénot et alii (cfr. Cuénot, *L'adaptation*, Paris 1925, et *Le Transformisme*, Paris 1927, pag. 154 sqq.): Weismann abscindebat caudam muribus statim post earum nativitatem per 22 generationes; proles (1592 mures) semper nascebatur cum cauda perfecta.

6. Argumentum haustum ex existentia organorum s. d. « rudimentariorum » (organorum *imperfectorum*, quae ratione situs et structurae correspondent organis perfectis aliorum organismorum, at functioni non iam sufficiunt) Transformismum nullo modo probat. Etenim:

a) Ipsa appellatio « organa rudimentaria » in petitione principii fundatur, ut patet. *Probandum enim esset* in antecessum dari in organismo organa, quae prorsus inutilia sunt.

b) Quo magis scientia progreditur, eo magis limitatur numerus organorum « inutilium »: quod habebatur pro mere rudimentario, apparet cum progressu scientiae summe utile pro organismo — saltem in aliqua *periodo* vitae individualis.

c) Non sola ratio *utilitatis* est in rebus quaerenda; etiam ratio *ordinis*, *intentionis*, *pulchri* non est omittenda (Cfr. *Le Transformisme*, art. *Le parasitisme* par W. R. Thompson, pag. 142, cfr. etiam Vialleton, *ibid.* pag. 118-119), quae *unitatem Creatoris* mundi valde commendant.

d) Non licet meram *similitudinem* (analogiam) cum *identitate* (specie) confundere.

7. Argumentum ex « geographia biologica » desumptum: in insulis diu isolatis reperiuntur species ab omnibus aliis speciebus diversae, hisque insulis solis propriae; at simul speciebus regionum vicinarum adeo generice similes, ut non possit dubitari eas ex illis regionibus vicinis advenisse et paulatim in novas species se evolvisse.

Crisis: *a*) possunt hoc modo explicari differentiae specierum mere systematicarum, sed non naturalium.

b) Scientiarum periti, praesertim Müwart, Max–Perthy, dr. Guenther, Lecomte et alii insufficientiam huius argumenti clare ostendunt. Ita v. g. in Nova Zelandia et in America meridionali et in Pasmania reperitur quaedam species piscis (Galaxia), quae *exclusive* in aqua *non* marina potest vivere. Ut Transformismus stet, debet teneri hos pisces pervenisse ex uno loco *per mare!* (Cfr. Lécomte, *Le Darwinisme*, pag. 112; alia exempla apud Dembowski, Wais).

II. *Non experientia facta in praeterito... — Patet ex defectu formarum mediarum.*

a) Species plurimae per longissima tempora manserunt non mutatae. — Ita ex gr. quaedam species arborum — ait Pfaff (*Schöpfungsgesch.*, Frankfurt, 1877, 670) — et animalium v. g. lupus, cervus, vulpes, etc. etc. reperiuntur in antiquissimis temporibus ante 20.000 vel 100.000 vel tandem 200.000 ann. omnino nostris similes. Boves, canes, simiae, aves, feles etc. inventa sunt in sepulcris Aegyptiorum — ante 5000 annos circiter ibi recondita — prorsus similia iisdem animalibus specierum hodie viventium. Caprae ex periodo « lapidea » in Helvetia inventae, polypi in coralliis Floridae inclusi — qui vixerunt secundum Agassiz ante 30.000 annos — acephala, gasteropoda, conchylia ex aetate pliocena et eocena — haec omnia et plurima alia inventa sunt prorsus similia viventibus hodiernis. *Si evolutio constituit reapse — ut adversarii volunt — legem generalem viventium, quomodo explicari possit factum, quod multae species sese conservarint non mutatae?!*

b) In stratis terrae *non* observatur illa *gradatio* a formis imperfectioribus ad formas continuo perfectiores, qualis secundum adversarios fuisse affirmatur. Nonnulla strata antiquiora continent formas perfectiores, quam strata recentiora!

c) Teste geologia plures species apparuerunt in terra statim *ab initio in statu perfecto ac plene evoluto*. Barrande in investigationibus suis peractis in centro Bohemiae repperit «*trilobita*» (primam speciem animalis crustacei) plene evoluta iam in periodo initiali suae apparitionis et sine formis transeuntibus; ex 350 formis trilobitorum decem solummodo manifestant quandam modificationem, omnes reliquae invariatae

semper permanserunt. — Similiter etiam animalia cephalopoda apparent «in periodo 2-a» perfecte evoluta. Investigationes hasce confirmant investigationes a Gosselet, Agassiz, Grand, Eury, Carruthers et aliis factae, immo ab ipso Conjetan et Gaudry (*Les ancêtres des nos animaux*, p. 162–165).

Dices: Fossilia, quae habemus, proveniunt ex epochis posterioribus; praecesserunt ea plurima entia, quae transformationi subiectae erant, quorum tamen reliquae destructae sunt.

Rs. *a*) *Nisi supponere velis* veritatem Transformismi, nullam iam rationem positivam habes asserendi transformationem organismorum habuisse locum in aliis *solis* epochis.

b) Si per tam longam periodum a Cambrio et Praecambrio usque ad nostra tempora multae species remanserunt prorsus immutatae, deberes supponere periodis praecedentibus — et quidem aptis ad fovendam vitam, ut patet — longitudinem prorsus *enormem.* Quod *geologi* non tenent!

c) Ipsi fautores Transformismi coguntur fateri Transformismum perdere in dies *fundamenta scientifica* et *asseclas*, Transformismum transire hodie veram « crisim » (vide: Dr. A. Labbé, *Le conflit transformiste,* Paris, Alcan, 1929).

2. *Arg. directum contra Darwinismum.*

1. In selectione artificiali (domesticatione) producuntur desideratae varietates novorum individuorum non mera *accumulatione* quarundam proprietatum mere *individualium*, existentium in parentibus, ut falso putat Darwin, sed eo, quod eliguntur ad generandum individua praedita praestantioribus qualitatibus *hereditarie acceptis* (Cfr. J. Chevalier, *L'Habitude* pag. 107 sq.). — Insuper variabilitas, quae selectione artificiali obtineri potest, non est *illimitata*, ut falso supponit Darwin, sed e contra rigorose limitatur communiter notis legibus *Mendelianis.*

2. Selectio naturalis explicare quidem posset, cur quaedam entia minus apta parierint in conditionibus durioribus (ex pluribus ovibus fugientibus simil lupum peribit utique illa, quae difficillime currit!); hoc sensu attribui potest selectioni naturali influxus *negativus* (eliminans). At minime explicare valet ipsam *productionem* variorum organorum (et qualitatum) propriorum diversarum specierum entium viven-

tium; aliis verbis, selectioni naturali adscribi non potest influxus *positivus*. — Rationes asserti:

a) in proclamata a Darwino « pugna pro vita » tantum organa *plene* (sufficienter) evoluta — ut patet — iuvare reapse potuerunt entia viventia; organa *rudimentaria* (seu in fieri) viventibus potius detrimento fuerunt (ideoque viventia possidentia ea potius perire debuerunt!). Adde, quod in clade v. g. famis (ut experientia constat) pereunt generatim *sine discrimine* animalia.

b) Multae proprietates, quae in diversis speciebus inveniuntur, et quae communiter habentur pro notis *distinctivis* earum (v. g. forma pro folio, flores etc., numerus accuratus dentium aliaque id genus) nec utiles nec nocivae sunt in lucta pro vita!

c) Ortus organorum perfectorum per viam merae *accumulationis fortuitae* proprietatum *accidentaliter* ortarum in singulis individuis laedit simpliciter principium *rationis sufficientis*. Ubi enim stabilitas et conspiratio ad unum finem, ibi excluditur casus (Cfr. P. Janet, *Les causes finales*). — Nec iuvat hic ad spatium *temporis longissimum* appellare, per quod accumulatio haec protracta esse supponitur; unusquisque enim actus generandi capax est *annihilandi plene* qualitatem accidentaliter acquisitam (qui ictibus *fortuitis* litterarum vult obtinere verbum v. g. « transformismus », minime iam propius accedit ad finem a se intentum ex hoc *solo*, quod iam 1.000.000 ictus perfecit; nam si ictu praecedente obtinuit v. g. « tra... » ictu subsequente totum successum hunc simpliciter *annihilat* et ad punctum *initiale* reducitur) — Eadem impossibilitas in ortu mirae *symetriae structuralis organorum* (2 oculorum, 2 aurium, 2 camerarum cordis, organorum generationi inservientium ratione 2 individuorum ad id necessariorum etc.) per continuam evolutionem *minimorum* discriminum *casu* productorum. Difficultas haec augetur adhuc eo, quod α) propter *legem correlationis* organorum non potest oriri ullum organum nisi *simul* mutentur profunde et harmonice *plura* alia organa; β) multi *instinctus*, si statim ab initio non exercentur modo *perfecto*, sunt pro animali perniciosissimi et causa eius *interitus*. γ) ex tot existentibus individuis *sola* illa individua, quae praedita erant *similibus initiis organi eodem gradu*, debuissent ad mentem

Darwini ad copulationem pervenire. Et hoc factum debuisset *repeti irrefragabiliter* per *tot* series et tot saecula! Ut hoc possibile esset, debuissent omnia alia individua (initiis organorum privata) simpliciter *perire*. Quod consequens pugnat cum datis aeque *palaeontologiae* (cui formae illae intermediae — innumerabiles! — omnino non sunt notae) atque *experientiae* (adhuc hodie existit ingens turba entium *imperfectorum* protozoorum !).

Quare non miraberis hodie fere nullum inveniri biologum, qui Darwinismum sequatur.

THESIS XLV.

Transformismus anthropologicus, qui docet genus humanum ortum esse mera evolutione alicuius speciei beluinae, nullo modo admitti potest.

1. — St. Qu. — 1. Veritas huius thesis sufficienter e thesi praecedenti elucet in eaque *implicite* continetur. Si enim *nulla* generatim species (naturalis) entium viventium potest ab alia specie via merae evolutionis oriri, a pari — immo *a fortiori* — non potest genus humanum originem ducere a quacumque tandem specie beluina, cum homo differat a belua non tantum *essentialiter* seu specifice sed etiam *toto ordine* (Cf. thes. XXI).

2. Attamen propter summum *momentum* huius quaestionis pro vita — evolutionistae enim consequenter ad sua principia docent omnes nostras notiones: philosophicas, religiosas et morales esse essentialiter mutabiles ac relativas — operae pretium est veritatem thesis praesentis *explicite* ab oculos ponere.

2. Notiones. — 1. *Transformismus anthropologicus* seu illa *doctrina*, *quae tenet primos homines ab aliqua specie beluina descendere, distinguitur* duplex: *radicalis et mitigatus.* — *Radicalis* est, qui tenet primos homines non solum quoad corpus sed etiam *quoad animam* omnesque facultates psychicas a bruto originem ducere. — Ita v. g. Haeckel, Darwin, Huxley. — *Mitigatus* autem est, qui ad *solum corpus* (facultatesque materiales) assertionem suam restringit. Hic inter alios pertinent complures auctores catholici, qui post *St. G. Mivart*

tamquam *probabilem* tenent sententiam, secundum quam ortus primi homini factus est eo, quod Deus infuderit animam intellectivam bruto, quod evolutione sua corporali organisationem simillimam organisationi humanae acquisierat.

2. *A quanam praecise specie* animalis bruti genus humanum originem suam sumpserit, multum *disputatur* inter ipsos Transformistas.

Secundum *veteres*: ab aliqua *simia antropoide* (Chimpanzé, Gorilla, Gibbon, Orang-Utang). Ita saec. XVIII. J. Burnett (lord Monboddo), saec. XIX. J. E. Doornik (a simia anthropoide nati sunt Nigritae et ex eis Europaei). Sententiam eorum secuti sunt Ballenstedt, J. T. Krüger, *Huxley*, K. Vogt, *Haeckel*, *Darwin*, K. C. Schneider, Nussbaum, Hans Friedenthal, G. Schwalbe etc.

Secundum *recentiores*: ab aliqua specie animalis viventis in aetate tertiaria, *diversi tum a simia tum ab homine* et medii inter utrumque; ab eo tamquam a communi stipite lineis divergentibus aeque simiae ac homo descendunt. Ita fere H. Klaatsch, Alsberg, Stratz, Stołyhwo et alii.

Extra chorum cantant Tornier: protoparens hominis est *ursus*; C. Snell: tota evolutio dirigebatur ad hominem producendum; bruta non sunt nisi entia, quae ab terminum suum normalem non pervenerunt; ad hanc ultimam sententiam accedit G. E. Mattei: simiae sunt « homines degenerati ».

3. Thesis nostra Transformismum aeque *radicalem* ac *mitigatum* expugnandum suscipit.

Habet duas partes:

I. Primus homo, *quoad animam* spectatus, non descendit a bruto.

II. Primus homo, *quoad corpus* consideratus, non est ortus mera evolutione bruti.

Probatur thesis.

PARS. I. — PRIMUS HOMO, QUOAD ANIMAM SPECTATUS, NON DESCENDIT A BRUTO.

ARG. Anima hominis est spiritualis.

A. Anima spiritualis non potest descendere a bruto. *E.*

Mai. — Patet ex th. XXXV.

Min. — Patet ex th. XXXVIII.

Dices. I. (cum Haeckel et Huxley): Dantur quaedam « species » generis humani (v. g. Australienses, Tasmaniensis), quae quoad facultates psychicas consideratae, plus accedunt ad simias (anthropoidas) quam ad speciem humanam Europaeam.

Rs. Australienses et Tasmanienses minime constituunt diversas « species » generis humani, sed tantum diversas « stirpes » unius eiusdemque speciei humanae.

Etenim: 1. easdem habent specifice *facultates psychicas* (intellectum, voluntatem) ac Europaei; discrimina sub hoc respectu non sunt maiora, quam quae inter Europaeos ipsos quandoque observantur. Etiam Tasmanienses, qui communiter habentur pro *infima* stirpe, quae recentioribus extitit temporibus (a. 1877. ultimum individuum huiusce stirpis mortuum est), habebant loquelam (et quidem plures), utebantur variis instrumentis (praecipue igne), optime noverant regulas pudoris et modestiae easque in praxim deducebant, habebant sat evolutas notiones morales (Cfr. de Quatrefages, *Hommes fossiles et hommes sauvages*). Vide thesim XXI.

2. habent eundem prorsus *organismum* atque easdem *potentias organicas*. Qualitates autem coloris, figurae, cranii, capillorum et ita porro non sunt tales, ad quas *gressu continuo* non possit transiri ex qualitatibus analogicis, quae in aliis stirpibus humanis vigent.

3. matrimonia inita inter individua qualiumcumque stirpium humanarum *fecundatione illimitata et perfecta* gaudent (mulâtres).

4. hodie iam omnes rerum periti (post Cuvier, de Quatrefages, A. v. Humboldt, Baër, Virchow) pro certo habent homines constituere *unicam speciem*; disputant tantum de unitate eorum « genealogica » seu utrum procedant etiam a *communibus protoparentibus*. — De quo infra loquemur.

Dices II: Non licet ad explicandas *res naturales*, quales sunt homines, recurrere ad *causam supernaturalem*.

Rs. 1. Principium, in quo fundatur hoc assertum, est principium « causalitatis clausae » Porro principium hoc est *mera hypothesis*, omnino *gratuita* et contradicens certis factis, ut alibi ex professo ostenditur.

2. Tunc tantum non est recurrendum ad causam primam, ubi reapse plene *sufficiunt causae secundae*. At ubi non suf-

ficiunt, ad causam primam recurrere non tantum licet sed etiam omnino *oportet* — vi praecise ipsius principii causalitatis!

PARS. II. — PRIMUS HOMO, QUOAD CORPUS CONSIDERATUS, NON EST ORTUS MERA EVOLUTIONE BRUTI.

ARG. I. E PALAEONTOLOGIA.

A) Si genus humanum, quoad corpus consideratum, ortum esset via evolutionis e bruto animali, certo existerent *formae* quaedam *mediae* inter animal brutum et hominem.

A. Falsum consequens.

E. Et antecedens.

Ad Mai. — Evolutio, qua homo *paulatim* a statu bruti animalis ad gradum suae specificae perfectionis ascendit, protrahi debuit — ipsis Evolutionistis fatentibus — per longissima tempora et per *plurimas species intermedias.* Sed si ita est, tunc et *hodie* deberent saltem quaedam ex eis adhuc vivere — sicuti vivunt complures species simiarum antiquissimarum — et imprimis non deberent penitus deesse eorum *fossilia* in antiquissimis stratis nobis cognitis.

Ad Min. — Forma vere « media » inter hominem et animal nec ulla *hodie* existit nec ulla *unquam* inter fossilia inventa est. — Ossa hominis antiquissimi (diluvialis)[1] sunt prorsus similia ossibus stirpium adhuc hodie existentium. —

[1] Quo melius argumenta nostra intelligantur, in memoriam revocandas censemus quasdam notiones palaegraphiae.

Geologia distinguit in existentia terrae plures «aetates», quarum unaquaeqae dividitur in « formationes » (periodos):

I. — Aetas *Archaica* seu *Azoica* seu « Primitiva » : antiquissima, in cuius stratis (excepta ultima eius parte) nulla signa vitae reperta sunt.

II. — Aetas *Palaeozoica* seu «Primaria» (divisa in 4 formationes: 1. Sylur., 2. Devon., 3. Carbon., 4. Perm.), in qua ingentes plantae et animalia marina vixerunt.

III. — Aetas *Mesozoica* seu « Secundaria » (divisa in 3 formationes: 1. Tryas., 2. Iuras., 3. Gips.), in qua vixerunt ingentia et multiformia reptilia.

IV. — Aetas *Caenozoica* seu « Tertiaria » (divisa in 2 formationes: 1. eocaenica, 2. neocaenica: *a*) oligocaenica, *b*) miocaenica, *c*) pliocaenica), in qua vixerunt animalia (aves et mammifera) partim similia (magna), partim etiam «eadem» ac praesentia. — Calor amoenus etiam

Dices: Praecise talis forma « media » reapse existit, videl. « Pithecanthropus erectus » (quem invenit apud Trinil in Java E. Dubois a. 1891 et 1892), typus « Neandertalensis », typus « Heidelbergensis » etc.

Rs. I. *Quod attinet « Pithecanthropum »*, 1. omnino *non constat*, utrum ossa inventa, quae constituisse dicuntur Pithecanthropum (pars cranii, duo dentes et femur) *pertinuerint ad unum idemque individuum*. Reapse cranium inventum est in distantia unius metri ab uno dente, trium metrorum a dente altero, quindecim metrorum a femore!

2. *Individuum*, ad quod pertinet hoc cranium, *non* fuit — communiori sententia celeberrimorum anthropologorum (Virchow, Krause, Waldeyer, Ranke, Sergi, R. Martin, M. Boule) — *humanum*, nam *a*) volumen eius habet tantum circa 800 cm^3 — hinc multo minus quam homo (cuius cranium habet circa 1550–1200 cm^3); accedit potius ad cranium si miae « Gibbon » (Bumüller, Macnamara, Hamann, Kollmann,

in regionibus septentrionalibus vigebat; orti sunt in hac aetate montes recentiores, ut v. g. Alpes.

V. — Aetas « Quaternaria » seu *Diluvialis* seu *Glacialis*. A geologis in 2 formationes dividitur: 1. *pleistocaenicam* (quam archaeologi vocant « *palaeolithicam* »): 2. *holocaenicam* (cuius partem antiquiorem vocant archaeologi « *neolithicam* », partem vero recentiorem — adhuc hodie durantem — « *metallicam* ». — In formatione « pleistocaenica » distinguunt archaeologi periodum *a*) pl. *inferiorem* (correspondentem fere periodo « Chelléenne » et I^ae^ parti periodi « Acheulléenne); *b*) pl. *mediam* (correspondentem fere II^ae^ parti periodi « Acheulléenne » et periodo subsequenti: « Moustérienne »); *c*) pl. *superiorem* (correspondentem fere periodo « Magdalénienne »). — In hac aetate variis temporibus glacies usque ad Holandiam, Bohemiam, Poloniam Minorem descendebant, ut patet ex fossilibus plantarum et animalium, quae in solis regionibus frigidis vitam degunt.

Aetatem diluvialem dividere solent (cum quadam probabilitate) multi geologi in plures (2-6) periodos, distinctas a se invicem periodis « interglacialibus » possidentibus altiorem temperaturam.

In *aetate diluvialii* certo vixit iam in *Europa* homo ideoque etiam haec aetas: « *anthropozoica* » vocari quandoque solet.

In *aetate palaeolithica* homo utebatur tamquam instrumentis lapidibus — postea etiam ossibus animalium et cornibus — arte « *scissis* ». — In *neolithica* homo faciebat sibi instrumenta « *expoliendo* » lapides. Sequuntur eam bene iam notae periodi « metallicae »: primo *bronz.*, (quae incipit circa saecul. 9 a. Chr.) et deinde *ferrea*.

R. Hertwig, M. Boule). — Nec eius volumen paulo maius volumine simiarum *recentiorum* (600 cm^3) difficultatem seriam facere potest, cum ignoremus prorsus staturam Pithecanthropi; porro, ut constat, maximi valoris est hic non volumen cerebri *absolutum*, sed *relativum* (seu illud, quod obtinetur comparando cerebrum cum toto corpore). — *b*) *Cranii* configuratio — cum certitudine — et femoris forma — cum probabilitate — indicant individuum possidens illud *non* habuisse «*incessum erectum*» (J. Bumüller).

3. Pithecanthropum non fuisse parentem hominum apparet vel ex eo, quod strata geologica, in quibus inventus est, sunt aevi diluvialis seu quaternarii (W. Volz, Carthaus, Elbert, R. Martin, J. Schuster), in quo homo *iam* vivebat. Pithecanthropus igitur non parens hominis sed eius coaevus tantum fuit!

4. Ipse E. Dubois evidentia facti victus confessus est a. 1924. Pithecanthropum non potuisse esse *parentem* hominis, (sed eius *fratrem*, descendentem ab aliquo ignoto stipite communi!).

II. *Quod spectat «typum Neandertalensem»*, ad quem pertinent primo cranium et quaedam ossa longa inventa in specu Feldhofer in Neanderthal (prope Düsseldorf) a. 1856 et deinde variae partes sceleti inventae in diversis locis et temporibus [1], *dico*: 1. typus Neandertalensis invenitur in strato geologico *quaternario* (pleistoc. medio, muster.), in quo etiam homo similis Europaeo moderno (stirps Cro-Magnonensis, Aurignacien.)[2] existebat (Cfr. M. Boule, Les hommes fossiles, 1923,

[1] Gibraltari pars cranii (a. 1848); in specu Fées prope Arcy-sur-Cure (Yonne, 1859) fragmentum mandibulae; in La Naulette prope Dinant (Belgio, 1866) mandibula; in Spy in Belgio duo crania et plura sceleta; in Malarnaud (Ariège, 1889) mandibula; in specu Krapina in Croatia (1889) fragmenta 10-12 craniorum et 14 mandibularum, 114 dentes et variae parte ossium; in Schipka et Ochos in Moravia varia fragmenta ossium; in La Chapelle-aux-Saints (Corrèze, 1908) sceletum senis; in Moustier (Dordogne, 1908) sceletum iuvenis; in La Ferrassie (1909-1911) aliquot sceleta; in La Quina (1911) sceleta et crania; in Broken-Hill in Africa (1921) cranium; in Ehringsdorf prope Weimar (1914) pars mandibulae; in Wadi-el-Amud in Galilaea (1925) cranium. Et ita porro.

[2] Anno 1868 inventa sunt in Cro-Magnon (Dordogne) 5 sceleta Europaeis hodiernis omnino similia (Cfr. G. Goury, *Origine et Evolution de l'homme,* Paris 1927, pag. 178 sq.).

pag. 243). Ergo non potuit esse forma media inter hominem et simiam — hominis parens!

2. Cranium Neandertalense (orbitae oculorum rotundae, maiores et magis a se distantes quam apud hominem modernum; arcus supra oculos magni, frons valde brevis et obliqua, nasus valde largus, separatus a fronte per profundam depressionem, mandibulae prominentes, mentum parvum, dentes magni at omnino similes nostris) est *simile craniis indigenarum Australiensium*. Unde conclusio: typus Neandertalensis non erat forma media inter hominem et brutum, sed *stirps humana*, quae in Europa in aetate diluviali vixit [1].

III. *Quod attinet* « *typum Heidelbergensem* » vocatum a Borelli: « Palaeoanthropum », eius sola reliquia, quae extant, est mandibula superior (larga, robusta, sine mento) inventa in Mauer prope Heidelberg 24 m. sub terra. Porro haec mandibula est antiquissimum os fossile *certe humanum* (v.g. dentes eius sunt specifice humanae et non simiae); pertinebat ad *stirpem* specialem, similem Australiensibus (Cf. P. Teilhard S. I.) [2].

B) Si genus humanum e bruto animali — ut asserunt adversarii — evolutione lentissima ortum esset, homo fere talis, qualis nobis statim apparet in aetate quaternaria, iam

[1] Praeter hasce duas species (Neandertal. et Cro-Magnon.) nonnulli anthropologi statuunt adhuc alias « medias », quas repraesentare dicuntur v. g. fossilia inventa in specubus : Grimaldi et Menton (stirps « Grimaldiana », stirps « Mentonensis »), insuper in Combe-Capelle (Dordogne), (stirps « Aurignacensis »). At communus reducuntur hac stirpes « mediae » ad alterutram ex dictis.

[2] *Eoanthropus Dawsoni*, cuius fragmenta (cranium et pars mandibulae) inventa sunt a. 1911 ad 1916 in Piltdown (in strato *probabiliter* formationis pleistoc. infer.) videtur esse compositum *artificiale* (factum erronee a Dawson et Smith Woodward) partium humanarum (cranium valde simile cranio Europaei moderni) et simiarum (mandibula). Cfr. Boule, *op. cit.*, 158-174.

Sinanthropus pekinensis, cuius varia fragmenta inventa sunt (a P. Teilhard de Chardin S. I., P. Licent S. I., Zdansky, Davidson Black) a. 1922-1929 in China, videtur constituisse specialem stirpem humanam fere contemporaneam hominis Heidelbergensis et « Eoanthropi Dawsoni ». (Cfr. Anthropos, 1932, fasc. 1-2, art. « Le gisement à Sinanthropus de Chou-Kou-Tien et ses vestiges de feu et d'industrie, par H. Breuil et G. Schmidt », pag. 1-10).

per longissima tempora antea, proindeque iam in aetate *tertiaria* existere debuisset.

A. — In aetate tertiaria homo non extitit. *E.*

Ad Mai. — In aetate quaternaria homo apparet, ut modo vidimus, omnino similis homini actuali (sive albo sive nigro). Porro si ille homo (« quaternarius ») constituit — ut adversarii volunt — reapse terminum, ad quem animal evolutione *lentissima* pervenit aetate praecedenti, homo *fere* similis homini actuali per plurima saecula ante aetatem *quaternariam* iam existere debuisset.

Ad Min. — In aetate tertiaria *nullum* invenitur *vestigium hominis.* Inventi quidem sunt (in Tenay, Loir-et-Cher, in Puy Curny prope Aurillac, insuper prope Lisbonam etc.) a sacerd. Bourgeois, Rames, Ribeiro *silices aetatis tertiariae*, qui videbantur nonnullis fuisse antiquissima instrumenta, quibus homo in ipsa « aurora » suae existentiae utebatur (unde etiam nomen « eolithi » : ἕως = aurora ; λίθος); attamen hodie communiter habentur a peritis pro effectu virium *naturalium non intentionalium* (similes enim « eolithi » etiam hodie formantur tractione in fluviis et in glaciebus, pressione, concussione, ut monstrant v. g. H. Breuil, Boule, Warren ; adde, quod similes eolithi per longissimum aevum tertiarium apparent sine ullo progressu !) — Similiter *incisiones*, quae in ossibus animalium in aetate tertiaria viventium apparent, habentur a peritis non pro effectu intentionali hominis sed pro vestigio morsuum animalium aliorum.

Quare etiam fautores evolutionismi expresse fateri coguntur « *evolutionismum anthropologicum* » minime esse e *palaeontologia* probatum (Ita Virchow, Ranke, Boule etc.).

Arg. II. E morphologia.

Non obstante similitudine quadam generali, quae observatur inter organismum humanum et organismum quorundam animalium (simiarum), existit inter eos simul profunda *dissimilitudo essentialis*, immo maior, quam quae existit inter alias quascumque duas species :

1. *ratione capitis*: *a*) in homine *praevalet pars superior*, in qua continetur cerebrum vitae intellectivae inserviens ; in simia vero praevalet pars inferior vitae vegetativae destinata (mandibulae valde fortes, dentes robusti praesertim canini et incisivi etc.) ; *b*) in homine *frons alta*, *angulus facialis* 70-90° ;

in simia frons parva, angulus facialis 30°-35°; c) *pondus absolutum cerebri* apud hominem circa 1360 gr., apud simiam Gorillam 400–500 gr.; d) *volumen cranii* apud hominem Europ. 1550 cm³ (Mongol. 1500 cm³; Nigrit. 1300 cm³); apud Gorillam 531 cm³ (Orang-Utang 439 cm³, Chimpanzé 421 cm³).

2. *ratione incessus*: apud hominem rectus; in simia incurvatus. Differentia haec est *consectarium naturale* differentiae cerebri (v. Baer, Ranke): ad occiput humanum impletum totaliter cerebro penetrat spina vertebralis ex parte *inferiore*; ut igitur intuitus oculorum feratur in linea recta ante hominem, debet homo incedere erectus in duobus pedibus; in simia vero res aliter se habet: in caput *non expletum* cerebro spina vertebralis penetrat ex parte posteriore; ut intuitus oculorum feratur ante animal, debet animal incedere incurvatum; potest quidem ipsum se erigere similiter ac siricius vel lepus auscultans, sed non eodem modo ac homo (ut videl. truncus, femur et tibia sint in una linea perpendiculari!) nec constanter hanc positionem servare potest.

Ad hunc finem homo praeditus est *2 pedibus*, qui sunt longiores quam bracchia (3:2); simia habet tantum *4 manus*, quarum anteriores sunt longiores quam posteriores (4:3).

Arg. III. Solutio argumentorum adversariorum.

1. *E biologia.*

Sanguis transfusus ex uno animali in aliud *dissolvit* sanguinem huiusce ultimi (et per consequens eius mortem inducit) aut *non*, dependenter ab eo, utrum haec duo animalia stent *prope* aut *longe* a se in ordine systematico (ita sine nocumento potest misceri sanguis lupi et canis, sanguis equi et asini; at sanguis felis occidit lepus).

Porro sanguis humanus, qui transfusus in simias inferiores dissolvit earum sanguinem easque occidit, minime nocivus est simiis superioribus seu *anthropoidis* (Gibbon, Orang-Utang, Chimpanzé). (Ita Uhlenhut, Schutze, Stern, Bordet, Wassermann, Nuttal, Fredenthal). Unde concludendum est: inter hominem et simias superiores adest *communitas sanguinis*, proindeque etiam *communitas originis.*

Rs. — *a*) Conclusio legitima ex argumento allato haec tantum est: Ergo inter sanguinem hominis et sanguinem simiarum superiorum adest *similitudo* quoad compositionem chimicam. Minime autem: Ergo inter hominem et simias

adest *communitas sanguinis*. Similitudo enim chimica sanguinis non necessario fundari debet in communicatione eiusdem sanguinis. Ex communi origine licet quidem inferre similitudinem sanguinis, sed non vice versa; potuerunt enim duo entia ab initio *similia* creari (*chimiae* bene nota sunt corpora similia, quae minime habent originem communem!).

b) Aequo iure posses arguere: Quia *cerebrum* hominis *chemice* consideratum, in multis simile est *cerebro* simiarum superiorum, ergo homo procedit a simia!

c) Iam *a priori* expectandum erat simiam similem homini in *multis* fore ei similem etiam quoad *sanguinem*.

Adversarii, dum ex *quibusdam similitudinibus* existentibus inter hominem et simiam inferunt communem eorum speciem, committunt errorem gravem *methodicum*: *negligunt differentias profundas*, quae haec duo entia a se separant; atque adeo non considerant ea — prout decet — « adaequate ».

d) *Principium*, ex quo argumentatio exit, non est communiter verum; nam sanguis v. g. testaceorum (crustaceorum), qui, omnibus fatentibus, longe distant a vertebratis, non dissolvit horum ultimorum sanguinem. (Alia exempla vide apud Wassmann S. I., *Der Kampf um das Entwickelungsproblem*, Freiburg, 1907, pag. 87, 137).

2. *Ex organis rudimentariis*.

Dantur in homine quaedam organa s. d. *rudimentaria* i. e. organa imperfecta, quae ratione situs et structurae correspondent organis perfectis et utilibus animalium, at functioni non iam sufficiunt proindeque sine ullo fine. Talia sunt v. g. plica semilunaris (quae est in oculo prope nasum; haec plica in brutis inferioribus est adeo perfecta, ut cooperire queat totum globum oculi); capilli (qui hodie nonnisi in quibusdam corporis partibus in homine inveniuntur); os coccygis (compositum 3, 4, 5 vertebris immobiliter secum iunctis), quod adhuc hodie quandoque in hominibus tamquam cauda mobilis, ad usum normalem expedita reapparet; caecum et processus vermiformis (« appendicite »); musculi frontales superiores et auriculares; processus supracondyloideus; tertius dens molaris; spina Darwini (acumen in parte superiore auriculae).

Rs. *a*) *Gratis* asseritur haec organa *nullum finem* habere. Reapse quo magis scientia progreditur, eo magis restringitur numerus organorum « rudimentariorum ». Olim pro rudimentariis habebantur: glandula thyreoidea, glandula thymus,

glandula spinealis, caecum et processus vermiformis, etc., quorum summam utilitatem monstraverunt Kocher, Reverdin, Cyon, Macewen etc.

b) Non sola ratio *utilitatis materialis* quaerenda est in structura organismi; praesertim in structura organismi entis *rationalis*, proindeque etiam capacis considerandi rationes *ideales pulchritudinis, unitatis intentionis Creatoris* etc. Ratione — maxima ex parte — esthetica explicatur v. g. existentia mamellarum in pectore viri (Cfr. Schadow, Carus, Rietschl, Zeising etc.).

c) In suppositione sententiae adversariorum intelligi nequit, cur homo, qui tot diversas species evolutione sua transierit, *non habeat plura* organa « rudimentaria »; cur apud *omnes* homines in *eodem* statu deperditionis haec organa maneant; cur non depereant ulterius ac tandem non evanescant. Et ita porro!

d) Intelligi non potest, *cur homines cessaverint uti* quibusdam organis, et insuper *quomodo* haec organa ipso « nonusu » perierint v. g. capilli (qui olim cooperiisse dicuntur totum corpus).

e) « Cauda », quae quandoque in hominibus apparet, est effectus *alterationis* organismi *morbidae*, productae tempore embryonali, aeque ac v. g. deformitas digitorum, vertebrarum, costarum, cranii (« microcephali » — apud quos etiam intelligentia est diminuta, reddens eos ineptos existendi), hypertrichositas seu pilositas extraordinaria (abnormalis status pilorum, qui *normaliter* corpus humanum tegunt, vel residuum morbidum pilorum normalium, quae embryum cooperiebant) etc.

3. *Ex embryologia* (lege « biogenetica »).

Embryum humanum percurrit sua evolutione stadia (30 secundum Haeckel) apprime similia quoad formam variis animalibus brutis: ita v. g. ovum unicellulare humanum est repetitio status nostri primi protoparentis i. e. protozoi; arcus branchialis, qui apparent in embryo (in tertia hebdomada), repetunt statum, in quo fuimus pisces; cauda, qua praeditum est embryum, testatur nos fuisse olim bruta caudata. Et ita porro.

Rs. *a*) Lex haec est *pura hypothesis*, nullo modo probata, ut ipsi evolutionistae fatentur (von Baër, His, K. Vogt, Beard, Driesch, T. Garbowski, Le Dantec etc.).

b) In specie quod attinet arcus branchiales embryi, hi nihil commune habent cum branchiis piscium; nam non inserviunt ad respirationem; sunt « materiale », ex quo fiunt varia organa: oris, auris etc.

c) Quod spectat «caudam» embryi, haec iterum nihil habet commune eum vera cauda brutorum; est mera *apparentia caudae*, quae inde oritur, quod in aliquo stadio existentiae embryi pars dorsalis est paulo longior quam pars ventralis; at postea, cum spina dorsalis retrahi incipit, cauda haec evanescit.

d) Dum *cranium* embryi simiae superioris prae se fert per aliquod tempus aliquam similitudinem cum forma humana, cranium embryi humani numquam est simile cranio simiae, ait van den Broek. Unde potius dicendum esset non hominem ex simia, sed simiam ortam esse ex homine, quod est absurdum (teste palaeontologia prius extiterunt simiae quam homo)!

e) Argumenta *positiva* Haeckeli pro lege biogenetica erant magna ex parte purae falsificationes praeparatorum (Cf. Brass e Gemelli, *L'origine dell'uomo e le falsificazioni di E. Haeckel*, Firenze, 1910).

f) Alias rationes vide in thesi XLIV, pag. 460.

Confirmatur thesis communi fere omnium nationum traditione, secundum quam homo a *Deo* factus est et non evolutione ex animali ortus.

SCHOL. I. — DE UNITATE GENERIS HUMANI « GENEALOGICA ».

1. — In thesi vidimus omnes stirpes humanas eiusdem esse *speciei*. — Hic iam agimus de unitate *genealogica*, quae consistit in eo, quod homines ab iisdem protoparentibus oriundi sunt, atque adeo unam constituunt *familiam sensu morali*.

2. — Etsi unitas genealogica ex *sola* ratione cum certitude demonstrari nequeat, attamen nec argumenta in contrarium quidquam evincunt.

Immo non desunt argumenta vel ex *sola ratione* petita, quae unitatem genealogicam vehementissime *commendant*: 1. Cum homines sint unius speciei, ut in argumento ostendimus, ex eisdem protoparentibus oriri *potuerunt*. 2. Si ab iisdem parentibus originem ducere possunt, graves adsunt

rationes quae «a priori» summopere suadent hanc «possibilitatem» fuisse ab Auctore Naturae reapse actuatam: inter quas eminet praecipue ratio caritatis in relationibus mutuis fovendae, quae facilius ex unitate familiae resultat. 3. Unitatem genealogicam «a posteriori» confirmant: *a*) communes *traditiones* omnium fere gentium de ortu omnium hominum a protoparentibus communibus; *b*) *ethnographia*, quae indicare videtur Asiam fuisse communem omnium hominum patriam.

SCHOL. II. — DE ANTIQUITATE GENERIS HUMANI.

1. — Secundum Haeckel et Obermaier genus humanum existit iam 100.000 annos, secundum Lyell 150.000–200.000 an.; secundum Mortillet et Penk 230.000–240.000 an.; secundum Draper 250.000 an.; secundum Joly 100.000 saecul.

2. — Omnia tamen haec calcula sunt non tantum prorsus *hypothetica*, sed insuper omnino *gratuita*, ut fatentur multi anthropologi prudentiores[1]. Fundantur enim in plus minusve arbitrarie determinata *duratione aetatis glacialis*, cui homo coaevus fuit.

Determinatur enim calculando tempus, quod supponitur fuisse necessarium ad hoc, ut *a*) glacies liquefierent; *b*) erosiones producerentur a glaciebus paulatim ex alto descendentibus; *c*) certa longitudo viae a molibus glacialibus perficeretur; *d*) strata, quae reliquias fossiles continent, formarentur; *e*) delta quorundam fluviorum (Nilus, Mississipi) formaretur; *f*) lectum Niagarae ad Queenstown eroderetur; *g*) valla et lacus quidam limo explerentur; *h*) stalagmita aqua continuo cadente in specu producerentur (et «tourbes»); *i*) quaedam animalia (hippopotamus maior, elephas primigenius, mammuth, rhinoceros Merckii etc.) ex una mundi plaga ad aliam migrarentur etc. — Porro haec omnia calcula: 1. *negligunt* varias *revolutiones*, per quas transiit antiquitus terra, et quae potuerunt tempore multo breviori maximas mutationes inducere; 2. *exagerant* tempus necessarium ad

[1] « N'est ce pas en répondant à cette question, que certains auteurs se sont taillés un véritable succès? Ils ont ébloui quelques naïfs, mais ils se sont déconsidérés comme savants » (G. GOURY, *Origine et Evolution de l'homme*, Paris, 1927, pag. 376). M. Boule accusat hosce auctores simpliciter « temeritatis » (*op. cit.*, pag. 56).

formandum erosiones, deltam etc. etc., ut certo constat e factis analogicis, quae observationi hodiernae subsunt; 3. *supponunt*, quod minime certum est, aetatem glacialem divisam fuisse in plures periodos «glaciales» et «inter-glaciales» maximis temporum spatiis a se invicem separatis et sibi succedentibus easque simul — diversis in locis — existere non potuisse; 4. nimis cito ex diversis *instrumentis* inventis (sive in diversis mundi partibus sive in eisdem) concludunt ad diversas periodos culturales sibi *succedentes* (eodem tempore potuerunt tamen a diversis gentibus diversa instrumenta adhiberi!).

Quare non desunt inter geologos, qui *multo breviorem durationem* aetatis glacialis — et per consequens etiam generis humani — admittunt (Lapparent: 12.000–15.000 an.; Schaafhausen 10.000–15.000 an.). Similiter multi alii. — Adde, quod qui longissima tempora accumulant, hoc faciunt praecipue propter praeiudicia evolutionistica: ut homo habeat tempus sese evolvendi ex animali!

3. — Ut facta supra enumerata scientifice explicentur, non videtur esse opus admittere durationem generis humani longiorem quam 12.000 an. Cui numero nec S. Scriptura contradicit; nam S. Scriptores non accurate determinant genealogias (more Orientalium); insuper non constat utrum numeri annorum incorrupti perseveraverint (chronologia biblica ab Adamo ad Christum brevissima constat 3.483 annis, longissima 6.984 annis; differentia inter chronologiam Vulgatae et chronologiam Septuaginta est 12-15 saeculorum).

Dummodo igitur recte intelligatur sensus Sacrorum Fontium, qualem S. Ecclesia tradit, mira inter fidem catholicam et scientiam apparet concordia, concordia, quae unum eumdemque Auctorem vitae supernaturalis et naturalis manifesto indicat.

INDEX NOMINUM ET RERUM

Abiogenesis 444
Abstractio (ideae abstractae) 31, 100, 112, 115, 117, 151, 170, **172-173**, 178, **179**, 220, 230, 256-257, 348, 370, 371, 392
Abulia 335, 339
Accademia 398
Accidens 16, 19, 22, 66, 73, 358-359, 366, 367, 383, 391, 392, 425, 441, 448
Acclimatatio 314
Achromatopsia 338
Actio . . . 392, 395, 423, 424
- vitalis 5, 6, 11, 28, 34, 63, 239, 381, 392, 419
- transiens 19, 24, 25, 32, 35, 55, 417
- immanens 7, 23, 25, 26, 31, 32, 55, 71, 77, 83, **242-247**, 417, 421, 431-432
- « mechanica » (atomistica) 22, 38, 41, 77
- « praedicamentalis » et « metaphysica » 80, **242-243**
Actualitatis theoria . . . 324
Aegidius Romanus . . . 83
Aegyptii . . . 375, 398, 462
Aegyptus 397
Aenesidemus. 318
Aequalitas animarum . . . 400
Aequilibrium 5, 287
Aequivocum nomen . . . 47
- ae. generatio . . 5, 447
Aestimativa vis . . . **133-143**
Aeternum 202, 209, 215, 362, 365, 370, 371, 385, 386
Aether 62
Affectus 136, 159, 160, 274-275, 405, 406, 407
Affinitas 461
Africa 376
Agassiz 449, 462, 463
Agnosticismus . . . 169, 362
Aggregatum 24, 26
Agraphia 167
Albertus Magnus S. 69, 149, 220, 227, 433
Albigenses 399
Alcoholium 62
Alemannus 252
Alexander Aphrodis. 220, 363
Alexander Halensis 69, 437
Alexander Magnus . . . 402
Alexandrismus 363
Alexandristae 363
Algazel (Gazali) 363
Allan Kardec 408
Alibert C. 255
Alrutz 157
Alsberg 466
Amentes 295
America 399
Amicitia 404, 405
Amnesia . 167, 335, 338, 343
Amor 156, 161, 162, 193, 198, 414
a. altruisticus (benevolentiae) 277-278
Amyosthenia 335
Anaesthesia 46, 335, 337-339, 342

Analogia 2, 37, 39, **40**, 42, 44, 46, 54, 62, 65, 87-88, 98, 104, 114, 153, 183, 261, 266, 347, 400, 439, 461
Analogus (conceptus) 198, 199, 206, 263, 309
Analysis 5, 10, 176
Analytica iudicia . . 215-216
Anatomia 39
ANAXAGORAS 43
Anima 2, 46
- « inscia » 14
animae notio Aristot. . **15**, 34
- secundum Cartesium . 37
- secundum Platonem . 53
- separata 237, 377, 378, 382
Animal -defin. 57
- brutum 36, 68
Animatio 33, 67
Animismus 15
ANAXIMANDER 448
Annihilatio 65, 370, 371, 373, 374, 464
Anomale 41
Anorganicum 4, 9, 440, 443, 446
Anthropomorphismus 18, 189, 306
Anticlise 38
Antikinese 38
Antitoxina 9
Apathia 162
Aperceptio 268
Aphasia. 167
Apis 37, 40, 446
APOLLINARIS 388, 429
Apollinarismus 429
Apollinaristae 388
Appetitio **224**
Appetitus 37, 39, 45, 50, 54, 121, 140, **152-163**, 187, 188, 201, 209, 270, 271, 312, 386
- naturalis et elicitus 46, 152
Apraxia. 167
Aqua 6, 13, 442
Arabes Philos. 220
Arbitrium - libertas arbitrii 284, 287
Arbitrium signum ad arbitrium 213, 218
Archaei 54
Archaeogonia (archigonia) . 444
Archiplasson 444
ARIMINENSIS GREGORIUS 60, 82
ARISTOTELES 2, 14, 15, 16, 21, 23, 24, 31, 33, 34, 40, 51, 53, 60, 61, 65, 75, 81, 86, 88, 100, 103, 114, 115, 119, 127, 142, 145, 146, 147, 148, 149, 155, 158, 160, 165, 174, 183, 185, 200, 205, 211, 219, 226, 227, 243, 244, 246, 250, 252, 261, 287, 290, 311, 312, 330, 349, 360, 363, 381, 400, 415, 419, 430, 447, 448, 460
Aristotelici 60, 61, 119
ARRHENIUS 443
ARRIAGA H. . . . 82, 227, 317
Ars 188, 404
Artificialis 4, 15, 183, 340, 381, 452
Asia 477
Aspirationes 404, 405
Assimilatio 12, 96. Vide Similiatudo.
Associatio . 106, 118, 128, 188
- imaginum **129-133**, 135-136, 139, 146, 167, 173, 213, 329
Associationismus . . 168, 178
Assuefactio 314. Vide Habitus.
Assuetudo 91, 92
Assyrii 375
Astra 397, 443, 447
Atavismus 297
Atmosphaera 443
Atomismus 49
Atomistae 437
Attentio 105, 169, 171, 177, 313, 334, 340, 404, 406
Attractio - vis a. 14, 39, 156-157
- voluntatis 301
Attributa negativa 198
Attributio 119, 120, 198, 354
ATWATER 52
Autoritas 211
Audacia 161

Auditus 40, 62, 106, 113, 114, 119, 122, 214, 372
Augmentum 12, 28, 30, 44, 452, 455
Augustinus S. 40, 43, 60, 69, 132, 161, 174, 236, 274, 286, 288, 348, 357, 363, 388, 417, 428, 448, 455
Aureolus 221
Aurignacensis stirps . . . 471
Auris . . . 103, 108, 119, 349
Australia 399
Australienses . . . 467, 471
Autogonia 444
Automa 37
Automaticus motus 164
Autonomia 190
Autosuggestio (autopersuasio) 336, 403
Avenarius R. 169
Averroes 429
Averroismus 362, 363
Averroistae 363
Avicebron 428
Avicenna 149, 264, 363, 389

Babinski . . . 335, 336, 339
Backer Stan. (de) 149, 165, 247, 439
Bacon (Baconis) Ioannes . 221
Bacon Roger 321
Bacon Verulam. 429
Bacteriae 444, 460
Baden Powel 452
Baër v. . 460, 467, 473, 475
Bain A. 131, 169
Ballenstedt 466
Balmes 221
Baltzer 429
Bannez 230, 307
Banneziani 309, 310
Barrande 462
Barthez 429
Bathybius Haeckeli . 444, 446
Bayle 292
Beati 237
Beatitudo 209, 243, 275, 281, 291, 301, 373, 385
Bellarminus Robert. S. . 305
Benedictis (de) 317
Bequerel 443
Bergson H. 43, 107, 246, 322, 331, 332, 333, 351, 406
Bernard Claude 14, 43, 444, 446
Berkeley . . 83, 93, 169, 320
Bernheim H. 333
Bethe 38, 40
Bichat Xav. 27, 43
Biel Gabriel 82, 169, 221, 227, 238, 244, 363
Bilikiewicz 43, 54
Binet 127, 174, 178, 271, 342
Biochimia 6
Biogenetica lex 453-454, 460, 475-476
Biogenica theoria . . . 6, 14
Binocularis visio . . 95, 106
Biologia . . . 2, 26, 473-474
Bioplasson 444
Black Davidson 471
Blainville 456
Blanchard 453
Blitri 178
Blumenbach Ioh. Frid. . 14
Boedder 221
Bogacki F. 169
Bohemia 462, 469
Bohn 37
Bois-Reymond E. (du) 6, 14, 49 51, 443
Bolingbroke 376
Bonald (de) 211
Bonaventura S. 69, 149, 227, 244, 357, 433, 437
Bonnet 449
Bonetti Aug. 212
Bordet 473
Borelli 6, 471

Bonum 153, 156, 157, 159, 161, 162, 184, 187, 261, 270, 271, 272, 277, 278, 288, 300, 302, 303, 304, 349, 367, 368, 372, 373, 458
BOSSUET 189
BOULE M. 469, 470, 471, 472, 477
BOURGEOIS 472
BRACHET A. 444
BRANCHERON 197
Brasilia 399
BRASS 476
BREHM 184
BRENTANO FR. 158, 169
BREUIL H. 471, 472
Brutum animal - definitur 36, 45-46, 57; sentit 36-42; eius anima non est corpus 18-19; superat materiam 47-53; est unica in individuo 53-59; est substantia incompleta 16, 17, 19; est forma substantialis 19-20, 57; non habet intellectum 184-194
BÜCHNER L. 43, 49, 184, 364, 444
BUDDA 401
Buddismus 398
BUFFON . . 429, 449, 450, 456
BÜHLER 174
BUKOWSKI L. 409
BUMÜLLER J. 469, 470
BURNET J. (lord Monboddo) 466
BUSSE L. 10, 412, 414

CABBALISTAE 398
CABANIS 49
Caecitas 108
Caeleste corpus 68, 447
Cadaver . . . 11, 27, 41, 437
- forma cadaverica 433, 434, 437-438
Caducitatis lex 143
Caenogenesis 460
CAESAR 402
CAIETANUS 69, 165, 230, 241, 258, 363
Calcium (Ca) 5
CALKINS 333
Calor 84, 321, 443
CALVINUS 286
Cambrium 463
CAMPANELLI 399
Candescentia 442
Capilli 437, 438, 475
Capitale 413
CAPREOLUS 165, 230, 251, 273
Carbonium 5
CARPENTER 131
CARRUTHERS 463
CARTHAUS 470
Cartesiani 28, 60, 61, 83, 90, 103, 117, 205, 266
CARTESIUS (DESCARTES) 1, 6, 37, 60, 83, 162, 170, 171, 204, 205, 207, 237, 267, 287, 313, 352, 363, 372, 418, 423, 437
CARUS 475
Cataclismus 449
Catalepsia 335, 343
CATHARI 399
CATTANEO 169
CAVELLUS 221
Cauda 192, 475, 476
Causae - subordinatae et coordinatae 85, 230
- reciprocae . . . 306, 307
Cellula . . . 68, 440, 445, 446
CELSUS 376
Celti 376
Censura moralis. . . 143, 334
Centrum - terrae 35
- sensationis . 132, 157, 158
Cerebrum 52, **102-107**, 122-123, 128, 131, 132, 155, 156, 185, 186, 353, 414, 470, 473
Character 302, 404
CHARCOT . . . 335, 336, 403
Chemicae actiones 6, 9, 11, 12, 14, 20, 27, 47, 50, 438
CHEVALIER JACQUES 314, 456, 463

China 471
Chromatopseudopsia . . . 96
CHRYSIPPUS 69
CICERO 376, 458
CLAESENS 197
CLAPAREDE 178, 185
CLASSEN F. 6
CLEANTHES 69
CLEMENS V. 435
CLEMENS ALEXANDRINUS 409, 429
Coactio 280, 283
Cogitativa 251
Cognitio 50, 56, 71, 85, 88, 94, 95, 140, **348**
- reflexa 100
- recognitio 120-121, 148, 154, 268, 405
- cognitio universalis 174-180, 273
COHN FR. 443, 460
Color 40, 81, **94-97**, 112, 114, 116, 122, 321, 338
- complementar. 95
- interferent. 96
- fundamentalis 108
Colonia cellularum 21
Combustio 5
Commixtio virium 424
Compositio chemica organismi 5, 434, 435
- animalis 65, 66, 71, 89, 382
- *essentialis* 68, 69, 70, 71, 72
- integralis 68, 69, 70, 72, 75
- in iudicio 139
Conatus 404
- muscularis . 117, 121, 122
Conceptio . . . 235, 439, 441
- *Immaculata C.* 440
Conceptualistae 252
Conceptus **235**, 240, 255-257, 258, 262, 263
Concilium Viennense . . . 435
Concupiscentia . . . **160-162**
CONDILLAC B. (DE) 124, 170, **171**
Conditio intrinseca . . . 61, 67
CONJETAN 463
CONFUTIUS. 375
Conimbricenses 69, 135, 136, 227, 252, 363
Conscientia 1, 2, 48, 50, 54, 65, 72, 92, 104, 128, 280, 320, **326-329**, 331, 334, 335, 337, 339, 340, 345, 351, 357, 358, 359, 383, 416, 421, 427
- limes c. 105
- concomitans 117, 126, 259, 268
- directa et reflexa . . . 196
- iutellectualis 267-269, 290-292
- *reincarnationis* 396-397, 401-402
Consensus 279
Conspiratio 9, 11, 377, 432, 464. Vide Finalitas
Consultatio 133, 136-137, 279, 290, 291, 303
Consuetudo 96, 275. Vide Assuetudo, Habitus
Contagio moralis 167
Contiguitas in associationibus 129
Contingens 202
Continuitatis lex 18
Contractiones (contracturae) 335, 338
Contractibilitas 14
Contrarietatis lex 129-131, 143
Contritio 401
Conversionis theoria . 388, 392
COOPER J. 402
Copernicanum systema . . 413
Cor **155-156**
CORNING 331
Corporeitas 15
- forma corporeitatis 433-436
Correlationis principium (coëfficentiae) 372, 453
Corruptio 65, 66, 364, 378, 379
COUSIN 371
CRATYLUS 169
Creatio 65, 197, 326, 387, **389-390** 429, 439, 440, 449
- animae humanae . 389-396
Creatianismus 389

Criterium sensationis . . . 40
Critica historiae . . . 189, 265
Crystallus 12
Cudworth R. 424
Cuénot 461
Culpa 288
Cumberlandismus 167
Cupiditas 187
Cuvier 27, 135, 449, 453, 456, 467
Cymbri 376
Cyon 475
Czacki Vlad. 437

Daltonismus 96
Damascius 398
Damnati 373-374
Dania 376
Darwin Carol. 135, 452, 453, 463, 464, 465, 466
Darwin Erasmus 452
Darwinismus . . 452, 463, 465
Dawson 471, 474
Definitio individui 257
Delage 332
Delanne 401
Delboeuf . . . 271, 292, 343
Delectatio 44, **157-160**, 161, 276
Deliberatio 133, 136-137, 290, 291, 293, 301
Delinquentes nati . . 295-296
De Mandato 269
De Maria 252, 439
Dembowski 462
Democritus . . 6, 49, 82, 83
Dentes 453, 460, 472
Desaggregatio psychologica 403
Descocqs 433
Descartes 174. Vide Cartesius.
Descendentia . . **450**, 448-478
Desiderium 142, 161, 162, 373, 385
Desperatio 161
Determinismus . . 285-286, 416
Dichotomia 428, 429
Diderot 449
Diluvium 449
Dinarchus 324
Diogenes 6
Directiva vis. 7, 14-15
Discernere 111-113, 115, 116, 122
Disciplina 188, 214
Discus Newtoni 95
Dispositio 11, 133, 311, 380, 396
Distantiae perceptio . . . 147
Distinctio inter potentias et essentiam 28-30, 428
- sensus compositi et sensus divisi 307-311
- virtualis animae sensitivae et vegetativae 45, 54
- virtualis animae intellectivae et sensitivae 432
Distractio 128, 340
Dolor 44, 65, 106, 110, **157-160**, 337, 338, 350, 385
Dominium 190, 285, 291, 307, 308
Donat J. 290, 457
Draper 477
Driesch H. 9, 15, 475
Dualismus 70, 411
Dubois E. 467, 470
Du Bois-Reymond E. 6, 14, 49, 51, 443
Dumas Georgius 49, 108, 132, 271, 336
Dunglas Home 402
Durandus 69, 82, 221, 224, 238, 242, 248, 252, 273, 437
Duratio viventis . . . 5, 477
Durville G. 401
Dybowski B.. 453
Dynamistae 437
Dyschromatopsia (daltonismus) 338

Ebbinghaus 127, 132, 159, 169, 274, 324, 327, 412
Echolalia (echomimia) . . 167

Educatio 288, 298, 377, 396, 404
Eductio 78, 83, 447
Ego 267, 272, 328-330, 333-335, 340
ELBERT 470
Electio 113, 132, 148, 279, 291, 305
Elementa 433-434
Emanatio 387
Emanatismus 387
Embryum 9, 439, 454, 560, 475-476
EMMANUEL rex Lusit. . . 191
Emotio . . 160, 336, 340, 341
EMPEDOCLES . . 6, 43, 324, 448
EMPIRISTAE . . 102, 169, 170
Energia - lex conservationis e. **10**, 11, 20, **52**, **53**, 415
- lex e. specificae sensuum 107-108
Energeticum . . 11, 14, 15, 20
Entelechia 15
Enzyma 12. Vide Fermentum.
Epilepsia 336, 337
Epileptici 295
EPICURUS 49, 82
Epiphaenomenon . . 48, 271
Error 193, 199, 216, 300, 369, 374, 375, 405, 416, 435, 446
EUDEMUS 220
EUPHORBUS 398
Europa 399, 471
EURY 463
EUSEBIUS S. 363
Evolutio organismor. 5, 9, 12, 33, 208, 389, 429, 440, 448-478
Evolutionismus . . 389, 448-478
Evolutionistae 134, 135, 137, 171, 184, 468
Executivi actus . . . 32, 279
Expressa species - in intellectu 235-249, 97-101
- in sensu . . . 78-80, 97-101
Experientia 3, 102, 133, 136, 170, 173, 176, 188, 199, 210, 214, 282, 283, 349, 385, 400, 427, 443, 446, 451, 459, 461
Extensio sensationis 65, 66, 70, 72, 73, 76, 77, 98, 360, 361, 418, 426
FABRE J. H. 138, 185, 188, 197, 453
Facultates **28-30**, 83, 350, 354, 438, 441, 458. Vide Princ. prox.
Falsificationes naturae . . 460
Fames 56, 136, 464
FARGES A. . . . 69, 103, 353
Fatigatio 338-340
Fatum 286
FECHNER THEOD. 43, 411, 413, 415, 443
Fechneriana lex 110
Fecundatio 12, 33, 67, 68, 235, 439, 467
Felicitas - vide Beatitudo
FÉNELON 372
FÉRÉE 342
Fermentum 13. Vide Enzyma
FERRARI 169
FERRARIENSIS . . 69, 165, 236
FERRARIS de HYAC. . . . 247
FEUERBACH L. 49
FICHTE 287
Fides 171, 211, 216
FIELD 38
FIELDING HALL 401
Fieri 66, 76-77, 79, 242, 271, 323, 392, 393
Finalitas 2, 9, 11, 18, 20, 21, 29, 39, 40, 44, 55, 56, 65, 68, 159, 166, 194, 225, 265, 282, 371, 372, 375, 447, 452. Vide Conspiratio.
Finis 29, 32, 34, 111, 134, 153, 190, 192, 201, 248, 278, 379, 386
Finitum . . . 199, 202, 262
Foedum 457
FLOURENS 453
Florida 462
FONSECA 252
Forma . 32, 430, 431, 433, 464
- substantialis 13, 15, 19, 21, 22, 57, 75, 76, 183, 223, 355, 447
- intentionalis . . . 166, 223
- cadaverica 433-434, **437-438**

Forma anima est f. substantialis 19-21, 378, 383, 394, 399, 419, **422-427**, 430
Fortuitum 40, 292, 413, 452, **464**
Fossilia . . 449, 463, 468, 472
FOUCAULT 130
FOUILLÉE A. . . 158, 169, 292
FRANCISCUS de MAYRONIS . 437
FRANK 457
Fraus 377
FREUD 332, 333
Frigus 443
FREY (von) 157
FRIEDENTHAL H. . . 466, 473
FRÖBES 82, 99, 102, 117, 121, 135, 149, 304, 317
FROHSCHAMMER 389
Fruitio 278-279
Fuga 161
Fundamentalis sensus 123-126, 266
Futurum 151, 161

GAETANI F. M. 94
GALENUS ALEX.. 324
GALL 353
GALTON 127, 178
GARBOWSKI T. 475
GARNIER 204
GASSENDI P. 429
Gaudium 39, 153, 161, 162, 368, 404
GAUDRY A. 454, 463
GEHUCHTEN 158
GELEY 333
GEMELLI A. 476
Generatianismus. . 388, 391, 393
Generatio 12, 28, **30**, 32, 44, 53, 55, 65, 390-396, 439, 442, 444, 455, 456, 458
- univoca et aequivoca 5, 447-448
- spontanea . . . 442-448
GENY P. 94
Geographia biologica . . . 461
Geologia . . 463, 468, 469
Germen 446
Germani 376
GEYSER 136
GIOBERTI 195, 196
GIORDANO BRUNO 399
Gloria Dei 373-374, 386
Gnostici 387, 398, 429
GOCLENIUS R. 1
GOETHE. 449, 453
GOMEZ de PEREIRA . . . 37
GORGIAS 318
GOSSELET 463
Graeci . . . 1, 220, 286, 376
Graecia 398
GRAND 463
GRATRY A. 197
GREDT J. 80, 290, 310
GREGORIUS MAGNUS S. . . 388
Grimaldiana stirps 471
GRÜNDER H. 98, 99
GUÉNON R. 408
GUENTHER 462
GÜNTHER ANT. 429
GULIELMUS DE ALVERNIA . 221
GUTBERLET . . . 69, 221, 304
Gustus 40, 71, 104, 111, 113, 160

HAAN 69
HABERLANDT 43, 45
Habitus 80, 91, 132, 134, 143, 207, 299, **311-317**
HAECKEL 43, 364, 444, 445, 446, 453, 460, 465, 466, 467, 475, 476, 477
HAHN O. 443
HALDEMANN 451
HALLER A. 14
Hallucinatio 106, 332, 337, 339, 341, 342, 343, 406, 407
HAMILTON. . 132, 159, 313, 321
Harmonia praestabilita 205, 416
HARTMANN v. ED. . 15, 43, 277
HARVEY 444
HEGEL 197

Heidelbergensis homo . . 469, 471
Helmont J. (van) 54
Helmholtz 10, 108
Helvetia 462
Henricus Gandavensis 60, 165, 221, 304, 363, 433, 437
Heraclitus . . . 6, 169, 453
Herbart 131, 158, 170, 274, 286, 363
Hereditas 138, 407, 451, 452, 456, 461
Hermes 389
Herodotus 397
Hervaeus (Herveus) . . 273
Hertwig O. 444, 460
Hertwig R. 444, 470
Hesiodus 376
Heterogenesis 444
Hieronimus S. . 374, 389, 398
Hilarius S. 389
Hippon 6
His 475
Hobbes Thom. 6, 49, 321, 453
Hodgson 321
Hoenen P. 145
Höffding 127, 132, 159, 287, 411, 413
Holbach P. H. D. 49
Hollandia 469
Home Dunglas 402
Homerus 376
Homo 249, 441, 442
- differt a bruto 184-186, 189
- non procedit a belua 465-478
- est unius speciei . . . 467
- est unius familiae 467, 476-477
- Heidelbergensis . 469, 471
- Neandertalensis 469, 470, 471
Homoeogenesis . . . 444, 445
Honor 368
Hormones 141
Hugo Senensis 69
Hugon Fr. Ed. 80, 140, 165, 258, 455
Hugonin F. 197
Humboldt Alex. . . 14, 467
Hume 127, 162, 320, 321, 327, 399
Huxley Th. . . 444, 446, 453, 465, 466, 467
Hylozoismus 18
Hyperaesthesia . 338, 342, 343
Hypnopsychistae 363
Hypnosis 292-293, 334, **340-344**, 401
Hystheria . . . 167, **335-340**

Ideae 195
- earum origo . 194-235, 381
- innatae 170, **203-210**, 220, 222
- in actu I et II . . . 195
Ideale 273, 404, 412
Idealismus 82, 97, 105, 204, 206, 320, 321, 417. Vide *Subiectiv.*
Idealistae 80, 90, 98
Ideologia 194
Ideologica Schola 171
Identitas 111, 115, 351, 392, 399, 413, 434, 461
Identitatis theoria . . 80, 197
Idiotae (imbecilles) . 143, 340
Ignis 6, 403, 467
Illuminatio intellectus agentis 228-231
Illusio . 103, 327, 341, 376, 407
Imago 100, 106, 107, 128, 136, 138, 148, 183, 192, 238, 241. Vide Species, Phantasma.
- communis (collectiva) 170, 174, 251
Immaculata Conceptio . . . 440
Immanens. Vide Actio
Immateriale 17, 20, 31, 33, 72, 89, 117, 175, 176, 184, 187, 206, 209, 218, 263, 272, 347, 350, 351, 352, 424, 425
Immaterialitas . . 33, 33, 354
- sensuum 87-88
Imitatio 137
Immigratio viventium . . 449
Immortale 212, 362, **364-365**, 382, 428, 441

Immortalitas animae humanae 362-386, 407.
Impedimentum . 55-57, 431-432
Imperati actus . . . 279, 283
Imperium voluntatis 279, 292, 293, 304
Inaequalitas animarum 400, 401, 407, **425-426**
Incessus 473
Inconscium 20, 21
Indi 376
India 398
Indifferentia - sensuum 84, 166
- voluntatis . . . 284, 297
Individualisatio instinctuum 143
Individuationis principium 172, 399, 404
Inductio 39, 44, 138, **173-174**, 197
Industriae animalium . . . 188
Iners (inertia) 19, 313, 314, 459
Infusoria 444, 446
Insertio 21
Instinctus **133-143**, 275, 405, 464
Instrumentum 13, 33, 68, 78, 79, 114, 193, **229-230**, 380-381, 444
Intellectualismus 174, 273-274
Intellectus - differt a sensibus 134, 139, **168-178**
- eius obiectum . . 180-184
- deest brutis . . . 184-194
- constituit primariam a beluis differentiam . . 184-186, 189
- est potentia passiva 219-234
- format speciem expressam (verbum) 235-249 (97-101)
- prius cognoscit universale quam singulare 249-259
- prius magis universale quam minus universale 260-262
- competit ei memoria 264-266
- eius conscientia . 266-269
- intell. agens et patiens **219-234**, 362, 429
- intell. pract. et theor. . 269
Intelligibile 229, 231, 239, 332
Intelligentia 184, 278
Intentio 40, 134, 278
Intentionalis forma 23, 31, 32, 37, 72, 79, 129, 166, 223
Interpretationistae . . . 94, 97
Intimus sensus . . . 117-123
Intosusceptio 5, 12
Intrinsece pendere . . 65, 66, 75
Introspectio . 36, 120, 261, 290
Intuitio . . 196, 197, 220, 323
IOANNES a S. THOMA 136, 165, 230, 261, 304, 310
Ira . . 39, 44, 62, 153, 156, 161
Irascibilis 160-162
Irrationale 20, 52
Irritabilitas 14, 450
ISIDORUS HISPALENSIS . . 388
Islandia 376
Iudicium pracicum . . 303-306
Iustitia in theoria Reincarnat. 400-401

JACOBI 287
JAKUBISIAK A. 456
JAMES WILLIAM 107, 169, 271, 318, 324, 326, 342, 366, 405
JANET PETRUS 49, 293, 336, 342, 406
JANET PAULUS . . . 138, 464
JANSENIUS 286
JENNINGS 38
JODL . . . 127, 131, 324, 364
JOLY H. 136, 477
JOTEJKO 157, 158
JOULE 10
Joudaei 398
JUSTINUS S. 363, 409
JUSSIEU L. (de) 456
JUSTUS LIPSIUS 191

KANT E. 160, 287, 290, 321, 322, 324, 363
Karma 401
KELVIN lord (V. THOMPSON) 443
KERNER 443

Keyserling 452
Kinnamann 186
Klaatsch H. 466
Klee 389
Knabenbauer 375
Kocher 475
Kollmann 469
Kotarbinski 49
Kramsztyk Z. 444
Krause. 469
Krauss 331
Krüger J. T. 466
Külpe 174, 178

Laas C. 169
Labbé A. 463
Ladd G. F. 331
Laforet 197
Lahousse 103, 117, 165, 221, 252
Lamarck Joh. Bapt. (de) 134, 450, 451, 453
La Mennais (de) 211
La Mettrie (de) 49
Lancelin Ch. 401
Landois (de) 158
Lang A. 376
Lasbax É. 277
Lasswitz Kurd 418
Lateranense Concilium V. . 435
La Vaissiere (de). . . . 340
Leclerc Joh. 424
Lecomte 462
Le Dantec 475
Lehmann A. 327
Leibniz 43, 60, 83, 132, 160, 205, 208, 268, 289, 292, 300, 301, 302, 363, 388, 393, 416
Leo Magnus 389
Leo X. 435
Lessing 399
Lessius 221
Leucippus 6, 49, 82
Leuckart 444, 446
Lewes G. 27, 169
Lex biogenetica . 453, 454, 460, 475-476
- correlationis . 372, 453, 464
- moralis 187, 291, 367, 369, 414, 415
Liberatore . . 241, 252, 439
Libertas - notio l. 284; divisiones l. 284-285; adversarii l. 285-286, 293, 300-301, 416-417, fantores l. 287, 296; argumenta pro l. 288-293, 301-303; libertas in Determinismo 293, 301; libertas et statistica moralis 293-294; lib. in statibus psychologicis abnormibus 295-296; 332-334; lib. et iudicium practicum 303-306; lib. et praemotio physica praedeterminans 307-311
Liebig Justus 14
Liégeois 343
Limes sensationis . . 108, 110
Lindworsky 136
Lingua in Marte 402. Vide Loquela.
Linneus 449, 456
Lipps Th. 293
Lithuani 376
Littré E. 169
Livingstone 376
Localistio 102, 338
Locke 83, 90, 170, 171, 196, 237, 321, 351, 352, 363, 418, 423
Locomotiva facultas . 163-167
Locus sensationis externae 102-110
Locutio animae separatae . 380
Loëb J. 37
Lombroso 295
Loquela . . 186, 187, 197, 215
- origo l. . **216-217** 236, 239
Lossada 69, 117
Lotze H. 14, 127, 132, 271, 290, 363
Lubbock 185
Luciferiani 388
Lucretius Carus 49

Lucta pro vita . 452, 453, 464
LUGO 317
Ludi in animabus 190
Lumen (lux) 108, 349. Vide Illuminatio.
Lusus naturae 448
LUTHER 286
LUTOSLAWSKI W. 399, 401, 402, 409
LYELL C. 449

MACEWEN 475
Machina 12, 41
MACMANARA 469
Magneticum corpus . 35, 298
Mahumetani 286
MAILLET BENOIT (de) . . 449
MAINE DE BIRAN 135, 290, 313
MALEBRANCHE 37, 83, 196, 313, 372
MALTHUS 453
Malum 44, 153, 157, **276-277**, 288, 300, 301, 304, 367, 385
MANES 286
Manichaei 43, 286, 288, 387, 399, 428
MARET C. 197
MARIA STUART 402
MARIE ANTOINETTE . . . 402
MARTIN TH. H. 366
MARTIN R. 469, 470
MASLOWSKI 453
MASTRIUS 212
Materia 56, 425, 445, 446, 447, 448
Materiale 64, 66, 72, 86, **87-88**, 155, 352, 369, 412, 421, 425
Materialismus 48, 51, 60, 67, 82, 83, 168, 271, 286, 327, 347, 362, 364, 411-413
Mathematicum-corpus . . . 15
- functio m. 62
- m. abstractio et m. idea 173
- m. punctum . . . 357, 360
Matheiss 173, 404
MATHEW PATRICIUS 451
MATTEI G. E. 466
MAURUS SYLVESTER 34, 69, 221, 227
MAURY A. 331
MAYR A. 317
MAX-PERTHY 462
Mechanicistae . . 6, 13, 24, 134, 313
Mechanicus 12, 447
MECKEL J. F. 454
Mediator plasticus . . 424-425
Medium «quo», «in quo», «quod (ex quo, per quod) » 79, 90 97-101, 199, 200, 237, 238, 240, 248, 249, 259
- bonum tamquam medium 278, 279
MELCHIOR CANUS 236
Megalomania 402
Memoria-sensitiva 127, **144-151**, 171, 188, 264, 266, 312
- intellectiva 145, **264-266**
- m. praeexistentiae 402-407
Mendelianae leges 463
MENDIVE 69, 82, 117, 221, 251, 304
Mensura . . 41, 109, 145, 458
MERCIER 104, 118, 119, 136, 149, 165, 247, 290, 439
Metabolismus organicus 141, 142
Metamorphosis 441
Metaphysica abstractio et idea 173
Metempsychosis 184, 396-409
Methodus « materialistica » . 412
Mexicus 399
MEYER ROBERTUS 10
MEYERS 366
Microcephali 475
Microscopium 13
MILL J. ST. 169, 173, 291, 320, 322
Miraculum 41, 448
MIRANDULANUS 429
Mimosa pudica . . 43, 45, 46
MIVART ST. G. 465
Mixtura 422

Moderni 132, 158, 264, 271, 274, 290, 363, 409
MOEHLER 197
MOLESCHOTT JAC. . . . 49, 444
MOLINA 241
MONACO N. 252
Monera 444, 446
Monismus 18, 49, 80, 82, 411, 415
Monophyleticus evolutionismus 456, 457
Monstra 460
MONTAIGNE 160
Montis pessulana Schola . . 429
MOORE 260
MOORE HENRICUS 399
Moralis conscientia 267
- lex 367, 369
Morbi 383, 393
MORGAN 190
Morphologia . 450, 455, 472-473
Mors 27, 54, **364**, 380, 383, 385, 400, 402, 437, 438
Mortale 27, 427, 441
Motio 381
MORTILLET 477
Motivum praevalens . . . 301
Motrix vis 142, **163-167**, 315, 360
Motricitatis imaginum lex 167, 293, 383
Motus 6, **24**, 26, 95, 106, 114, 142, 145, 245, 246, 328, 345, 353, 354, 392, 415, 416, 459
- *Principium m.* 13, 22, 34
- naturalis 163-164
- animalis 164
- primo-primus 292
MÜHLER IOH. 14, 107, 108, 331, 454
MÜNSTERBERG . . . 274, 410
Muscularis sensus 118
- motus et sensatio . . 105
Musaeus 398
Mutatio. Vide Motus . . 24, 390
MÜWART 462
Mysteria . . . 309, 311, 417
Mystica doctrina 398

NÄGELI 444
NAPOLEON 414
Nativistae 102
Natura . 16, 23, 34, 56, 72, 116
Naturale corpus 4, 23
- motus 37, 163-164
NAUDIN 451
Necessitas principiorum 173, **176-177**, 196, 199, 202, 215
- in voluntate 280, 281, 282, 291, 292, 299
- universalium 348
- cosmica 458
Neo-Criticistae 320
Neo-Lamarckismus 135
Neo-Manichaei 399
Neo-Platonici 387
Neo-Spiritualistae 400
Neo-Vitalismus 14, 20
Nervi 102, 103, 107, 114, 156, 157, 158, 348, 350, 384
NEWTON 95
NICOLAUS AB ULTRICARIA . 318
Nihilum 385, 389, 390
Nisus « formativus » 14, 448, 449
- nisus in motu . . 34, 42
Nocivum 41, 135, 139, 161, 464
Noël 290
Nomen 213, 214
- commune . **177-178**, 257
Nominalistae 28, 169, 227, 252, 277, 318, 363
Non-usus . . . 450, 453, 475
Norvegia 376
Nostalgia 313
Novitas in perceptione . . 406
Nucleus 444, 445, 446
NUSSBAUM 49, 444, 466
Nutritio 9, 12, 17, 25, 30, 32, 35, 44, 53, 455
NUTTAL 473

Obiectum materiale et formale 29, 180
- formale psychologiae . 2-3

Obiectum f. triplicis vitae . 31
- f. cognitionis 50
- f. sensationis . . 63, 192
- f. appetitus . . . 165-166
- f. intellectus . . 180-184
- f. voluntatis . . 275-283
Occam (Ockam) G. 82, 169, 221, 227, 363, 429
Occasionalismus . . 8, 83, 415
Occisio 395
Occultismus 397, 401
Ochorowicz J. 169
Oculus 95, 96, 102, 104, 111, 112, 119, 334, 349
Odium 161, 162
Odor 116, 136
Oeconomiae lex . . . 18, 190
Oesterreich 376
Oischinger 389
Oken L. 449
Olfactus . . . 40, 104, 139, 192
Olivi P. I. 436
Ontogenesis 454
Ontologismus . . . 7, **194-202**, 204, 211
Ontologistae 220, 222
Ordo 461. Vide Finalitas.
- differentia ordinis . . 62
Organicistae 7
Organisatio 7, 8, 9
Organicum-corpus . . . 4, 15
- facultas 59, 75, 76, 154-155, 438
- synthesis . . . 5, 11, 440
Organismus 4, 6, 12, 55, 68, 324, 440, 442, 448, 449, 452, 467
Organum 4, 18, 39, 43, 45, 67, 78, 98, 176, 353, 416, 444, 455, 461, 464
- sensus externi 102-107, 108
- sensus communis . . . 123
Origines 375, 399
Origenistae 393
Origo vitae 5, 65, 442, 443, 448
Orphaeus 398
Orphici 397, 398
Ostwald 324
Oviedo 221, 227, 317
Ovum 33, 444
Owen 451

Paedagogica ars 183
Palaeontologia . 442, 468, 476
Palingenesis 396-409
Palmieri P. 61, 65, 69, 117, 144, 221, 252, 304, 436
Panpsychismus . . 18, 411, 415
Panspermia 443
Pantheismus 8, 197, 225, 345, 362, 364, 387, 398, 417
Papus 402
Parallelismus psychophysicus 48, 49, 133, **409-417**
Paralysis 167, 335, 339, 343
Paramnesia 405-407
Parasitus 21, 41, 444, 457, 458
Parthenogenesis 12
Passio 227, 228, 243, 245, 296, 354
- in sensatione 78, 79, 82, 83, **160-162**, 193
Pasteur 444, 446
Patres SS. . . 363, 389, 417
Paulsen . . . 43, 287, 354
Perceptio 55, 71, 121, 147, 333
Perceptionistae 94, 95, 96, 97, 98
Perdrices Canadenses . . . 134
Perfectum 378, 394
Perrault Claude . . . 6
Persae 375
Persona 267, 339, 355, 380, 396-397, 419. Vide Ego.
Pesch Tilman 69, 104, 287, 304, 433, 434, 455
Pessimismus 277
Pfaff 462
Phaenomenismus 320-329, 345, 362
Phaenomenologi 127
Phaenomenon 320, 324-328, 387
Phantasia (imaginatio) 99, 106, **126-127**, 179, 265, 269

Phantasia eius relatio ad sensationem 127-129
- eius relatio ad intellectionem 218-226, 228-234, 259
Philo 376, 398
Philoponus. 363
Phobia 404
Phoenices 375
Photographia typica . 178, 179
Photoreceptio. 38
Phylogenesis 454
Physica. 173, 192
- abstractio et idea . 173-174
Physiologi 26, 102, 106, 107, 132 333
Physiologia . . . 26, 78, 439
Physiologicum tempus . . 105
Physis 429
Piat Cl. 301
Piltz 158
Pindarus 398
Pithiatismus 336
Pithecanthropus . . . 469-470
Pius IX 436, 437
Planeta 397, 400, 443
Planta 27, 36, 43, 68
- eius functiones 30, 31, 32
- vivit 25
- non sentit 43-47
Plasmogonia 444
Plasticus mediator . . 424-425
Plateau 188
Plato 24, 31, 43, 53, 60, 132, 159, 204, 207, 208, 273, 296, 363, 370, 376, 393, 398, 417, 423, 428
Platonici 60, 117, 393. Vide *Neo-platonici.*
Platonismus 399
Plazza B. 441
Plotinus 60, 220
Plutarchus 363, 376, 397, 448
Poena 288, 289, 368, 369, 374, 379, 397
Polonia Minor 469
Polydynamismus 54
Polyphyleticus evolutionismus 456, 457
Pomponatius. 363
Porphyrius 319
Porta Simon 363
Positivismus 168, 169, 320, 321 348, 362
Potentiae **28-30**, 53, 223, 227, **244**, 246, 380.
- acquirunt habitus 311-317 Vide Facultates.
Pouchet 135
Practicum iudicium. . 303-307
Praeexistentia animarum 204, 394
Praemium 368, 369, 374, 379, 381
Praemotio physica praedeterminans 307-311
Praesentialitas (psychologice) 406
Praeteritum 117, **144-151**, 226, 334
Praevisio 294
Preuss W. H. 443
Preyer W. 442
Priestley. 49
Principium vitale 4-22
Principium conservationis energiae **10**, 11, 20, **52-53**, 415
- indiscernibilium . . . 300
- individuationis . . . 254
- correlationis . . 372, 453
- methodicum 410
- motus . . 22, 23, 34, 296
- prima 229
- proxima operationum 54, 58, 223, 266
- « quo » et « quod « 66, 72, 432
- rationis et causalitatis 8, 38, 91, 93, 176, 177, 225, 326, 445, 448
Processus irreversibiles . . 400
Progressus 20, 186, 187, 188, 189, 193, 215, 265-266, 397, 460
Prolongationis instinctuum lex 143
Prophetia propria somnii . 331
Protagoras 318
Protectio 289

Protestantes theologi . . . 363
Protozoa 34, 457
Providentia Dei . . . 39, 375
Psychasthenici . 167, 340, 407
Psycho-electricum principium 429
Psychologia - 1-3
- experimentalis (descriptiva) et metaphysica 3, 344-345
- reactionis 36
Psychologismus 195
Psychophysica 109
Psychophysicus parallelismus 409-417
Psythacismus 167
Ptolomaeus card. 317
Ptolomeidicum systema . . 413
Pugna - in homine . 429, 431
- pro vita . 452, 453, 464
Pulchrum 56, 261, 457, 461, 475
Purgatorium 396
Pyrozoa 442-443
Pyrrhon 318
Pythagorei . . . 184, 397, 400
Pytagoras . . 398, 401, 403

Qualitas 10, 95, 98, 100, 114, 135, 170, 172-173, 198, 238, 241-243, 261, 316, 317, 392, 433
- qu. vialis (fluens). . . 229
Quantitas 10, 68, 69-71, 76, 77
Quatrefages (de) 453, 456, 467
Quidditas 178, 182, 195, 207, 222, 263, 319, 321

Rabanus Mauras . . . 1, 388
Rabier . . 91, 135, 179, 290
Radii ultraviolacei 443
Ranke 469, 472, 473
Ratio - insensata 133
- principia r. . . . 176, 177
- seminalis 448
- sufficiens 40, 159, 301, 302, 414, 464
- ens r. 150, 176, 241
Ratiocinium 148, 171, 173, 239, 267, 329
Rationalismus 210
Ravaisson 313
Raynaud Laura 401
Reactionis psychologia 36, 40, 41
Réaumur 446
Reflexio - 32, 117, 150, 170, 171, 350, 351, 359
- ontologica 268
- virtualis 119, 122
Reflexus motus 37, 38, 41, 44, 46, 164, 167, 335, 336, 339
Regeneratio 9
Reincarnatio 396-409
Reid Thomas . . . 83, 132
Reinke Ioh. . . . 9, 15, 446
Relatio 389, 413
- transcendentalis 29, 244, 259, 399
- praedicamentalis . . . 130
- relationum cognitio 190, 193
Relativismus 169
Remer 103, 252
Reminiscentia . 148, 329, 406
Remorsus 187, 368
Renaissance 449
Renan 169
Renouvier . . . 320, 322, 399
Repraesentationes - vide Species
Responsabilitas 288
Restauratio finalis 399
Revelatio . . . 211, 212, 363
Reverdin 475
Rey 366
Ribot 131, 169, 271, 324, 327, 406
Richardus a Media Villa 437
Richerand 27
Richter H. 443
Rietschl 475
Rindfleisch G. E. . . . 14
Rivail H. (Allan Kardec) 399, 408
Robert W. 332
Robinet 449

ROCHAT (de) 401, 403
ROMANES 184
Romani 376
Romantici poetae 399
ROMANUS AEGIDIUS . . . 83
ROSCELINUS 169
ROSMINI A. 60, 123, 205-206, 208, 388, 425
ROSTAFIŃSKI 453
ROTHEHFLUE 197
ROUSSELOT 273
ROUX 444
RUBCZYNSKI W.[a] 438
RUBNER 52
Rudimentaria organa 461, 464, 474-475

Sacrificium vitae 193
Sadducaei 347, 363
Sagitta 34
SAINT-HILAIRE ISIDORUS GEOFFROY 451, 456
SAINTE-HILAIRE STEPH. GEOFFROY 451, 453
Sanctio 289, 366, 367, 368, 374, 386, 401
SANCTIS (de) 333
Sanguis . . . 6, 13, 62, 473
Scepticismus 98, 105
SHAAFHAUSEN . . . 452, 478
SCHADOW 475
SCHELER 274
SCHELLING 287
SCHIFFINI 252, 304
SCHILLER 366
SCHMIDT W. 376, 471
SCHMITZ-DUMOND 443
SCHNEIDER G. H. 136
SCHNEIDER K. G. 14
SCHNEIDER W. 375
Scholastici 2, 16, 24, 28, 31, 38, 59, 61, 67, 69, 83, 92, 93, 99, 103, 108, 117, 119, 127, 132, 133, 149, 152, 158, 160, 172, 173, 178, 179, 185, 195, 200, 211, 218, 219, 220, 235, 236, 237, 238, 242, 244, 249, 250, 256, 264, 271, 275, 276, 277, 287, 290, 304, 314, 321, 330, 357, 363, 380, 389, 415, 419, 420, 430, 433, 439, 447, 455, 457
SCHOPENHAUER ARTH. 14, 43, 49, 160, 274, 277, 411
SCHULTZE 473
SCHUSTER J. 470
SCHWALBE G. 466
SCHWIELE 261
Scotica schola 83
Scotistae . . 69, 86, 227, 230
SCOTUS 69, 98, 174, 185, 220, 227, 238, 241, 244, 248, 304, 357, 363, 433, 437
Scriptura automatica . 339, 342
Scriptura S. 211, 369, 380, 408, 411, 449
Sedes animae 438
Selectio - artificialis 452, 459, 463
- naturalis 452, 453, 463, 464
Semen 400
- virtus seminalis 33, 448, 454
SEMERY 317
SENECA 376
Sensatio - adest in bruto 36-42
- adest in planta . . 43-47
- adest in homine . . 39, 62
- superat materiam 47-52, 78, 82, 84, 87, 88
- est operatio compositi 59-64, 381
- determinatur ab obiecto extenso 64, 77-84
- fit mediante specie intentionali 78, 79, 81, 82, 84
- consistit in operatione immanenti 78, 79, 81, 83, 85
- attingit immediate obiectum externum 90-93
- exercetur non in solo cerebro 102-107
Sensibile - per se et per accidens 81, 82
- proprium 81-82, 93-98, 99

Sensibile commune 81-82, 93-94, 99, 112, 114, 145, 146
- « sensibile in actu est sensus in actu » 81, 229, 230
Sensualismus **168-174**, 191, 196
Sensualistae . **168-174**, 220, 271
Sensus externus. Vide Sensatio
- agens 86-87
- internus . . . 71, **110-149**
- communis **111-126**, 133, 141,
- communis sensu Logicorum 48, 288, 318, **373-374**, 407, 421
- immaterialitas sensus 87-88
- Divinus 197
- intimus 117-124
- muscularis . 118, 121, 274
- « primitivus » seu « essentialis » 123-124, 266
- « compositus » et « divisus » 307-311
Sergi 469
Serres 454
Sertillanges 304
Siciliani 169
Siebold 444, 446
Signum ad arbitrium . 213-214
Simile «Simile simili cognoscitur» 23, 42, 81
Similitudo inter parentes et infantes 396, 439
- intentionalis, 78, 79, 95, 254
- in associationibus 129-130, 144, 235
- embryorum . . 460, 475-476
Simon Jules 366, 372
Simplicitas 68, 201, **356-357**, 392
- animae sensitivae 69-71, 72, 75
- animae humanae 356-361, 391
Simplicius . . . 60, 363, 417
Sinenses 375
Singularia quomodo ab intellectu cognoscuntur **249-263**, 266, 268-269
Sladeček 259
Slavi 376
Smith A. 453
Snell C. 466
Śniadecki J.. 169
Socrates 179
Socialis actio. 197
- ratio 211
- ens 217
Somnambulismus 167. Vide Hypnosis
Somnium 127, 331-334, 376-377 405
Somnus **46**, 126, 135, 138, 288, **329-334**, 340, 341, 400
Sonus . 81, 114, 116, 372, 414
Sophistae 318
Soto Dom. 236, 304
Spallanzani 444, 446
Spatium 129
Species entium 16, 29, 196, 255, 451, 454, **455**, 456, 457, 460
- « specie differre » . . 58
- « virtus speciei » . . . 68
- intentionalis 77, 81, 82, 84, 86, 89, 114, 132, 263
- impressa 78, 79, 85, 86, 89, 131, 218-234, 381
- expressa 78, 80, 99, 101, 234 235-239, 247
- in sensibus 78-81, 97-101
- in intellectu 235, 236, 239-240, 237, 241-243, 247-249
Spencer H. 27, 127, 131, 135, 169, 274, 320, 321, 451, 453
Specificatio potentiarum ab actibus 81
- actuum ab obiectis 81, 86, 122, 306
- libertatis et necessitatis 282-285
Spermata cosmozoa . . . 443
Spes . . . 161, 162, 374, 401
Spiritismus 366, 401
Spiritistae 348, 399
Spirituale 21, 64, 89, 117, 171, 183, 346, 365, 367, 378, 391-393, 421, 466
Spiritualismus 320
Spiritualitas animae humanae 346-355

Spiritus 17, 346, 355, 423, 429
- animales 37
- astrorum 447
Spongiae 47
Spontaneus motus 37, 41, 43, 45, 46, 53, 280
STAHL G. E. 14, 26
Staticus sensus 40
Statistica moralis . . 293-294
STEFANOWSKA . . . 157, 158
STERN 473
Stimuli adaequati et inadaequati 99, 107, 108
Stirps 425, 456
Stoici 191, 348, 387
STOLYHWO 466
STRATZ 466
STRAUS FR. 49
SUAREZ 26, 60, 69, 78, 99, 117, 144, 146, 149, 152, 161, 165, 166, 174, 220, 221, 222, 223, 224, 227, 236, 238, 241, 244, 247, 248, 250, 252, 253, 265, 269, 273, 274, 276, 290, 304, 349, 378, 379, 380, 455
Subiectivismus 90, 97, 98, 199, 212, 237, 320, 321. Vide Idelismus
Subiectum inhaesionis et informationis 22, 73, 76-77
Subsistens 21, 64, 65, 73, 74, 201, 347, 353, 355, 431
Substantia eius notio . 319-320
- eius realitas 324-326, 360, 415
- completa et incompleta 19, 22, 65, 72, 74, 347, 353, 355, 358, 417, 420-427, 433
- anima est substantia **16-17, 318-329, 344-346, 417-427**
Suggestio 336, 341, 343, 403, 439
SULLY PRUDHOMME . . . 290
Supernaturale 13, 373, 379, 467
SWAMMERDAMM . . . 444, 446
SYDNEY 157
Sympathia 162, 190
Synthesis 5, 10
SZULC D. 169
SZYLLO W. 453
Tactus (contactus) 23, 40, 65, 71, 91, 92, 104, 106, 111, 118, 141, 157, 158, 186, 351
TAINE 127, 169, 320, 321, 327
Talmudistae 398
Teleologia 14. Vide Finalitas, Conspiratio
Tempus 129, 145, 149, 266, 369, 459, 464, 477
- physiologicum 105
Tendentiae 349, 458
Terminus cognitionis 78-81, 90-101, 248
TERTULLIANUS . . . 348, 388
THEMISTIUS 220, 418
THEOPHRASTES . . . 363, 397
Theosophia . 197, 387, 397, 401
THOMAS MAURITIUS . . . 456
THOMAS S. 13, 25, 26, 28, 32, 33, 34, 54, 61, 67, 69, 81, 87, 103, 119, 136, 138, 142, 145, 147, 149, 158, 159, 161, 165, 172, 174, 181, 183, 186, 187, 188, 191, 195, 201, 209, 212, 215, 220, 222, 224, 227, 228, 229, 230, 236, 238, 241, 247, 250, 252, 253, 256, 257, 258, 259, 260, 262, 264, 266, 269, 271, 273, 276, 277, 279, 280, 281, 285, 287, 290, 291, 304, 305, 312, 324, 345, 346, 349, 355, 358, 360, 364, 369, 370, 372, 378, 379, 380, 388, 393, 394, 400, 421, 422, 426, 430, 431, 433, 438, 439, 441, 442, 447, 455, 458
Thomistae 69, 86, 165, 221, 227, 230, 236, 241, 242, 247, 252, 254, 304
THOMPSON V. (lord Kelvin) 443
THOMPSON W. R. 461
THORNDIKE 188, 190
THUNBERG 157, 158
Timor 44, 139, 153, 156, **161**, 162, 373, 383
TITCHENER 169, 324
TOLAND 49
TOLETUS . . 69, 78, 165, 227

Tongiorgi 7, 65, 69, 82, 117, 123, 124, 125, 165, 221, 252, 304, 418, 423
Tornier 466
Torres 241
Totum 13, **69**, 70, 71, 113, 208
- « totum in toto et totum in qualibet parte » . . . 348
Traditionalismus 196, 197, **210-218**
Traducianismus . 388, 391, 393
Trasformatio « materialis », « idealis », « passiva » . . . 454
Trasformismus 137, 393, **448-478**
Transmigratio . . . 396-409
Treviranus G. R. 14
Trichotomia 428, 429
Trilobita 462
Tristitia . . 39, 62, 161, 162
Trivium 192
Tropismi 41
Tylor 376
Typus viventis 8, 135
- archetypus . . . 196, 204
- typica photographia 178-179

Ubaghs 197, 212
Ubi 459
Una anima in bruto . . 53-59
- in homine . . . 427-442
Unio 419-420
- per se et per accidens 8, 19, 21, 23, 26, 424
- animae et corporis 377-379, 409, 416, **417-427**, 435, 436
Universale 21, 31, 174-175, 177, 179, 207, 209, 215, 220, 249, 250, 251, 253, 255, 257, 258, 260-261, 263, 348
Urraburu 69, 103, 165
Usus 279, 450, 453
Utile 133, 135, 137, 139, 188, 191, 194, 223, 278, 283, 299, 368, 461, 464, 478

Valentia (a) Gregorius 227, 305
Van Beneden . . . 444, 446
Van Bieruliet 164
Van den Broek 476
Van Der AA . . . 221, 252
Van Helmont Ioh. Bapt. . 54
Vanini Lucilio 449
Vapor 6, 13
Vasquez 241, 304
Vegetativa vita 6, 9, 17, 27, 30, 32, 34, 53-55, 67, 360, 381
Venenum 9, 62
Ventura De Raulica . . 212
Verbum 211, 265. Vide Vocabulum, Loquela
- mentale **236**, 237, 239-242, 247-249
Veritas 94, 261
Vermes 40, 444, 446
Verworn 444
Vestigium . 131-133, 138, 192
Vey 454
Vialleton L. . . . 460, 461
Viennense Concilium . . . 435
Vigilia 126, 138, 329, 333, 401, 405
Vigouroux 375
Violentum . 222, 280, 377, 449
Virchow . . . 444, 467, 472
Virgilius 389
Vis contractibilitatis, irritabilitatis, sensibilitatis 14, 43, 44, 46, 109
- « dominans » 15
- « essentialis » 14
- « ignota » 51
- materiae 351, 447
- motrix. 163-167
- « commixtionis virium » systema 424
- physico chemicae 5-13, 438
Virtus moralis 193
- seminalis 448, 454
Visio . . 62, 71, 103, 106, 112-114, 120, 122
- binocularis 95

Visio contrastus simultaneus et subsequens . . 95-96, 342
- beatifica . 237, **241-242**, 427
- concentratio visionis 335, 338
Vita eius notio . . . 23, 28, 57
- eius 3 gradus . . . 30-33
- eius origo . 33-34, 442-448
- eius principium 6, 7, 10, 13-15, 20
- scientia de vita (psychologia) 1-2
Vitalismus 14, 20, 54
Vitalis vis 6, 7, 8, 14, 18, 20-22
- operatio 6, 8, 9
Vivens 4-35
Vocabulum 183, 197, **212-214**. Vide Nomen, Loquela.
Vogt C. . . 49, 453, 466, 475
Volz W. 470
Voltaire 351
Voluntarismus . . . 273-274
Voluntarium 280
Voluntas notio . . . 270-273
- obiectum formale et materiale 276-279
- eius actus imperati . . 279
- eius actus necessarii (coacti, violenti) 280-283
- eius libertas. Vide Libertas.

Wacker C. 409
Wadeyer 469
Wagner Rud. 14
Wagner W. 185
Wais Kazimierz 462
Wallace A. 453
Warren 472
Wasmann E. 38, 40, 136, 457, 474
Weber 350
- lex «Weberiana Fechneriana» 110
Weels W. C. 451
Weissmann 138, 461
Weygandt 331
Wolff G. Frid. . 14, 60, 363
Wood-Field 158
Woodward 471
Wundt 43, 132, 158, 169, 185, 268, 274, 286, 293, 324, 328, 364, 410, 412, 444

Zdansky 471
Zeising 475
Zeller F. 296
Ziegler 287
Ziehen Th. 127, 132, 170, 274, 324
Zigliara 436
Zwingli 286

L. D. Mque

ERRATA

Pag.	*5*	*lin.*	*20 ab initio*	*loco:*	Ph...Ka	*lege*	P....K
»	*29*	»	*6 a fine*	» :	fudetur	»	fundetur
»	*40*	»	*17 »*	» :	*Se*	»	*De*
»	*58*	»	*5 ab initio*	» :	potententias	»	potentias
»	*59*	»	*5 »*	» :	Maiori	»	Minori
»	*61*	»	*11 a fine*	» :	*intrinseae*	»	*intrinseca*
»	*63*	»	*12 »*	» :	anima	»	in anima
»	*75*	»	*12 »*	» :	pendent	»	pendet
»	*102*	»	*2 ab initio*	» :	Sensum	»	Sensuum
»	*105*	»	*8 a fine*	» :	limite	»	limine
»	*135*	»	*25 »*	» :	innaturum	»	innatarum
»	*216*	»	*1 ab initio*	» :	conclusas	»	conclusa
»	*239*	»	*3 a fine*	» :	continentur	»	continetur
»	*249*	»	*15 ab initio*	*omitte:*	seu productionem verbi		
»	*266*	»	*9 »*	*loco:*	ATTIGAT	*lege*	ATTINGAT
»	*270*	»	*3 »*	» :	honum	»	bonum
»	*270*	»	*21 a fine*	» :	ratonalem	»	rationalem
»	*287*	»	*15 ab initio*	» :	modi	»	modo
»	*294*	»	*6 »*	» :	Independentia	»	independentia
»	*320*	»	*21 »*	» :	Compte	»	Comte
»	*336*	»	*13 »*	» :	Barbiński	»	Babiński
»	*386*	»	*17 a fine*	» :	secundarium	»	secundarius
»	*394*	»	*6 ab initio*	» :	immediata	»	immediate
»	*400*	»	*10 »*	» :	sommo	»	somno
»	*473*	»	*7 a fine*	» :	Fredenthal	»	Friedenthal

AFRICA
GIBRALTAR
ITALY

